





PURPURA DOCTA,

SEU

VITÆ, LEGATIONES, RES GESTÆ, OBITUS,
ALIAQUE SCITU, AC MEMORATU DIGNA, &c.

S. R. E.
CARDINALIUM,

Qui Ingenio, Doctrina, Eruditione, Scriptis, Libris editis, & Elucubrationibus quibuscunque ab Anno Redemptionis humanæ DXL. usque ad ætatem nostram, præ cæteris Orbi Christiano inclaruêre.

DESUMPTA

EX ALPHONSO CIACONIO, ANDREA VICTORELLO, AUGUSTINO OLDOINO, Aliisque præstantibus, cùm Sacræ, tum Prophanæ Historiæ Scriptoribus, Genealogiis, Chronicis, Manuscriptis, Epitaphiis, & Monumentis variis, &c.

IN SEX LIBROS,

Cum uberrimis Notis Marginalibus, ac triplici Indice, Authorum, Personarum, & Rerum:

Digesta, & in lucem edita per

GEORGIUM JOSEPHUM EGGS, SS. THEOL. DOCTOREM Cæsareo-Archiducalis Collegiatæ Ecclesiæ ad S. Martinum Rheinfeldæ Custodem & Seniorem.

Applic. Colleg. Neop. Pro Biblioth. An. Societ. Jesu Societ. 1718

LIBER I. & II.

Qui continent CCVII. eorum vitas.

Cum Approbatione & permissu Superiorum.

MONACHII,
Sumptibus JOAN. JACOBI REMY Bibliopolæ.

ANNO M. DCC. XIV.



SUMMO
CHRISTIANÆ REIPUBLICÆ
Monarchæ
SANCTISSIMO ac BEATISSIMO
PATRI AC DOMINO
NOSTRO
D.CLEMENTI XI.
PONTIFICI OPTIMO
MAXIMO.

Beatiſſime Pater !



Ndulge illâ, quam toti Eccleſiæ non Nominis tantum, ſed operis ſanctiſſima luce diſpenſas Clementiâ, ut mihi Servulorum infimo liceat Sanctitatis Tuæ pedibus adſternere PURPURAM DOCTAM: Hoc Titulo Librum inſcripſi, in quem Purpuratos tot Sæculorum Eccleſiæ Patres retuli, quos eminens omnigenæ Doctrinæ ac Sapientiæ ſplendor Eminentiſſimos fecit. Indulge, inquam, BEATISSIME PATER, Opus iſtud Sanctiſſimis Auſpiciis Tuis conſecrari; Id enim nonmei præſidentiâ aut temeritate, ſed alieno Virorum Sapientiſſimorum, ac Purpuratorum Eccleſiæ Principum conſilio, hortatione, ac propè juſſu audere debui. Cenſebant

Illi, PURPURAM DOCTAM non alijs honoribus initiari debere, quàm Sacræ ac Vicariæ DEI Sedis, â qua fulgorem accepit, & cujus obsequijs, dum viverent Purpurata Lumina, se penitus insumpserunt. Gaudent nimirum Purpurati *Fortes ex Fortissimis Israël*, etiam post mortem, *ambire Lectulum Salomonis*, hoc est, ut cum Gregorio, Cassiodoro, Beda, Theodoreto loquar, Ecclesiam Sanctam: *omnes tenentes gladios, & ad bella doctissimi*, ut *nocturnos* tot infelicium Errorum *timores* dissipent. Hæc PURPURA DOCTA, ut idem sacrum Canticum me docet, *progreditur quasi Aurora consurgens*, illustrando Ecclesiam, at simul est *terribilis ut Castrorum acies ordinata*, profligando Gentilium, Paganorum, & Hæreticorum portas, per quas Infernus humanæ salutis hostis ad miserandam animarum stragem erumpit.

Alterum, quo Summi illi Viri animos mihi suffecêre argumentum Tua erat, BEATISSIME PATER, Orbi notissima, celebratáque Doctrinæ, ac Sapientiæ mirabilis profunditas & amplitudo. Hæc per difficillima, gravissimaque Ecclesiæ negotia, quasi per gradus, omnibus superior, in ipsam usque Purpuratorum Principum supremam Curiam ascendit, nec alio, quàm Lucis Tuæ fulgure in eam vocata penetravit. Cùm verò, quod Gentilitio scuto Cœli Providentia significâsse videtur, cæteros Ecclesiæ montes lucentissimi instar sideris transcenderes, *tanquam emanatio quædam Claritatis Omnipotentis DEI* (quod Elogium veræ Sapientiæ tribuit Sapiens capite septimo,) placuit omnis Sapientiæ authori, Divino Spiritui, Te eligere, per quem totum mundum *doceret omnem veritatem:* ut esses in Terris (quod ibidem de Sapientia Sacer Scriptor) *Speculum sine macula majestatis ejus, & imago Bonitatis ejus*, Hoc est, divinæ Doctrinæ ac veritatis infallibilis Interpres. At, quoniam supremæ, quam obtines inter homines, celsitudini par animi tui demissio tacere me jubet Laudes tuas: Orbis loquatur, quem hactenus eò copiosiùs Sapientiæ tuæ admiratione implêsti: quò supremus omnium Moderator difficiliora, nempe Sapientiæ tuæ periclitatione digniora tempora Tibi reservavit. Loquatur Eminentissimus Ecclesiæ Patrum Senatus. O quot & quantis, quæ illi inseruisti, Sapientiæ sideribus auctus! ut ostenderes, Te tui similes amare, qui Purpuræ Sacræ splendorem adderent, non ab illa emendicarent.

Tan-

Tandem addidére Viri illi, quorùm consilium imperii authoritatem apud me habere debuerat, me fœdæ ingratitudinis notam incursurum, si meos qualescunque labores alterius, quàm Sanctitatis Tuæ, non dicam, honoribus (quæ enim in supremam Lucem ab obscuro hoc opere honoris scintilla reflecti possit? sed demississimis obsequiis supplex dedicarem. Quidquid in me est (si tamen est aliquid) sanioris Doctrinæ & eruditionis, id totum Summorum Pontificum CLEMENTIÆ debeo, in Celeberrimo illo Romanæ ac Sacræ munificentiæ theatro, Collegio nempe Germanico, & Philosophiæ & Theologiæ solidis Institutis imbutus, enutritusque. Quis ergo à turpi ingrati animi macula me absolvet, nisi has saltem privati studii Primitias, méque totum Authori Romæ profundissimâ, quâ possum, reverentiâ consecravero. Neque me conscientia tenuitatis meæ ab hoc ausu absterret. Nihil enim propè in toto hoc Opere meum, quàm Purpuratas has ac fulgentissimas gemmas colligendi labor. Non me latet, nobilissimos Uniones non à piscantis manu, sed à nativo splendore pretium accipere: parumque aut nihil referre, à quo tandem è maris fundo extracti sint, ut æstimentur. Accipe igitur, BEATISSIME PATER, quâ DEUS, cujus vices in mundo geris, solet Clementiâ, hoc infimæ servitutis qualecunque Testimonium. Vilissimatum etiam frugum Primitias maximus DEUS à nobis exigit, & in odorem accipit suavitatis, non quia in se magnæ, sed quia supremi in nos, maximique Dominii consecrati sunt Testes. Patere tandem, ut totius Ecclesiæ voto meum, licèt postremum, adjungam, optemque quod Boni omnes enixissimè, ut DEUS publicam in Te Felicitatem diutissimè conservet.

SANCTITATIS TUÆ

Servorum infimus

GEORGIUS JOSEPHUS EGGS.

PRIVILEGIUM CÆSAREUM.

JOSEPHUS DIVINA FAVENTE CLEMENTIA ELECTUS ROMANORUM IMPERATOR SEMPER AUGUSTUS, AC GERMANIÆ, HUNGARIÆ, BOHEMIÆ, DALMATIÆ, CROATIÆ, SCLAVONIÆ &c. REX: ARCHIDUX AUSTRIÆ: DUX BURGUNDIÆ, STYRIÆ, CARINTHIÆ, CARNIOLÆ ET WIRTENBERGÆ: COMES TYROLIS &c. &c. *Agnoscimus & notum facimus tenore præsentium, quòd, cùm Nobis Noster & Sacri Imperij fidelis dilectus* GEORGIUS JOSEPHUS EGGS *Sacrosanctæ Theologiæ Doctor, Ecclesiæ Collegiatæ ad sanctum Martinum Rheinfeldæ Custos & Senior humillimè exposuerit, se Opus quoddam intitulatum* (Purpura Docta, seu vitæ, legationes, res gestæ, obitus aliaque scitu & memoratu digna S. R. E. Cardinalium, qui præ cæteris ab Anno Christi quingentesimo quadragesimo nono usque ad ætatem nostram orbi Christiano inclaruère) *magna cum industria conscripsisse, idq; in sex Libros in Folio distribuisse, quorum duos sumptibus propriis jamjam typo commiserit; vereri autem, ne forsan alii Bibliopolæ vel Typographi lucri causâ idem opus in ejus grave damnum recudere & venundare præsumant, adeoq; supplicaverit, ut se adversùs ejusmodi fraudes Privilegio Nostro Cæsareo clementer munire dignaremur: Nos submissæ pariter & æquæ huic petitioni benignè annuendum censuerimus. Qui idcirco omnibus & singulis Typographis, aliisq; quibuscunq; librariam negotiationem exercentibus firmiter inhibemus & vetamus, ne quis prædictum* GEORGII JOSEPHI EGGS *Opus porrò per sex annorum spatium ab ipso editione computandum in Sacro Romano Imperio, Regnorumq; & Provinciarum Nostrarum hæreditariarum finibus simili aut alio typo vel formâ, aut sub quovis vel additionis, correctionis, aliove prætextu, sive in parte recudere, vel aliò recudendum dare, alibi impressum apportare vendere, vel distrahere clam vel palam citra voluntatem, & absque ipsius prædicti* GEORGII JOSEPHI EGGS, *ejúsque hæredum & successorum expressè vel in scriptis obtento consensu & licentia præsumat. Si quis verò secus faciendo Privilegio & Interdicto huic Nostro Cæsareò contraire, idq; transgredi ausus fuerit, tum non modò ejusmodi libris, perperam quippe recusis & adductis (quos quidem prædictus* GEORGIUS JOSEPHUS EGGS *ejusvé hæredes ubicunque deprehensos sive propria authoritate, sive Magistratûs auxilio sibi vindicare poterunt) de facto privandum, sed & pœna insuper quinque Marcarum auri puri Fisco Nostro Cæsareo & fraudis vindici ex æquo pendendâ, omni spe veniæ sublatâ, decernimus mulctandum, dummodò tamen prædictum opus nihil bonis moribus, Sacri Imperij Constitutionibus contrarium contineat, & hujus Privilegij Nostri Cæsarei tenor pro publica notitia atq; cautela in fronte ipsius operis impressus exhibeatur, dictusq;* GEORGIUS JOSEPHUS EGGS *sæpe dicti Operis quinque Exemplaria ad arcanam Nostram Cancellariam Imperialem Aulicam transmitti. Mandamus proinde universis & singulis Nostris, & Sacri Imperij Regnorumq; & Provinciarum Nostrarum hæreditariarum subditis, cujuscunq; statûs, gradûs, ordinis aut dignitatis existant, tam Ecclesiasticis quàm sæcularibus, præsertim verò iis, qui in Magistratu constituti vel proprio vel Superiorum suorum nomine & loco*

Juris

Juris & Justitiæ administrationem exercent, ne quemquam Privilegium hoc Nostrum Cæsareum temerè & impunè transgredi aut violare patiantur, quin potiùs contumaces (si quos compererint) præscripta pœnâ plecti, aliisq; modis idoneis coërceri curent quatenus & ipsi eandem mulctam evitare voluerint. Harum Testimonio Literarum Manu Nostrâ subscriptarum & Sigilli Nostri Cæsarei appressione munitarum. Quæ dabantur in Civitate Nostra Vienna die septimâ mensis Novembris Anno Domini Millesimo Septingentesimo Nono, Regnorum Nostrorum, Romani vigesimo, Hungarici vigesimo secundo, Bohemici verò quinto.

JOSEPHUS



Vidit, Frid. Car. Comes de Schönborn

Ad mandatum Sacræ Cæsareæ Majestatis proprium

Petrus Josephus Dolberg.

APPROBATIO ORDINARII.

HI *Duo Primi Libri*, quorum Titulus PURPURA DOCTA, à Nobis,& Eximiis Theologis, ad id specialiter deputatis, probè revisi, & perlecti, nil contra Orthodoxam Doctrinam, aut bonos mores continere reperti; cæteroquin eleganti, claróque stylo ex Probatis Authoribus doctè contexti, Eminentem Ducentorum & septem Purpuratorum Ecclesiæ Patrum, Doctrinam, Vitam,& Res gestas ab Anno Christi D. X L. usque ad Annum M. CCCCX. pulchrè enarrant, ac Clarissimi Authoris sui singulare studium, eruditionem, atque industriam plurimùm commendant. Eos proinde dignos censemus, qui typo in publicum prodeant; & Eruditos, ac Curiosos Lectores nanciscantur. Datum Arleshemii ex Ædibus Solitæ Nostræ Residentiæ, die prima Mensis Augusti, Anno M. DCC. VIII. sub Sigillo Curiæ Nostræ Episcopalis consueto, in fidem appresso.

JOANNES CHRISTOPHORUS,
Episcopus Domitiopolitanus, Suffraganeus, & Vicarius Generalis Basileensis.



AD LECTOREM,
DE OPERIS ET INSTITUTI RATIONE PRÆFATIO.

CUM ante viginti circiter annos Romæ in Collegio Germanico & Hungarico altioribus disciplinis erudiendus, Philosophia, Jurisprudentiæ, & Theologiæ, ut vocant, speculativæ solidis septem annis operam navarem, in illud præprimis semper incubui, ut tempus à studiis vacuum, seu horas subcisivas, variorum librorum, maximè Historicorum lustrationi, & lectioni impenderem; & quæ tum fortè legenti scitu, dictu, memoratuq; digniora occurrerent, separatas in tabulas, usui meo quandoque profuturas, non indiligenter referrem. Incidi tum fortè, quum evolvendis plurium Scriptorum monumentis in refertissima illa selectissimorum librorum, & Authorum Collegij Germanici Bibliotheca insisterem, in Alphonsum Ciaconium, natione Hispanum, professione Dominicanum, dignitate Patriarcham Alexandrinum: virum ob egregiam eruditionem, scientiarum cognitionem, ac rerum penè omnium exactam peritiam, scribendique solertiam decantatissimum, omniq; memoriâ dignum. Qui post plurima diversi generis publicata Opera, Pontificum Romanorum seriem & acta, vitásque S. R. E. Cardinalium ab ipsis Ecclesiæ incunabulis exorsus, stupendo non minùs labore, quàm miro animi candore & fide, duobus justis Tomis seu Voluminibus comprehensa, ad suam usque ætatem omnium, quos quidem legi, solertissimè perduxit. In quo laborioso maximéque arduo Opere, quæcunque suâ, vel Patrum, & superiore etiam ætate ubique gentium atque locorum digna relatione cùm à Pontificibus, tum à Pontificibus, tum à Cardinalibus gesta sunt: præstanti fide, atque industria ita tractavit, ut nihil ad hominum plausum confictum, nihil in quo ejus candorem aut diligentiam desideres, facilè invenias. Qui adinstar frugalissimæ apis per spatiosa omnium, tum Veterum, tum Recentiorum monumenta, velutì amœna prata pervolitans, ex unoquoque, quod esset optimum, ad tam egregium Opus ditandum, exornandúmque decerpsit, transtulit, immiscuit: adeò ut quæ in aliis sæpè diversa hiulca dispersáque; pugnantia sæpè, & per partes duntaxat tractata mireris, hîc recto ordine posita, collecta, inque unum digesta reperias.

Atque utinam hic tantus vir, longissimo ævo dignus, tantum adhuc temporis vixisset, quantum emendandis, absolvendísque hisce libris fuisset satis. Nonnulla procul dubio addidisset, aliqua correxisset pauca quædam etiam (quæ malè irrepserant) immutâsset. Sed quòd ille præmaturo fato surreptus (obijt enim quinquagenario major sub annum salutis 1599.) perficere non potuit, id egregiè posteà, desumptâ sibi de industria hac provincia, præstiterunt Viri cumprimis docti & eruditi, atque de re literaria per quàm optimè meriti, Franciscus scilicet Cabrera, Andreas Victorellus, Ferdinandus Ughellius, Floravantes Martinellus, & novissimè omnium Augustinus Oldoinus S. J. Qui non modò ea, quæ in tanto Opere desiderari videbantur, addiderunt; sed sublatis etiam gravioribus mendis, Opus ipsum præstantibus notis illustrârunt, perpolierunt, & ad nostra usque tempora summo studio (maximo Reipublicæ Christianæ bono) perduxerunt. Ut jam penè nihil, quod quidem ad ejus integritatem, splendorem, & perfectionem spectet, in eo requiri posse videatur.

Hoc itaque insigne Ciaconij Opus, à tot egregiis viris peculiari studio recognitum, purgatum, auctum, notisq;, ut diximus, illustratum & completum, cùm mihi tanquam Ecclesiastico præ aliis quibusq; omnium maximè arrideret; nec tam ad ingenium exercendum, excolendumq;; quàm ad tempus, quod mihi à severioribus studiis dabatur vacuum, cum fruge terendum, opportunum videretur; iteratis vicibus legendo pervolvi; ex eoq; omnium

illorum

illorum S. R. E. Cardinalium vitas & gesta, qui ingenio, eruditione, scriptis, & libris editis quocunque tempore floruerunt, separatim excerpere, annotare, ac denique in hunc, quem modò cernimus, ordinem redigere cœpi: celeberrimos in hoc scribendi genere Viros ex parte imitatus, Joannem Trithemium, Paulum Cortesium, Guillelmum Eisengrenium, Franciscum Mariam Turrigium, Robertum Bellarminum, ejusq. continuatorem Andream Saussayum, aliosq.. Dixi ex parte, nam nullus prælibatorum Authorum omnes omninò Cardinales, sed selectissimos tantùm, atque adeo perpaucos; vel mixtos cum aliis, qui purpurâ exornati non fuerant, typô divulgavit. Ego verò omnium (dummodò doctrinâ conspicui eminerent,) citra selectum, cujuscunque demùm Ordinis, statûs, professionis, & nationis essent, mentionem hic ingerere studui. Solis iis exceptis, qui à purpura ad summum Sacerdotium ex Literatis evecti sunt. Nam horum peculiarem suo tempore Catalogum contexere; & in lucem dare (si vita quidem DEO propitio, superstes fuerit,) in animo decretum habeo, ubi hæc ad prægustum, ut sic dicam, emissa lectoribus probari atque placere cognovero.

Ut verò eorum etiam, quæ in hoc Opere lectori fortassè dubium, aut remoram creare possent, exactam rationem reddam: sciendum, me non ex eo capite Purpuram hanc Doctam *ab anno 540. exorsum, quòd nulli retrò antè eruditi, aut doctrinâ præstantes in Ecclesia DEI Cardinales viguerint, (quis enim hoc citra temeritatem, mendacium, & injuriam suspicari, nedum asserere ausit?) sed quòd vel ob defectum Scriptorum, vel ob incuriam hominum memoria eorum interciderit; vel ob temporum iniquitatem monumenta publica, si qua extabant, perierint; vel si non periêre, in tenebris etiamnum abstrusa, magno rei literariæ detrimento, delitescant; nec nisi nuda propemodùm eorum nomina, suppressis, aut ignoratis actibus, ab Authoribus vetustis prodantur. Paucos enim invenias, qui extra summos Pontifices primis quatuor sæculis Cardinalium, (nisi nomine tenùs) memoriam agant. Et hæc ipsa ratio est, cur & ego iis prætermissis, ad ea me contulerim sæcula, quæ rerum magis feracia, uberiorem mihi de Doctis Cardinalibus scribendi materiam sufficerent.*

Rursùs si quem in Authoribus, ac maximè Ciaconio, Cardinalem literis & doctrinâ præstantem deprehendi, hujus non modò scripta, librosq. editos annotavi, (quemadmodùm fecerunt Bellarminus, & alii) sed & gesta, legationes, vitamq. ipsam cum aliis monumentis ad ipsum quomodolibet pertinentibus adjeci: nec tamen ita Ciaconio affixus, ut aliorum opiniones, testimonia, asserta, & descriptiones non admitterem, aut contemnerem: quin potiùs relictô sæpiùs Ciaconiô, ubi illum, (ex aliorum monitu,) deficere, hallucinari, dubia aut incerta referre deprehendi, ad oppositam saniorum sententiam transivi. Facem mihi ad hoc prætulerunt inter præstantissimos primarii Andreas Victorellus, & Augustinus Oldoinus, quorum prior emendatum in multis Ciaconium utilissimis notis illustravit; posterior uberrimis auctum additionibus ita locupletavit, ut bini ejus Tomi primæ editionis, in altera facilè ad quatuor excreverint. Sed nec in omnibus Victorellum secutus sum semper, cùm & ipse nonnunquam, rariùs tamen, errore lapsus, (quòd pace tanti viri dixerim,) inveniatur. At ab Oldoino omnium maximè accurato, circumspecto, & illmi, nunquam sciens, aut volens discessi. Aliis verò cùm priscis, tum recentioribus promiscuè ita sum usus, ut nec iis omninò adhærere, nec eos etiam penitùs deserere, sed mediâ quasi via incedendo, utrisque modò deferre, modò derogare, pro rerum exigentia, & qualitate, videri possim.

Quòd verò ad Annorum seriem, & tempus, quo quisque Cardinalium, de quibus hîc agitur, vixerit? spectat: notandum, me semper annum illum cujuslibet vitæ principio præfixisse, qui Pontifici Romano tum viventi, à quo purpura dignitatem accepit, initialis & primus in regimine fuit. Hôc enim ordine (meô quidem judiciô) Lectori facile, pronumq. erit conjicere, quo quisque Cardinalium tempore aut floruerit, aut decesserit.

Auctorum porrò nomina, qui de singulis Cardinalium vel ex professo, vel incidenter etiam, vel ex rerum, quas tractant, connexione scripserunt: & quorum hoc in tractatu operâ usi sumus, ad calcem cujuslibet vitæ annotavimus, præterquàm quòd omnes in Catalogo

b

logo generali, Operi præfixô juxta ordinem alphabeticum recensuerimus. Lubricum autem assentatoris vitium, Historicis uti turpe, & fugiendum, sic frequenter familiare & pronum ita declinare conatus sum, ut planè nihil, quod in culpam jure vocari possit, verear.

Opus denique ipsum, in Sex Libros divisum, quorum quilibet numerum centenarium non multùm excedit, Purpuram Doctam *ex ea ratione nuncupare placuit; tum quòd de solis hic Cardinalibus doctrinâ & eruditione conspicuis principaliter agatur; tum quòd plures alii præstantes Viri, simili propè argumento occupati, exemplum ad hoc mihi praeivint, nominatim Hippolytus Marraccius, qui Opus suum de Cardinalibus in Deiparam Virginem affectis,* Purpuram Marianam; *& Petrus Frizonius, qui suum de Cardinalibus Gallis,* Galliam Purpuratam *inscripsère. Alii rursum pari de causa suos tractatus modò* Purpuram Seraphicam, *modò* Purpuram Cisterciensem, *modò* Dominicanam, *&c. nominârunt: prout quisque hujus, vel illius Ordinis, aut Instituti Cardinales colligere; & in publicum, convenienti titulo, emittere studuit. Horum ego motus exemplo, Opus hoc præsens* Purpuram Doctam, *ceu de meris Purpuratis confectum, appellare constitui. Idq; cumprimis in gratiam Eorum, qui Illustrium Ecclesiæ Virorum cognitione percupidi, de vasto sibi Ciaconii Opere, (quod nonnisi Romæ, ubi solùm prodiit, venum extat,) hisce in partibus citra magnos sumptus non facilè prospicere possunt.*

Sed non deerunt fortassis, præsertim ex iis, qui rerum Ecclesiasticarum majorem me notitiam habebunt; vel anteà de iis aliquid in diversis legerint, aut etiam typis ediderint, quin plurima hoc in opere desiderari; nonnulla etiam aliter, atque in Ciaconio & aliis habeantur, scripta esse vociferabuntur, & sic ansam hunc laborem, quamtumvis ingenuum, minimeq; reprehendendum, carpendi sugillandiq; cum sciolis quibusdam, ne dicam Momis, arripient. His respondetur, ad primum quod attineat, non inficias iri, quòd multa minùs necessaria, aut etiam superflua, uti sunt insignia Cardinalium, eorum numismata, diplomata, litteræ, epitaphia, inscriptiones, aliaq; id genus, studiosè sint omissa: cùm quòd ex aliis, de industria hac prosequentibus, (me etiam indicante,) perquàm commodè peti possint; tum ne Opus ipsum in immensum excrescens, Lectori potiùs fastidium, quàm delectationem pareret. Ad alterum verò quòd spectet, nihil prorsus innovatum; nihilvè, quod rei quidem substantiam lædat, aut imminuet, excogitatum: sed in iis tantùm, quæ ex parte discrepare videbantur, collatis ferè omnibus, quotquot de Cardinalibus ingenuè, & ex professo scripserunt, Authoribus, probabiliora selecta, pluraq; insuper, quæ aliorum cognitionem fugerant, lectu tamen dignissima, vel ex manuscriptis, in celeberrimis Vaticanâ, & Collegii Germanici Bibliothecis Romæ asservatis, vel ex recentissimis, iisq; classicis Authoribus, (inter quos Ludovicum Morerium hac ætate nostra plurimùm eminere existimo,) addita esse dignoscantur.

Lectorem proinde benevolum rogatum, hortatumq; velim, ne laborem hunc meum, non usque adeò illaudabilem, aut spernendum, culpet; priusquàm Authores illos, quorum ductu & operâ usi sumus, & quorum nomina tum in principio cujuslibet libri, tum in fine cujuslibet vitæ posita sunt, excutiat, penitusq; evolvat. Inveniet citra dubium, non nova, non aliena, non denique supposititia, aut conficta, sed rem ipsam plurimorum testimoniis fultam, conscriptam esse. Sicubi autem, (quòd vel lynceo evenire possit,) hallucinatum, erratumq; viderit, pro sua humanitate, prudentiâ, & æquitate veniam det novitio præsertim, minusq; perito Scriptori, non ægrè laturo, si quis amicè reprehenderit, gratiam verò habituro, si quis certiora, melioraq; attulerit. Denique in omnibus & singulis, quæ scripsi, Orthodoxæ Ecclesiæ (cujus præcipuè honori & gloriæ, tot egregios ejus Viros in lucem proferendo, consultum volui) me humiliter subjicio, ejusq; judicium & censuram, uti virum Christianum, ac maximè Ecclesiasticum decet, vel ad spongiam paratus, libenter accipio, demississimeq; veneror. Vale, mi Lector, & sicubi aliquid te forte dignum, aut delectabile hoc in opere, tui causâ conscripto, inveneris, sospes fruere. Magnum erit impensi temporis, sudoruq; levamen, tibi aliquatenùs placuisse.

CATA-

INDEX NOMINUM
S. R. E. CARDINALIUM,
Quorum Vitæ, Res gestæ, & Scripta in hoc Primo Libro commemorantur.

Numerus.		Ann. Christi.
I.	ARator Ligur, Italus. Floruit Anno Christi.	540.
	Petrus Monachus, Romanus.	590.
III.	Amalarius Fortunatus Trevirensis, Germanus.	844.
IV.	Joannes Cassinensis, Italus.	873.
V.	Hadamarus Fuldensis, Germanus.	946.
VI.	Werhnerus Fuldensis, Germanus.	975.
VII.	B. Gregorius Monachus, Italus.	1033.
VIII.	Humbertus, Burgundus.	1049.
IX.	Stephanus Cluniacensis, Gallus.	1049.
X.	Maynardus Campanus, Italus.	1049.
XI.	B. Petrus Damianus, Italus.	1057.
XII.	Benno, Germanus.	1057.
XIII.	Albericus Monachus Cassinensis, Germanus.	1057.
XIV.	Oderisius Campanus Monachus Cassin. Italus.	1059.
XV.	Gerardus Ratisponensis, Germanus.	1061.
XVI.	Hugo Diensis, Burgundus.	1061.
XVII.	Bernardus Massiliensis, Gallus.	1061.
XVIII.	Anselmus Mantuanus, Italus.	1061.
XIX.	Guitmundus, Germanus.	1061.
XX.	Petrus Igneus, Italus.	1073.
XXI.	Deodatus, Germanus.	1073.
XXII.	Cunon, Germanus.	1073.
XXIII.	Goffridus Vindocinensis, Gallus.	1088.
XXIV.	Leo Ostiensis, Italus.	1099.
XXV.	Joannes de Crema, Italus.	1099.
XXVI.	Gualo Carnotensis, Gallus.	1099.
XXVII.	Mathæus Rhemensis, Gallus.	1124.
XXVIII.	Joannes Bononiensis, Italus.	1124.
XXIX.	Drogo Laudunensis, Gallus.	1130.
XXX.	Theodevinus, Germanus.	1130.
XXXI.	Albericus Bellovacensis, Gallus.	1130.
XXXII.	Hugo de S. Victore, Germanus.	1130.
XXXIII.	Stephanus Cialonius, Catalaunus.	1130.
XXXIV.	Raynaldus Colimentanus, Italus.	1130.
XXXV.	Hugo de Folietto, Gallus.	1130.
XXXVI.	Ymarus Parisiensis, Gallus.	1130.
XXXVII.	Conradus Bavarus, Germanus.	1130.
XXXVIII.	S. Guarinus Bononiensis, Italus.	1144.
XXXIX.	Bernardus Lucensis, Italus.	1145.
XL.	Chunradus Bavarus de Witelesbach, Germanus.	1159.
XLI.	Galdinus Mediolanensis, Italus.	1159.
XLII.	Theodevinus Nursinus, Italus.	1159.
XLIII.	Magister Laborans, Romanus Italus.	1159.
XLIV.	Herebertus Bossehamus, Anglus.	1159.
XLV.	Henricus Cluniacensis, Gallus.	1159.
XLVI.	Pandulphus Pisanus, Italus.	1181.
XLVII.	Sofredus Pisanus, Italus.	1181.

Index Nominum S.R.E. Cardinalium.

Numerus.		*Ann. Christi.*
XLVIII.	Adelardus Cattaneus Veronensis, Italus.	1181.
XLIX.	Guido de Pore, Gallus.	1188.
L.	Hugo seu Hugutio, Romanus Italus.	1191.
LI.	Joannes Campanus, Salernitanus.	1191.
LII.	Rofredus de Insula, Campanus.	1191.
LIII.	Joannes Columna, Romanus Italus.	1191.
LIV.	Petrus Capuanus, Amalphitanus.	1191.
LV.	Albertus Lotharingiæ Dux, Martyr.	1191.
LVI.	Leo Brancaleo, Romanus Italus.	1198.
LVII.	Nicolaus de Romanis, Romanus Italus.	1198.
LVIII.	Rogerius, Germanus.	1198.
LIX.	Petrus Moranus, Beneventanus Italus.	1198.
LX.	Jacobus Gualla de Bicheriis, Vercellensis.	1198.
LXI.	Stephanus Langthonus, Anglus.	1198.
LXII.	Raynerius Capocius, Viterbiensis Italus.	1198.
LXIII.	Romanus Bonaventura, Romanus Italus.	1198.
LXIV.	Thomas de Capua, Campanus.	1198.
LXV.	Robertus Curtonus, Anglus.	1198.
LXVI.	Sigefridus Eppensteinius, Germanus.	1198.
LXVII.	Joannes Columna Junior, Romanus Italus.	1216.
LXVIII.	Bertrandus Sabellus, Romanus Italus.	1216.
LXIX.	Conradus de Urach, Germanus.	1216.
LXX.	Oliverius Saxo, Coloniensis Germanus.	1216.
LXXI.	Joannes Halgrain, Gallus.	1227.
LXXII.	Otho Candidus, Italus.	1227.
LXXIII.	Jacobus de Vitriaco, Gallus.	1227.
LXXIV.	Jacobus de Pecoraria, Placentinus Italus.	1227.
LXXV.	Robertus Summercote, Anglus.	1227.
LXXVI.	Richardus de Hannibaldis, Romanus.	1227.
LXXVII.	Raymundus Nonnatus, Hispanus.	1227.
LXXVIII.	Franciscus Cassardus Delphinas Gallus.	1227.
LXXIX.	Petrus de Collemedio, Italus.	1243.
LXXX.	Guillelmus Pedemontanus, Subalpinas.	1243.
LXXXI.	Otho Rodulphaus Bituricensis, Gallus.	1243.
LXXXII.	Joannes de Toleto, Anglus.	1243.
LXXXIII.	Hugo Carensis, Delphinas.	1243.
LXXXIV.	Odo Reginaldus Lugduuensis, Gallus,	1243.
LXXXV.	B. Thesaurus Beccaria Papiensis Italus.	1254.
LXXXVI.	Henricus de Bartholomais, Subalpinas Gallus.	1261.
LXXXVII.	Rodulphus de Cheuriers, Gallus.	1261.
LXXXVIII.	Simon Paltinerius, Patavinus Italus.	1261.
LXXXIX.	Anherus Trecensis, Campanus Gallus.	1261.
XC.	Guido, Burgundus.	1261.
XCI.	Hannibaldus de Molaria, Romanus.	1261.
XCII.	Matthæus Ursinus, Romanus.	1261.
XCIII.	Bernardus Aigierius, Gallus.	1261.
XCIV.	S. Bonaventura Balneoregius Hetruscus.	1271.
XCV.	Theobaldus de Ceccano, Campanus Italus.	1271.
XCVI.	Latinus Francipanius, Romanus.	1271.
XCVII.	Bentivenga de Bentivengis, Umber Italus.	1277.
XCVIII.	Robertus Kilwarbius, Anglus.	1277.
XCIX.	Gerardus Blancus, Parmensis Italus.	1277.
C.	Hugo Aratus, Anglus.	1281.
CI.	Joannes Choletus, Bellovacensis, Gallus.	1281.
CII.	Gervasius Clinchamp, Cenomannus Gallus.	1281.

CATALOGUS AUTHORUM,

PARTIM EXCUSORUM, PARTIM MANUSCRIPTORUM,

Qui in hoc primo & secundo Libro, suo quisque loco ad calcem descriptarum vitarum citantur, & hic ordine alphabetico recensentur.

A.

Abbas Urspergensis.
Abrahamus Bzovius.
Adamus Bremensis.
Ægidius Aureç vallis.
Ægidius Viterbiensis.
Albertus Crantius.
Albertus Mussatus.
Almaricus Augerius.
Alphonsus Ciaconius.
Alphonsus Fernandez.
Alphonsus de Roxas.
Alphonsus Remondus.
Anastasius Bibliothecarius.
Andreas Dandulus.
Andreas Hojus.
Andreas Quercetanus.
Andreas Saussay.
Andreas Victorellus.
Angelus Manriquez.
Angelus Portinus.
Annales Colmarienses.
S. Antoninus Archiep. Flor.
Antonius Aubery.
Antonius Beatillus.
Antonius Demochares.
Antonius Maria Campus.
Antonius Possevinus.
Antonius Riccobonus.
Antonius Sanderus.
Antonius Senensis.
Antonius Summontius.
Archangelus Gianius.
Arnoldus Uvion.
Aubertus Miræus.
Augustinus Oldoinus.
Augustinus Ticinensis.
Azolinus Senensis.

B.

Balthasar Porregna.
Baptista Platina.
Bartholomæus Chioccarellus.
Bartholomæus Dulcinus.
Beatillus Bariensis.
Bernardinus Scardeonius.
Bernardus Corius.
Bernardus Guidonis.
Bernardus Luxemburgensis.
Bernardus de Vargas.
Berno Augiensis.
Bertholdus Constantiensis.
Burginus Florentinus.

C.

Calendarium Cisterciense.
Carolus Sigonius.
Carolus de Tappia.
Cæsar Baronius.
Cæsar de Engenio.
Cæsar Nostradamus.
Cherubinus Gerardus.
Christophorus Broverius.
Claudius Robertus.
Conradus Vezerius.
Chronicon Augustanum.
Chronicon Basileense.
Chronicon Brixinense.
Chronicon Camaldulense.
Chronicon Cassinense.
Chronicon Cisterciense.
Chronicon Hirsaugiense.
Chronicon Lerinense.
Chronicon Moguntinense.
Chronicon Prædicatorum.
Chronicon Vallis umbrosæ.
Chronicon Urspergense.
Chrysostomus Henriquez.
Constantinus Cajetanus.

D.

Desiderius Cassiodorus.
Didacus de Franchis.
Dodræus Rhotomagensis.

E.

Eberhardus Ratisponensis.

F.

Felix Contelorius.
Ferdinandus de Castillo.
Ferdinandus Vghellius.
Floravantes Martinellus.
Franciscus Augustinus ab Ecclesia.
Franciscus Bosquetus.
Franciscus Godewinus.
Franciscus Maria Turrigius.
Franciscus Petrarcha.
Franciscus Sansovinus.
Franciscus Suaresius.

G.

Gabriel Bucelinus.
Gabriel Pennotus.
Gaspar Bruschius.
Gaspar Iongellinus.
Gaspar Siligandus.
Gerardus Bononiensis.
Gerardus Lemovicensis.
Gerardus Vossius.
Gregorius de Valentia.
Guillelmus Cartelius.
Guillelmus Eisengrenius.
Guillelmus Gazæus.
Guillelmus Marlesburiensis.
Gumeranus Episc. Jacensis.

H.

Henricus Albi.
Henricus Canisius.
Henricus Gandavensis.
Henricus Huntidunensis.
Henricus Spondanus.
Heribertus Rosweydus.
Hermannus Contractus.
Hieronymus Brianus.
Hieronymus Garimbertus.
Hieronymus Platus.
Hippolytus Marraccius.
Historia Cartusiana.

INDEX NOMINUM S.R.E. CARDINALIUM,

Quorum Vitæ, Res gestæ, & Scripta in hoc Secundo Libro commemorantur.

Numerus.		An. Christi
I.	Joannes Buccamatius, Romanus Italus, floruit Anno	1285.
II.	Matthæus Aquaspartanus, Italus.	1288.
III.	Hugo Seguinus Billonius, Gallus.	1288.
IV.	Neapoleo Ursinus, Romanus Italus.	1288.
V.	Theobaldus Stampensis, Anglus.	1288.
VI.	Simon de Bello-Loco, Gallus.	1294.
VII.	Joannes Monachus, Gallus.	1294.
VIII.	Robertus Cisterciensis, Gallus.	1294.
IX.	Guillelmus Longus, Italus.	1294.
X.	B. Andreas Anagninus, Italus.	1294.
XI.	Jacobus Cajetanus de Stephaneschis, Rom. Italus.	1294.
XII.	Gentilis de Montefloris, Italus.	1294.
XIII.	Richardus Petronus de Senis, Italus.	1294.
XIV.	Joannes Minius de Murovallium, Italus.	1294.
XV.	Ægidius Columnensis, Romanus Italus.	1294.
XVI.	Nicolaus Pratensis, Italus.	1303.
XVII.	Guillelmus Marlesfeldius, Anglus.	1303.
XVIII.	Gualterus Winckelburnus, Anglus.	1303.
XIX.	Berengarius Stedellus, seu Fredeolejus, Gallus.	1305.
XX.	Thomas Jossius, Anglus.	1305.
XXI.	Nicolaus Farinola, Gallus.	1305.
XXII.	Arnaldus de Pelagrua, Gallus.	1305.
XXIII.	Arnaldus Novellius, Gallus.	1305.
XXIV.	Guillelmus de Mandagoso, Gallus.	1305.
XXV.	Guillelmus Godinus, Gallus.	1305.
XXVI.	Vitalis à Furno, Gallus.	1305.
XXVII.	Bertrandus de Porto, Gallus.	1316.
XXVIII.	Petrus de Arreblajo, Gallus.	1316.
XXIX.	Joannes Cajetanus Ursinus, Romanus Italus.	1316.
XXX.	Bertrandus de Turre, Gallus.	1316.
XXXI.	Petrus Textor, Gallus.	1316.
XXXII.	Joannes Raymundi, Gallus.	1316.
XXXIII.	Annibaldus Ceccanus, Campanus Hernicus.	1316.
XXXIV.	Matthæus Ursinus, Romanus Italus.	1316.
XXXV.	Joannes Columna, Romanus Italus.	1316.
XXXVI.	Petrus Bertrandi, Gallus.	1316.
XXXVII.	Talairandus Comes Petragoricensis, Gallus.	1316.
XXXVIII.	Raymundus Albertus Gottolanus, Gallus.	1316.
XXXIX.	Petrus Aureolus, Picardus.	1316.
XL.	Bertrandus Deucius, Gallus.	1334.
XLI.	Guillelmus Curti, Gallus.	1334.
XLII.	Raymundus Comes Monfortius, Gallus.	1334.
XLIII.	Bernardus de Albia, Gallus.	1334.
XLIV.	Aimericus de Castro-Luci, Gallus.	1342.
XLV.	Guido de Bolonia, Gallus.	1342.
XLVI.	Gerardus Domarus, Gallus.	1342.
XLVII.	Guillelmus Judicis, Gallus.	1342.
XLVIII.	Elias de Nabunal, Gallus.	1342.
XLIX.	Ægidius Albernotius, Hispanus.	1342.
L.	Pastor de Sarestudio, Gallus.	1342.
LI.	Joannes Morlandinus, Gallus.	1342.

LII. Ni-

Numerus.		An. Christi
LII.	Nicolaus Capoccius, Romanus Italus.	1342.
LIII.	Matthæus Corozmannus, Germanus.	1342.
LIV.	Dominicus Serranus, Gallus.	1342.
LV.	Guillelmus Farinerius, Gallus.	1352.
LVI.	Nicolaus Rosellius, Hispanus.	1352.
LVII.	Fortanerius Sertorius Vasellus, Gallus.	1352.
LVIII.	Androinus de Rupe, Burgundus.	1352.
LIX.	Guillelmus Bragose, Gallus.	1362.
LX.	Angelicus Grimoardus de Grisaco, Gallus.	1362.
LXI.	Guillelmus Sudre, Gallus.	1362.
LXII.	Guillelmus de Agrifolio, Gallus.	1362.
LXIII.	Marcus Viterbiensis, Italus.	1362.
LXIV.	Philippus Cavallicensis, Gallus.	1362.
LXV.	Simon de Langhan, Anglus.	1362.
LXVI.	Petrus Corsinus, Italus.	1362.
LXVII.	Bertrandus Langerius, Alvernus Gallus.	1370.
LXVIII.	Robertus Gebennensis, Gallus.	1370.
LXIX.	Simon Borsanus, Italus.	1370.
LXX.	Petrus de Luna, Hispanus.	1370.
LXXI.	Petrus de Tartaris, Romanus Italus.	1370.
LXXII.	Thomas de Frignano, Italus.	1378.
LXXIII.	Pileus de Prata, Forojuliensis Italus.	1378.
LXXIV.	Joannes Corsiensis, Italus.	1378.
LXXV.	Bartholomæus de Cothurno, Italus.	1378.
LXXVI.	Nicolaus Miscinus, Italus.	1378.
LXXVII.	Bartholomæus Mediavacca, Italus.	1378.
LXXVIII.	Ludovicus Donatus, Venetus.	1378.
LXXIX.	Philippus Gezza, seu de Ruffinis, Romanus.	1378.
LXXX.	Gentilis de Sangro, Neapolitanus.	1378.
LXXXI.	Adamus Eston, Anglus.	1378.
LXXXII.	Adolphus Comes Anaxovicanus, Germanus.	1378.
LXXXIII.	Landulphus Maramaurus, Neapolitanus.	1378.
LXXXIV.	Fridericus Comes Sarwerdensis, Germanus.	1378.
LXXXV.	Cuno, seu Simon à Falckenstein, Germanus.	1378.
LXXXVI.	Arnoldus ab Horn, Germanus.	1378.
LXXXVII.	Wenceslaus Princeps Lignicensis, Germanus.	1378.
LXXXVIII.	Angelus Acciajolus, Italus.	1378.
LXXXIX.	Bonaventura Baduarius, Italus.	1378.
XC.	Raynaldus Brancaccius, Neapolitanus.	1378.
XCI.	Thomas Londinensis, Anglus.	1378.
XCII.	Leonardus de Rubeis, Italus.	1378.
XCIII.	B. Petrus de Lucemburgo, Gallus.	1378.
XCIV.	Henricus Minutulus, Neapolitanus.	1389.
XCV.	Bartholomæus Uliarius, seu Olearius, Italus.	1389.
XCVI.	Antonius Cajetanus, Romanus Italus.	1389.
XCVII.	Jordanus Ursinus, Romanus Italus.	1389.
XCVIII.	Joannes Ægidii, Germanus.	1404.
XCIX.	Franciscus Hugucio, seu de Aguzzonis, Italus.	1404.
C.	Joannes Dominici, Italus.	1406.
CI.	Philippus Repingtonus, Anglus.	1406.
CII.	Matthæus de Cracovia, Germanus.	1406.
CIII.	Lucas Manzolius, Italus.	1406.
CIV.	Petrus Maurocenus, Venetus.	1406.
CV.	Antonius Corarius, Venetus.	1406.

PROLOQUIUM
DE
ORIGINE, PROGRESSU, DIGNITATE, OFFICIO, TITULIS ET NUMERO S. R. E. CARDINALIUM.

Doctorum S. R. E. Cardinalium vitas, & res domi forisque gestas scripturo, mihi haud alienum ab instituto visum est, quæ de Eorum Origine, Dignitate, Numero, & Titulis Scriptores passim sentiant & prodant, ante omnia paucis referre. Innocentius hujus nominis III. qui sub annum salutis 1198. sacris Christianis præfuit, (teste Eugenio IV. parte 1. Bullarii, Literis *Non mediocri, &c.*) eâ in opinione fuit, *Cardinalium statum, Dei præcepto, ex Veteri Testamento originem suam duxisse*. Idque probat ratiocinio non minùs eleganti quàm firmo, è sacris paginis, & authoritate Patrum petito. Joannes de Turrecremata eruditissimus Cardinalis *Lib. 1. Summæ de Ecclesia, cap. 80. & in cap. Quamquam. quæst. 7.* Originem Cardinalium ad legem gratiæ referens, atque adeò ad Novum Testamentum restringens, contendit: Cardinalium statum à solo Christo originaliter, seu (ut ille loquitur) primordialiter fuisse institutum. Hoc ut evincat, pluribus, iisque solidis rationibus argumenta ajentium, *Cardinales jure dumtaxat humano institutos fuisse*, impugnat, enervat, & refellit. Illi præ cæteris adstipulantur Hieronymus Platus *de Cardinalium dignitate*: & Thomas Waldensis *Lib. 2. Doct. Antiq. Fid. cap. 54. art. 3.* Ad quos Lectorem, cùm historicum hîc ego, non scholasticum agam, remitto. Eugenius IV. suprà laudatus, etsi (quantum attinet ad originem Cardinalium) non disputet, neque dissentiat, *Officium tamen ipsorum à B. Petro, ejusq. Successoribus institutum esse*, pluribus demonstrat. Nec abludit ab ejus sententia, quod Stephani III. Synodus circa salutis annum 752. Romæ celebrata in actis commemorat: *Oportebat nimirùm, ut hæc sacrosancta Domina nostra Romana Ecclesia (juxta quod à B. Petro, & ejus Successoribus institutum est) ritè ordinaretur, & in Apostolatûs culmen unus de Cardinalibus Presbyteris, aut Diaconis consecraretur.*

Nonnulla de origine & officio Cardinalium asseruntur.

Nomen igitur Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum S. R. E. Cardinalium, licèt non statim à principio Ecclesiæ Romanæ, sed progressu temporis fuerit ortum; munus tamen Ipsorum, seu officium, extra controversiam, semper extitit cum Pontificia Sede conjunctum. Siquidem Pontificatus (vastissimum totius Orbis Christiani regimen & curam complectens) citrà multorum opem, subsidium, consilium, & solicitudinem ritè administrari non potuit unquam. Unus enim haud

Officium Cardinalium semper fuit cum Sede Pontificia conjunctum.

c poterat

poterat (ut optimè notat Ciaconius) tantam solus molem & pondus sustinere, quin in partem ministerii nonnullos idoneos viros, spiritu, doctrinâ, & virtutibus pollentes adscisceret, cum quibus non minùs ardua, quàm necessaria Ecclesiæ negotia, pro tempore occurrentia tractaret, & pensum cuique proprium laboris, & convenientiæ impartiretur.

Cardinales qualiter primitùs vocati?

Qui verò ad ejusmodi ministerium de libera Pontificum Maximorum voluntate, & arbitrio assumebantur, primitùs *Coadjutores* & *Collaterales*; deinde eminentiori titulo *Principales, Consiliarii*, ac denique *Cardinales* (à rerum cardine) nominabantur. Tales fuerunt apud B. Petrum Apostolorum Principem, & primum Christi in terris Vicarium Linus, Cletus, Clemens, Anacletus & Marcus Evangelista, aliiq; permulti, qui sacrorum laborum participes, Pontificatûs munia, & onus subierunt, & Coadjutores ac Consiliarii in re gerendâ & administrandâ fuêre. Qui licèt nomen Cardinalium, tunc temporis insuetum, nondum sortiti fuerant, munus tamen & officium genuinum, quod nunc Cardinales exercent, procul dubio præstiterunt.

Non multò autem post Evaristus, qui Ecclesiæ anno Domini 110. præfedit, Titulos in urbe Presbyteris ea lege & ratione divisit, ut unusquisque juxta Paræciæ suæ terminos à limitibus cæterorum distingueretur. Exactis abindè quadraginta circiter annis Hyginus Pontifex (tradente Damaso) Clerum composuit, & gradus hoc pacto distinxit, ut alii superiores, alii inferiores Presbyteri, & Diaconi haberentur; alii præessent, subessent alii, & quidam Cardinarii, seu Cardinales (cognomentô Præsidum Asiæ honoris gratiâ illis adjectô) reliqui autem simplices Presbyteri, & Diaconi Ecclesiæ Romanæ, non tamen Cardinarii, aut Cardinales dicerentur.

Præficiuntur Regionibus Urbis.

Erant autem tunc temporis Romæ Curatores Regionum Urbis sub Præfecto Urbis constituti, qui, quæ Regionis cujusque essent commoda, civiliter administrabant. Hos nostra ætas Capita Regionum appellat. Horum imitatione ad promovendam Religionem Christianam, prædicationem, Baptismum, & Eucharistiam administrandam septem primùm Diaconi septem Regionibus præfecti sunt. Totidem enim & non ampliùs ex quatuordecim Urbis Regionibus ab incendio Neroniano salvas & incolumes remansisse, præter nostros Cornelius etiam Tacitus attestatur. Primis igitur temporibus, non multò post Neronis Imperium, sicuti septem Curatores, aut Capita erant Regionum Urbis, civilia tractantes; ita totidem iisdem Regionibus Curatores præfecti sunt, (septem primores Diaconi

coni dicti) qui sacram Religionem consilio, zelo & opere promoverent, & vitâ, si opus esset, ex positâ pietatem tuerentur. Id quod ex Decretis Symmachi, Hormisdæ, Gelasii, ac Gregorii Magni, Pontificum, perspicuè elucescit. Quin & ante memoratos Pontifices S. Sylvester I. in Concilio Romano, intra Thermas Domitianas celebrato, septem Regiones fecisse, easque septem Diaconis, ad hunc sarciendum numerum ordinatis, divisisse, traditur à rerum peritis.

Nomina sua ab Ædificiis & Patrimoniis sortiuntur.

Origo igitur vera Cardinalium ex antiquis Curatoribus, seu Capitibus Regionum Urbis Romæ primitùs desumpta; atque ab Evaristo & Hygino, Sanctiss. Pontificibus inchoata; demùm à B. Sylvestro non tam instituta, quàm renovata credi potest. Porrò factum (suadentibus id aliis post Evaristum & Hyginum temporibus) ut se non ampliùs à Regionibus, quibus præerant, sed passim ab ædificiis, & à patrimoniis Ecclesiæ (à piis, potentibus, beneque nummatis viris, atque fœminis in subsidium Presbyterorum & Diaconorum legatis) discriminis causâ nuncuparent. Ex collationibus namque, legatis, & donationibus utriusque sexûs fidelium, maximè potentûm, non solùm comperimus Ecclesiam Romanam vehementer fuisse ditatam (ut & Ammianus Marcellinus Ethnicus lib. 27. attestatur) verùm etiam Presbyteros & Diaconos Cardinales, suos exindè titulos sortitos esse, prout quisque in ejusmodi domibus donatis vel habitabat, vel prædiis, aut aliis facultatibus relictis fruebatur. Hinc orti Tituli, *Equitii, Vestinæ, Pammachii, Lucinæ, Julii, Callisti, Damasi Papæ, Pastoris, Eudoxiæ, Æmilianæ, Crescentianæ, Fasciolæ, Tigridæ, &c.* quorum nonnulli temporum protractu sublati, nonnulli mutati, adjecti & aucti nonnulli, ut paulò mox de Titulis acturi, videbimus. Tituli autem hujusmodi (Ciaconio teste) nihil aliud erant, quàm redditus vel proventus ex villis, prædiis, fundis, aut agris redacti, & à piis, liberalibus sive viris, sive fœminis ad alendos Ecclesiæ Ministros relicti & assignati. In qua significatione dicitur aliquis ad Titulum sive beneficii, sive patrimonii ordinari, hoc est, ad redditus, qui vel ex beneficio, vel ex patrimonio in sustentationem ordinandi percipiuntur, assumi.

Qualiter illis adjecti sint Tituli?

Quando autem proventus legatorum copiosi, liberales & opulenti erant, tunc non unus duntaxàt Cardinalis, sed duo, vel tres, pluresve singulis Titulis præficiebantur. Titulo namque Julii unico tres in Actis veteribus subscripti Cardinales inveniuntur: videlicet *Paulus, Marcellinus, & Septimus.* Titulo Equitii totidem, nimirum *Felix, Sebastianus, & Adeodatus.* Titulo Vizantis

duo

duo, *Agatho* & *Asellus.* Hujusmodi autem forma tamdiu in Ecclesia Dei observata est, quamdiu Christiani intra Cœmeteria, Catacumbas, aliaque id genus loca occulta sese abdebant, Sacramenta administraturi Baptismi & Eucharistiæ ob metum Principum paganorum & sacrificulorum, qui in eos, tanquam superstitionis suæ hostes, solerti indagine inquirebant, ac deprehensos suppliciis, exilio, & morte varia mulctabant. Postquam autem Ecclesia, cessante persecutionum procellâ, sub Principibus Christianis nonnihil respirans cœpit libertate frui, atque adeò Oratoria, & Templa publica in suis Titulis, vel domibus legatis ædificare: tunc primùm Cardinales Titulis sanctorum Martyrum, etiam nomina Confessorum adjecerunt, ita se subscribentes: *Laurentius Presbyter Cardinalis S. Sylvestri in Exquiliis, Titulo Equitii. Joannes Presbyter Cardinalis sanctorum Vitalis, Gervasii & Prothasii, Titulo Vestinæ. Petrus Presbyter Cardinalis S. Mariæ Transtyberim, titulo Julii & Callisti.* & sic deinceps. Qui ordo in hæc usque tempora servatus est.

Cæterùm perpaucos fuisse titulos in exordio Ecclesiæ, constat ex Evaristo superiùs allegato, qui non nisi septem erexisse dignoscitur. At crescente postmodùm in dies singulos Fidelium numerô, Pontifices Evaristo per tempora succedentes, numerum septenarium usque ad XXVIII. auxerunt: qui numerus in Synodo Romana sub Symmacho Papa anno Domini 499. celebratâ invenitur descriptus. Consulatur desuper Augustinus Oldoinus in Additionibus ad Ciaconium in vita Hygini Papæ. Nostris hisce temporibus Presbyterorum Cardinalium Tituli sunt quinquaginta & unus: videlicet

Numerus Titulorum Cardinalium Presbyterorum.

1. Sanctæ Crucis in Hierusalem.
2. Sanctorum Petri & Marcellini.
3. Sanctorum Quatuor Coronatorum.
4. Sanctorum Joannis & Pauli.
5. Sanctæ Anastasiæ.
6. Sanctæ Sabinæ.
7. Sancti Stephani in Cœlio monte.
8. Sancti Clementis.
9. Sanctorum Nerei & Achillei.
10. Sanctæ Susannæ.
11. Sanctæ Pudentianæ.
12. Sancti Xysti.
13. Sancti Petri ad vincula.
14. Sancti Martini in Montibus.
15. Sancti Eusebii.
16. Sanctæ Priscæ.
17. Sancti Callisti.
18. Sancti Marci.
19. Sancti Marcelli.
20. Sancti Laurentii in Lucina.
21. Sanctorum XII. Apostolorum.
22. Sancti Laurentii in Damaso.
23. Sanctæ Balbinæ.
24. Sanctæ Cæciliæ.
25. Sancti Chrysogoni.
26. Sanctæ Praxedis.
27. Sanctæ Mariæ Transtyberim.
28. Sanctorum Quirici & Julittæ.
29. Sancti Joañis ante portam Latinam.
30. Sanctæ Agnetis in Agone.
31. Sancti Laurentii in Pane & Perna.
32. Sancti Thomæ in Parione.
33. Sancti Sylvestri in Campo Martio.
34. Sancti Pancratii.
35. Sancti Bartholomæi in Insula.
36. Sancti Matthæi in Merulana.
37. Sanctæ Mariæ de Ara Cœli.
38. Sanctæ Mariæ in Via lata.
39. Sanctæ Mariæ super Minervam.
40. Sanctæ Mariæ in Thermis.
41. Sancti Hieronymi Illyricorum.
42. Sancti Onuphrii in Janiculo.

43. Sancti Augustini.
44. Sanctæ Mariæ de Populo.
45. Sancti Alexii in Aventino.
46. Sancti Cæsarii.
47. Sanctæ Mariæ de Pace.
48. Sancti Salvatoris in Lauro.
49. Sancti Petri in Monte Aureo.
50. Sanctissimæ Trinitatis in Monte Pincio.
51. Sanctæ Mariæ Transpontinæ.

Sunt igitur Tituli Cardinalium Presbyterorum unus supra quinquaginta: illorum tamen unus, nempe S. Laurentii in Damaso, ex decreto Clementis VII. semper Vicecancellario proprius existit: unde fit, ut etiamsi Vicecancellarius ad Episcopi dignitatem assumeretur, aut Diaconus Cardinalis crearetur, non obstante hac nova dignitate, titulum S. Laurentii retineret, huncque tam diu, quàm diu munus Vicecancellarii exercet.

De Cardinalibus Diaconis, eorumq; Titulis & numero.

Post Presbyteros Diaconi Cardinales sequuntur, qui initio septem tantùm, singuli binis Urbis Regionibus præerant: horum primus lapsu temporis Archidiaconus, vel Diaconus Cardinalis, id est, Principalis dictus est. Cùm autem Fidelium numerus in dies augeretur, statutum fuit, ut in singulis Regionibus singuli essent Diaconi, & sic quatuordecim Diaconi electi. His, aliquot pòst annis, quatuor sunt additi à Gregorio III. Quorum erat Lateranensi Basilicæ ministrare, Romanoque Pontifici solemniter sacrificanti præsentes adesse: quare hi quatuor *Palatini* sunt dicti, quemadmodùm alii quatuordecim *Regionarii:* sicque numerus decimus octavus est expletus, quem soli Romanorum Pontificum Paulus III. & Pius IV. aliquando excedere reperti sunt. Sub primo namque, anno Christi 1545. Diaconi Cardinales novem & decem; sub altero verò, anno 1564. viginti quatuor simul vixêre. Diaconorum numerus, sicut & Presbyterorum, post Honorii II. Pontificatum, adeò diminutus invenitur, ut non nisi tres Diaconi Cardinales, unus Presbyter, vivi fuisse memorentur. Diaconias XVIII. Diaconis assignatas antiquitùs, his nominibus expressas scribit Oldoinus.

Tituli veteres Cardinalium Diaconorum.

1. S. Mariæ in Dominica.
2. S. Luciæ in Circo juxta Septisolium.
3. S. Mariæ Novæ.
4. SS. Cosmæ & Damiani.
5. S. Hadriani.
6. SS. Sergii & Bacchi.
7. S. Theodori.
8. S. Georgii in Velabro. (Græcæ.
9. S. Mariæ in Cosmedin, aliàs Scholæ
10. S. Mariæ in Porticu.
11. S. Nicolai in Carcere Tulliano.
12. S. Angeli in Piscina.
13. S. Eustachii juxta Pantheon.
14. S. Mariæ in Aquiro.
15. S. Mariæ in Via lata.
16. S. Agathæ in Equo Marmoreo.
17. S. Mariæ in Silice, seu S. Luciæ, aliàs Caput Suburræ, vel Orpheæ.
18. SS. Viti & Modesti in Macello Martyrum.

Quatuor Palatini Diaconi Cardinales haud multum temporis in Ecclesia durârunt: nam paulò pòst Presbyteri Cardinales sunt creati. Et Sixtus V. Diaconias ad antiquum numerum redigens, exuberantes hos quatuor titulos pænitùs suppressit, nimirùm;

Sancti Lucæ in Circo juxta Septisolium.
Sanctorum Sergii & Bacchi.
Sancti Theodori.
Sanctæ Mariæ in Silice, seu S. Luciæ.

De Cardinalibus Episcopis, eorumq; Titulis, & numero. Novissimi omnium Episcopi, nomen Cardinalis adepti sunt. Hi ex circumvicinis Civitatibus assumpti, Lateranensi, sive Constantinianæ Basilicæ eo fine assignati sunt, ut certis diebus, ac festis solemnioribus Romano Pontifici in eadem Ecclesia sacris operanti singuli assisterent. Erant autem hi numero septem: appellati Episcopi Cardinales, seu principales, quòd Basilicæ Lateranensis, & Romani Pontificis ministerio specialiter deputati essent. Vocabantur autem

I. Episcopus Cardinalis Ostiensis.
II. Episcopus Cardinalis SS. Ruffinæ & Secundæ, aliàs Silvæ candidæ.
III. Episcopus Cardinalis Portuensis.
IV. Episcopus Cardinalis Sabinus.
V. Episcopus Cardinalis Prænestinus.
VI. Episcopus Cardinalis Tusculanus.
VII. Episcopus Cardinalis Albanus.

De variatione numeri Episcoporum Cardinalium. Ex temporum verò variatione, numerum quoq; Episcoporum Cardinalium variâsse sciendum est: Paschalis quippe II. (qui Christi vices in terris gessit anno salutis 1099.) in pluribus per eum celebratis Cardinalium promotionibus, numerum Cardinalium ad nonagesimum perduxit: ex quibus Episcopi decem, Presbyteri quinquaginta, Diaconi triginta fuerunt, Platinâ affirmante in vita hujus Pontificis. His septem suprà enumeratis Episcopis, varias ob causas, alii additi: ut sub Leone IX. & Paschali II. *Episcopus Veliternus.* Sub Clemente III. Antipapa, & Urbano II. *Nepesinus* & *Labicanus.* Sub Paschali III. *Parmensis.* Sub Innocentio II. *Archiepiscopus Pisanus*, *& Episcopus Mutinensis, Ortanus, Tiburtinus.* Sub Leone X. *Reatinus*, & iterum *Tiburtinus.*

Nostris hisce temporibus Episcopi Cardinales nonnisi sex sunt; nam Ecclesia SS. Rufinę & Secundę (aliàs silvæ candidę) deficientibus propter crebras Barbarorum excursiones incolis, à Callisto II. Ecclesiæ Portuensi, & Veliterna ab Eugenio III. Ecclesiæ Ostiensi est adjuncta. Alias verò Ecclesias, Cardinales appellatas, hoc est, Episcoporum Cardinalium, illo honore à diversis Romanis Pontificibus denudatas lego.

Antiquissimus Episcoporum Cardinalium olim *Prior*, posterioribus autem temporibus *Collegii Decanus* est nominatus: re verâ tamen hodie non antiquissimus Episcoporum Cardinalium, sed qui Ostiensem Episcopatum per optionem obtinuit, *Decanus* dicitur: qui primum in sacro Senatu locum tenet, & pallio utitur Papam consecrando. Quem pallii usum obtinuit anno reparatæ salutis 336. sedente in throno Apostolico B. Marco Pontifice. Hujus pariter officium est, Imperatorem de mandato ipsius Papæ ungere: &, Panvinio teste, missam solemnem in Basilica Lateranensi celebrare.

Super-

Superest modò, ut de numero etiam Cardinalium in genere hoc loco breviter agamus. Qua in re sciendum est: numerum Cardinalium à primordio Ecclesiæ usque ad Sixti V. tempora nunquam fuisse stabilem aut definitum: sed pro temporum qualitate Romanorumq; Pontificum arbitrio modò exuberantem, modò diminutum, modò medium, ac nonnunquam minimum extitisse. Quindecim olim Cardinales propter Baptisma, sepulturasque fidelium fuisse asserit Archidiaconus apud Oldoinum. Sub Pontiano Papa, qui anno à Christo nato 238. sacris Christianis præfuit, ducentos triginta sex numeratos Cardinales tradunt nonnulli. Hos posteà ad numerum septuagesimum secundum à Pontiani successoribus reductos fuisse testantur itidem alii. Marcellus sub annum salutis 304. viginti quinque Purpuratos constituisse; Pius verò IV. eosdem suo tempore (teste Hieronymo Plato *de dignitate Cardinalium*) ad numerum septuagesimum sextum auxisse memorantur. Antonius Capycius affirmat vidisse se Cardinalium Collegium sexaginta duobus Patribus constitutum. Paschalis II. qui Christi vices in terris annis propè novem & decem gessit, repetitâ aliquoties Cardinalium creatione, hos ad numerum nonagesimum perduxit. Sedentibus autem Innocentio II. & Cœlestino II. Cardinalium numerus quadragesimum non superavit, exindè redactus ad trigesimum quintum; postmodùm ad trigesimum; dehinc ad vigesimum quintum; indè ad vigesimum; posteà ad decimum: demùm ex Cardinalibus tantùm octo Collegium sacrum constitisse, (quatuor scil. Presbyteris, totidemq; Diaconis) affirmant alii. Sub Nicolao III. qui unicâ promotione decem creavit Cardinales, numerus Purpuratorum denuò est auctus. A Pontificatu Bonifacii VIII. usq; ad Xysti IV. tempora non ampliùs quàm triginta fuisse Cardinales Paleottus affirmat. At Raphaël Volaterranus, dum gesta Urbani VI. recenset, qui intra Bonifacium VIII. & Xystum IV. sedit, ab hoc Pontifice unâ die viginti novem Purpuratos Patres primo numero additos fuisse testatum reliquit. Et Platina in fine vitæ ejusdem Urbani VI. scribit, in quatuor Ordinationibus quadraginta & octo Cardinales ab hoc Pontifice creatos fuisse. In Concilio Basileensi, ne Cardinales numerum vigesimum quartum excederent, sancitum fuisse testatur Lælius Zecchius. Ferunt alii Concilium Constantiense idem jam anteà decrevisse.

De numero Cardinalium in genere, & hujus numeri variatione.

Ut ut sit, hunc tamen numerum superârunt cum primis Sixtus IV. qui triginta quatuor Patres purpuratos in administratione universalis Ecclesiæ habuit: deinde Alexander VI. qui circiter

citer

Numerus Cardinalium à Sixto V. ad numerum septuagesimum determinatus.

citer quinquaginta; ac mox Leo X. qui sexaginta duos; Paulus porrò III. Paulus IV. Pius IV. & Gregorius XIII. qui majorem omnium numerum, post Pontianum, & Paschalem II. habuisse leguntur, nempe sex supra septuaginta: ut referunt Mosconius, & Hieronymus Platus. Nostris hisce temporibus Cardinalium numerus, ex Constitutione Sixti V., ad septuagesimum est determinatus: horum sex Episcopi sunt Cardinales; Presbyteri quinquaginta; Diaconi quatuor & decem. Ex his Presbyteri Cardinales omnium censentur antiquissimi: præerant illi Titulis, dicebanturq; Cardinales, quia Principales. Cùm enim in unoquoque Titulo plures essent Clerici, qui Sacramenta populis exhiberent, vel exhibentibus præstò essent, ut Presbyteri, Diaconi, Subdiaconi, is qui omnibus præerat, Presbyter dicebatur Cardinalis.

Cardinalium dignitas post Pontificiam prima censetur.

Suffecerint hæc ad notitiam originis, dignitatis, titulorum, & numeri Cardinalium; qui sensim ad tantum splendorem, tantamque auctoritatem pervenerunt, ut prima jam dignitas post Pontificiam Cardinalium in Ecclesia Dei habeatur; quippe qui soli in præsens futurum Papam suffragiis designent; & nemo nisi ex eorum senatu eligendus assumatur; quiq; Regibus ipsis ex alto dignitatis charactere fermè pares reputentur: *Notandum enim*, ait Pontificale Romanum, *quòd Cæsar antequam coronetur simplici diademate ornatus sedet post primum Episcopum Cardinalem; & si quis Rex adest, sedet post primum Presbyterum Cardinalem, &c.* Id quod Hæterodoxis ac Novatoribus usque adeò iniquum, ambitiosum & intolerabile videtur, ut propterea plaustra convitiorum in Ecclesiam Romanam exonerent, provitante eos maximè virulento Nicolao Clemangis Doctore Parisiensi in proscripto suo & infami libello *De corrupta Ecclesiæ statu cap. 10.* sed ringatur invidia, floreat Ecclesia, quam Dominus super Reges & Regna constituit.

Authores, qui de Cardinalibus scripsere.

Plura de origine, officio, dignitate, titulis & numero Cardinalium volentibus adeundos suadeo Baronium *in Annal. Ecclesiast. ad annum 158.* Panvinium libro *de 7. Urbis Ecclesiis.* Bellarminum *lib. 1. cap. 16. de Clericis.* Turrecrematam *c. 80. 81. & 83 in Summa Ecclesiæ.* Zecchium *de Repub. Eccles. n. 9.* Manfredum *de Cardinalatu. q. 9.* Villadiegum *de Orig. Potest. & Dignit. Cardd.* Moterium in verbo *Cardinalis.* & Jacobum Hoffmannum in suo Lexico Historico: hic tamen Author utpotè reformatæ religionis, ob varia quæ immiscet falsa, ab hostibus Romanæ Ecclesiæ excogitata, cautè legendus, & in multis explodendus.



INDEX NOMINUM, VERBORUM, AC Rerum memorabilium in hoc Primo & Secundo Libro contentorum.

Episcopus

B

Cardi-

D.

E.

Humbertus

Joannes


P.

stem

R.

S.

F I N I S.



COMMONITIO AD LEGENTES.

MOnendi ſunt, qui legent hos duos libros, ne vitio mihi vertant, ſicubi viderint literas nonnullas perperàm locatas: id enim neceſſariò accidit, dum ipſi opifices (qui libros formis excudunt) in rem ſuam attentiores complura paſſim pervertunt, aut temerè poſtponunt: quo fit, ut quædam literæ egrediantur de præſcripto, aliæ interdum ſubſiſtant; & ſic non modò Lectori confuſionem, ſed & Authori præjudicium creent. Qui ſunt paulò doctiores perfacilè hac agnoſcunt, atque etiam inter legendum corrigunt in communem ſtudiorum utilitatem: ad eos provocamus; & ut id abſque difficultate promptè præſtare poſſint, hanc mendorum Tabulam eorum oculis ſubjiciendam duximus.

Fol.	Lin.	Mendum.	Emendatum.
6.	7.	exuerere	exurere
28.	19.	1409.	1049.
33.	13.	CASNENSI	CASSINENSI
34.	2.	cum poſt facta	eum poſt fata
42.	10.	hinc	hunc
46.	23.	prorum	piorum
49.	28.	*Explorates*	*Exploratores*
53.	39.	latinitantem	latitantem
78.	35.	num. 39. & 68.	num. 40. & 69.
91.	37.	Cantuarienſem	Cantuarienſi
91.	41.	magi	magis
99.	12.	ditione	ditioni
110.	23.	mortalitem	mortalitatem
124.	36.	excitat	excitet
139.	15.	Gregorio IV.	Gregorio IX.
140.	33.	adminiſtet	adminiſtret
143.	3.	diturnasque	diuturnasque
146.	44.	*exporti*	*experti*
149.	31.	auctoritatem	auctoritatum
178.	25.	effudit	effudit
185.	35.	imputante	impugnante
187.	24.	liberatis	libertatis
188.	2.	Becceriam	Beccariam
192.	41.	gerere	genere
193.	33.	Purpatorum	Purpuratorum
195.	39.	oblitis	obitis
196.	37.	*Quodliberrorum*	*Quodlibetorum*
197.	11.	superites	ſuperſtes
212.	5.	hilarique	hilarique animo
225.	12.	infignii	inſigniis
225.	19.	invenibus	juvenibus
230.	11.	adinimadvertentes	animadvertentes
236.	34.	*honorat*	*honorat*
242.	25.	invervallo	intervallo
250.	14.	satis	Fatis
262.	46.	repetum	repetam
266.	34.	detacchabantur	debacchabantur
280.	38.	*Partum, ſpoletum*	*Pratum, Spoletum*
288	3.	beneficiis	beneficii
290	2.	in	ni
294.	20.	puæ	quæ
301.	22.	oopæ	nuptæ
303.	42.	*quamquam*	*quamque*
307.	19.	dedicta	dedita
311.	2.	excruerant	exercuerant
312.	44.	laborant	laborabant
313.	30.	cognominia	cognomina
314.	25.	eas	eos
315.	32.	ſeniora	ſaniora
316.	19.	quorsus	prorſus
316.	44.	ſpoddebat	ſpondebat
329.	6.	vocai	vocant
329.	24.	conſtniſſet	conſtituiſſet
333.	40.	ſua	ſui
343.	29.	Anglicana	Angelica
348.	10.	noatrunt	notarunt
348.	13.	detrectaverit	retractaverit
372.	8.	eqitum	equitum
375.	48.	obennda	obeunda
379.	8.	libetaret	liberaret
384.	2.	ab, nepos	abnepos
384.	38.	in	è
384.	42.	ſaluberrimus	ſaluberrimas
388.	32.	rempore	tempore
392.	10.	motis	moris.
394.	3.	temporis	temporalis
394.	44.	mututtos	mutuatos
400.	10.	inſoper	inſuper
409.	6.	*gradævum*	*grandævum*
432.	37.	fructus	functus
437.	12.	ſedpere	ſerpere
438.	41.	perceſſus	percuſſus
450.	7.	Religionis	Religioſis
455.	34.	concameratus	concameratos
462.	29.	ingennus	ingenuus
477.	27.	deprædicationes	deprædationes
491.	48.	vliſſimis	viliſſimis
496.	38.	impetiri	impertiri
506.	47.	invadia	invida
511.	15.	altatis	altaris
513.	5.	ſubſcibentem	ſubſcribentem
513.	35.	Euphratem	Euphrates
516.	47.	Inducerent	induerent

NB.

Ubi hos duos primos PURPURÆ DOCTÆ libros Lectoribus placere, & probari cognovero; reliquos quatuor typis maturos, materiâ ut uberiores, sic & lectu jucundiores mox evulgabo.


PURPURÆ DOCTÆ
LIBER I.

Continens Vitas Centum, & unam

S. R. E.

CARDINALIUM

Qui Ingeniô, Doctrinâ, Eruditione, Scriptis, Libris editis, &c. ab Annô DXL. usque ad Annum M. CC. LXXXV. floruêre.



ANNO CHRISTI 540.

SEDENTE VIGILIO PONT. MAX.

De

ARATORE S.R.E. CARDINALE.



RATOR, quem perperàm minùs eruditi Aratum nominant, natione Italus, Patriâ non Ravennas, nec Mediolanensis, ut quidam per errorem opinati sunt, sed Ligur, atque in ipsâ Liguriâ institutus, eruditus, & Causidici officiô aliquamdiu functus, legationes varias, easque per honorificas ad diversos Principes, præcipuè tamen ad Theodoricum Gothorum Regem pro Dalmatis magnâ cum laude non semel obiit. Clericalis postmodùm vitæ desiderio ardens, relictâ Aulâ Ecclesiæ mancipatus est sedente in Soliô Divi Petri Vigilio Romano Pontifice, à quo propter eminentem doctrinæ & Virtutum præstantiam S.R.E. Cardinalis Subdiaconus, renunciatus hexametris versibus *Acta Apostol.* duobus voluminibus conscripsit, interpositis innumeris miræ elegantiæ Allegoriarum floribus, quos libros Venerabilis Beda Presbyter in unum postea colligens, Commentarios suos in *Acta Apostolorum* eorum elegantiâ per quàm venustè exornavit. Hos primò Floriano Abbati, ut ex ipsius Elegiis patet; deinde Vigilio Pontifici Maximo obtulit, quorum volumen Librorum, cum Arator ipse Vigilio ante Confessionem S. Petri septimo Idûs Aprilis annò salutis 541. in magnâ Episcoporum & sacerdotum coronâ obtulisset, idipsum clarâ voce coràm omnibus recitare à Pontifice est jussus: sed cum jam horæ tempus præteriisset, nec liber eô dumtaxat spaciô ex integrò absolvi potuisset, Vigilius Codicem Surgentio Primicerio Notariorum interim custodiendum tradidit, donec aliud relegendò operi spacium ab ipso præfigeretur. I.

Legatione fungitur ad Theodoricum Gothorum Regem, aliosq́ diversos Principes.

Acta Apostolorum heroicò carmine describit.

Id ipsum Opus publicè recitare jubetur à Vigilio Pontifice.

Verùm mox alterâ die instantibus apud Pontificem sedulò plerisque piis, ac doctis Viris, ut iidem libri denuò coràm omnibus relegerentur, annuente Pontifice, in Ecclesiâ S. Petri ad Vincula

cula in Exquiliis erectâ, in magnâ doctissimorum hominum frequentiâ, ipso Aratore distinctis verbis recitante, quatuor vicibus sunt auditi, cum uno tantùm die vix unius libri dimidium legi posset ob assiduas repetitiones, quas Auditores faustis, crebrisque acclamationibus expetebant. Operis initium est tale:

Operis initium.

Ut sceleris Judæa sui polluta cruore &c.

Idipsum opus, tot elogiis ab Italis celebratum, in Galliam postea misit ARATOR ad Parthenium familiarem suum, ut ibi ejus operâ in publicum ederetur; qua de re præclara in Codice Rhemensi Monachorum S. Remigii extat Auctoris ad ipsum Parthenium elegiacis versibus Epistola, quam, utpote typis non editam priùs, Jacobus Sirmundus Soc. Jesu in Notis ad Ennodium sub finem publicavit.

De hôc insigni Poëta, ejusque præclarô Volumine hos habet versus Venantius Fortunatus:

Sortis Apostolicæ quæ gesta vocantur & Actus,
Facundo eloquiô Vates sulcavit Arator.

Referunt quidam Ennodium Episcopum Patavinum, Aratori contemporaneum, & familiarem, ipso ejus natali die, hoc ad Eum disticon dedisse:

Jure colis proprium natalem pulcher Arator,
Quem si non coleres, nunquid Arator eris?

Obitus ejus certus assignatur.

Fato cessit ARATOR annô à Christi Nativitate 556. Sextô decimô, seu ultimô Pontificatûs Vigilii anno: Utriusque Imperii habenas moderante Justiniano I. Augusto Cæsare: Ita monumenta Vaticana. Unde audiendi non sunt illi, qui obitum ejus, nullo nixi fundamento, ad ad annum 560. vel etiam 562. prorogant: cum nulla ejus solida memoria, post dictum 556. annum, apud probatos Authores extare dignoscatur. Ferdinandus Ughellius Abbas Cisterciensis, imitatus Trithemium, affirmat illum Monachum fuisse S. Benedicti. Ego tamen cum Augustino Oldoino S. J. accuratissimo rerum, ac temporum censore, dubito an unquam inter Monachos vixerit? nam illum (vivente adhuc D. Benedicto, qui ad Superos migravit anno redempti Orbis 543.) ex Forô ad Aulam, ex Aulâ ad Ecclesiam Romanam transiisse; atque in eâ ad obitum usque, nullâ Status Clericalis cum Monachali factâ mutatione, permansisse, perspicuum, exploratumque est Aubertô Miræô, & aliis, non spernendæ notæ Scriptoribus.

Dubium an Monachus fuerit.

Justiniano Imp. condendi Codicem Juris Author nonnullis fuisse creditur.

Sunt qui scribant (incertâ tamen fide) Aratorem jussu Vigilii, Legatione ad Imperatorem Justinianum functum, Eidem inter alios præstantissimos Viros authorem fuisse, Jus Civile in eum ordinem redigendi, quo nunc utimur, electis ad id negotii decem Legum peritis Viris, qui Codices Gregorianum, Theodosianum, & Hermogeneum in unum contraherent, Legesque per duo millia Voluminum dispersas, in quinquaginta saltem compingerent, unde Codex Digestorum, vel Pandectarum ortus. Porrò 4. Libros Institutionum, qui textum omnium Legum succinctè continerent; & Codicem Novellarum, quibus novas à se latas Imperator complexus erat, componendi. Hæc, inquam, quorundam circa Ara-

torem

torem allerta, non omnibus probantur, à doctioribus verò, ut falsa penitùs & suppolititia rejiciuntur. Ego in re dubiâ, minimeque exploratâ, nulli partium deferens, Lectori liberum sentiendi judicium relinquo.

Scripsit Arator, ut diximus, Heroicô versu Libros duos in Acta Apostolorum.

Epistolam item insignem, & doctam ad Vigilium Pontificem, Constantinopoli tum agentem, teste Ludovicô à Carolô.

Ejus meminère Cassiodorus lib.8. Variarum Epistol. Sigbertus, Trithemius, & Bellarminus, omnes de Script. Ecclesiasticis. Uvion lib. 2. Ligni vitæ. Jacobus Sirmundus in Notis ad Epist. Ennodii lib.8. & 9. Miræus in Bibliothecâ Ecclesiasticâ, Morerius in Diction. Histor. & alii.

ANNO 590.

SEDENTE S. GREGORIO MAGNO, PONTIF. MAXIMO

De

B. PETRO MONACHO ROMANO
S. R. E. CARDINALE.

PETRUS nobilis Romanus, Vir ab ineunte ætate, sanctitate, doctrinâ, eloquentiâ, & morum gravitate insignis, spretis mundi vanitatibus, ac opulentô in pauperes erogatô patrimoniô, Monasterium Divi Andreæ in Urbe ingressus est circa salutis annum 562. Is à primævô ætatis flore, ob miram virtutum eminentiam, vitæ, morumque innocentiam Gregorio Magno præ primis charus, intimaque familiaritate, & amicitiâ conjunctus extitit, ut ipsemet in exordiô Dialogorum suorum aperit his verbis: *Quadam die nimiis quorundam sæcularium tumultibus depressus, quibus in suis negotiis plerumque cogimur solvere etiam, quod nos certum est non debere, secretum locum petii amicum mærori: ubi omne, quod de meâ mihi occupatione displicebat, se patenter ostenderet; & cuncta, qua infligere dolorem consueverant, congesta, ante oculos licenter venirent. Itaque cum afflictus valde, & diu tacitus sederem, dilectissimus filius meus, Petrus Diaconus affuit, qui mihi à primævô juventutis flore in amicitiis familiariter obstrictus est, atque ad sacri verbi indagationem socius &c.* Hunc Gregorius, mox ut ad summum Apostolatûs apicem assumptus est, in primâ Cardinalium creatione, ex Monachô, S.R.E. Diaconum Cardinalem renunciavit; eidemque præter alia insignia munia, disseminandi in Urbe verbi divini provinciam commisit, quòd ad id muneris, utpote sanctô Spiritu repletus, ut ipse affirmat, omnium maximè idoneus haberetur. II.

Romæ divino se Famula tui mancipat.

Gregorio Magno à primâ ætate intimâ familiarite conjunctus.

Renunciatur Diaconus Cardinalis & variis muneribus præficitur.

Cum verò, Gregoriô vitâ functô, Sabinianus in Pontificatu Successor, virtutum ejus gloriæ invidus, maximis Defuncti famam calumniis impeteret; actaque ejus, & opera quaqua versùm immodicis verbis proscindendo, eò denique exlegi dementiâ prorueret, ut Scripta illius sanctissima ex hominum memoriâ abolere, atque

Sabiniano Pontifici Gregorii Adversario fe, opponit.

atque adeò publico igni committere constitueret: consurgens Dei monitu Petrus, seque, ne id fieret, quasi murum opponens, malesanos invidiæ conatus, in hæc verba compescere annisus est: *Ad obliterandam beatissimi Gregorii memoriam, impiam librorum exustionem nihil proficere, quorum jam exemplariâ, diversis petentibus, mundum universum penetrâssent. Porrò immane sacrilegium, & scelus plusquàm barbarum esse, talis, ac tanti Patris Libros exurere, super cujus lucubrantis caput Spiritum Ipse sanctum in similitudinem columbæ frequentissimè conspexisset. Desisterent proinde ab execrabili facinore, ni vindicem irati in se Numinis manum experiri mallent.* At cum populus, incitante maximè Sabinianô ejusque asseclis, ab incœptis ne sic quidem desistere vellet: in hanc denique cum iis conditionem Petrus, divinô afflatus spiritu, convenit; ut si, quod dixerat jurejurando confirmans, mori continuò meruisset, ipsi à Librorum exustione, miraculô territi, abstinerent; sin verò superstes suo testimonio extitisset, ipse quoque combustoribus manus daret. Itaque Vir sanctus invocatô divini Numinis auxiliô, cum Evangeliis in ambonem ascedens, Librosque Gregorii cœlesti dictamine conscriptos iteratò affirmans, placidum Deo spiritum, inter veræ confessionis verba, efflavit duodecimâ die Martii, ipsi S. Gregorio anniversariâ, salutis anno 605. Quo stupendô, maximeque memorabili factô existimari vix potest, quantùm præclaris Gregorii monumentis fidei, gloriæ, atque auctoritatis adjecerit Vir Dei amore, & proximi charitate consumptus. Cum verò sacri ejus post obitum cineres, maximis in dies signis (Deo mirabiliter Veritati & innocentiæ testimonium dante) coruscare cœpissent, ipse non multò post solemni apotheosi, tanquam egregius Veritatis Confessor, inter Divos relatus, fastisque Ecclesiæ adscriptus memoratur.

S. Gregorii scripta ab igne liberat.

Admirandâ morte vitam concludit.

Divinis fastis adscribitur.

De eo agunt Ciaconius in Vitâ. Uvion lib. 2. Ligni Vitæ, cap. 8. Joannes Diaconus in Vitâ. Ferdinandus Ughellius in additionibus ad Ciaconium. Martyrologium Monasticum. & alii nonnulli.

ANNO 844.

SEDENTE SERGIO II. PONTIFICE MAXIMO.

De

AMALARIO FORTUNATO S.R.E. CARDINALE.

III.

AMALARIUS FORTUNATUS (cujus nomen ab Auctoribus non unô, sed variô scribitur modô, quidam enim Eum Amelarium, quidam Hamularium, quidam Amalharium, optimi tamen Amalarium nominant) Vir probatis ab ipso vitæ exordio moribus, Patriam, parentes, & genus habuit à Germanis, utpote Treviris non ignobili genere natus. Ita passim Scriptores de Germaniâ benè meriti contra Gallos quosdam Eum sibi malè vendicantes. Germanis adstipulantur, quotquot de Cardinali-

Nascitur Treviris.

dinalibus ingenuè scripsêre, Gallorum Testimonia ut suspecta & falsa rejicientes. Adhuc Puer, priusquàm Monasticum D. Benedicti in Luxoviensi Cœnobiô institutum amplecteretur, ex patriâ Constantinopolim fraude cujusdam deceptoris delatus, annos ibi duos cum egestate conflictans, transegit. Exinde nactus opportunam in patriam revertendi occasionem, beneficiô Navis onerariæ transvectus est in Germaniam; ubi non diu subsistens, vitæ solitariæ desideriô incensus, Luxovium concessit, ut eò loci Deo dicatus, sacris litteris, divinæ contemplationi, salutique propriæ opportuniùs, liberiusque vacaret. In familiam sacram admissus, non modò progressu temporis in sæcularibus & divinis litteris in celeberrimâ illâ eruditorum Virorum Palæstrâ doctissimus evasit, sed sanctarum etiam Virtutum ac operum præstantiâ usque adeò inter eos enituit, *ut humilitate dejectus* (loquor cum Augustino Oldoino) *pietate sincerus, moribus incorruptus, orationis ac jejuniorum instantiâ continuus, Psalmodiâ sedulus, vigiliis assuetus, contemplatione sublimis, fide integer, spe firmissimus, charitate fervidus, beatam dum quæreret vitam, beatam ageret.*

Asportatur Constantinopolim per fraudem.

Redux in Germaniam Luxoviense Monasterium ingreditur.

Amalarii præclaræ Virtutes.

Luxoviô digressus, Flaccum Albinum, Virum omni genere virtutum & doctrinarum excultissimum, ac sanctitate conspicuum, intelligendi ac dicendi Præceptorem habuit Turonis in insigni S. Martini Cœnobio, quo duce ac doctore tam mirificos brevi quâcunque in facultate hæbraicâ, latinâ & græcâ fecit progressus, ut nulli suâ ætate secundus haberetur, quemadmodùm præclara ejus ingenii monumenta, posteris in fidem relicta, satis superque demonstrant.

Flaccus Albinus Amalarii Magister.

Eapropter S. Leo III. quum Romanæ Ecclesiæ clavum regeret (ut multi scribunt) ipsum anno ferè octingentesimô & sui Pontificatûs quintô S. R. E. Cardinalem; & annis postmodùm quatuor elapsis, Trevirensium sedis Archipræsulem, ac Galliæ Belgicæ Primatem declaravit, quibus dignitatibus auctus, summô ipsis, quò ad vixit, ornamentô fuit & emolumentô.

Renunciatur à Leone III. Archiepiscopus Trevirensis.

Carolus Magnus, cum Aquisgrani esset, æquus tanti Viri æstimator, ad confirmandam cum Michaële Imperatore pacem Eundem cum aliis primæ notæ Viris Legatum destinavit Constantinopolim. Quò cum pervenisset, non Michaëlem cognomentô Curopalatem, (è vitâ enim ille paulò ante excesserat) sed Leonem Armenum, Michaëlis Successorem invenit; à quo expositâ Legationis causâ benignè auditus, rebusque ex sententiâ compositis cum honore dimissus, annô sequenti, qui fuit Christi 814. salvus & incolumis Aquisgrani appulit, ubi non amplius Carolum, eodem annô è vivis sublatum, sed filium Ejus Ludovicum in Imperio Successorem offendit. Quæ res illi summi mœroris, ac multarum causa lacrymarum extitit, quemadmodùm nonnullæ ejus litteræ ad diversos in hanc rem exaratæ testantur.

Legatus Constantinopolim mittitur à Carolo Magno.

Et ut juxta temporis rationem Amalarii piè acta litteris commendemus, conscripsit ille magnâ eruditione quatuor insignes Libros *de divinis Officiis*; seu *de divinis Sacramentis*, vel de *Ecclesiastico Officio*, quos ille suo nomine *officiales* appellat. Hisce Libris tres annexuit

Libri de divinis officiis ab eo scripti, malè à non-

nullis Amulario Metensi Diacono attribuuntur. nexuit præfationes ad Ludovicum Pium Imperatorem, quorum meminit Sigebertus Libro de Viris Illustribus; Berno Augiensis Abbas Libro de Rebus ad Missam spectantibus; Radulphus Tungrensis Libro de Canonum observantiâ; & Joannes Trithemius de Scriptoribus Ecclesiasticis. Hosce Libros unà cum aliis hujus generis Scriptoribus, Melchior Hitropius Coloniæ anno 1568. excudendos curavit, deinde anno 1589. Parisiis Margarinus de la Bigne Tomo Sexto Bibliothecæ Patrum inseruit; Ex quo Constantinus Cajetanus Congregationis Cassinensis Monachus Honorium Augustodunensem errasse affirmat, dum istos, quos de divinis Sacramentis ipse vocat libros, alteri cuidam Amulario Metensi Episcopo attribuit: *Scriptum*, inquit, *potiùs dixerim Metensis, loco Trevirensis, Amanuensium errore, ac eò maximè, cum Metensium Ecclesia nullus, qui Amalarii nomine diceretur, Episcopus præfuisse habeatur; ut ex ejusdem Ecclesiæ monumentis Antonius Demochares in Catalogo Metensium Episcoporum recenset.* Aubertus Miræus in Bibliothecâ Ecclesiasticâ in Scoliis ad Honorium Augustodunensem hæc habet: *Amalarius Metensis Ecclesiæ Diaconus Ludovici Pii jussu libros quatuor de divinis officiis contexuit; quos quidem libros Amalario Fortunato Trevirensi Episcopo hactenùs falsò Typographi attribuerunt. Amalarius porrò, ut dixi, Diaconus fuit, quem Honorius Augustodunensis capite tertio Episcopum Metensem non rectè appellat.*

Atque his Miræus satis fecisse sibi videtur Cajetano dicenti nullum unquam Metensium Ecclesiæ Amalarium præfuisse. Sed quidquid sit, an Amalarius Metensis Episcopus, an Diaconus fuerit illius Ecclesiæ, contra Miræum, ac novissimè contra Ludovicum Morerium, Miræi sequacem, sentio cum Bellarminô, aliisque doctissimis Viris, qui dictos quatuor libros non Amalario Metensi, sed Trevirensi, ut auctori attribuunt. Laudati Bellarmini, ut cæteros taceam, suffecerint verba, quæ hic exscribo: *Amalarius Fortunatus*, inquit ille in libro de scriptoribus Ecclesiasticis, *Episcopus Trevirensis floruit tempore Ludovici Pii Imperatoris, cui libros suos dedicavit. Scripsit libros quatuor de Ecclesiasticis officiis. Item librum de ordine Antiphonarii, in quo se missum fuisse testatur à Ludovico Imperatore ad Gregorium IV. Pontificem* hæc ille.

Exquo constat Amalarium à Ludovicô Caroli Magni filiô, & Successore ad Gregorium IV. Pontificem, ea de causâ Legatum Romam fuisse missum, ut quod ad suum de Ecclesiasticis officiis opus deesse videretur, à Romanâ perdisceret Ecclesiâ, & ut Antiphonario à se concepto, eundem, quem Romana servat Ecclesia, ritum & ordinem inscriberet. Certè Gregorius piis Amalarii postulatis annuens, eidem dedit Theodorum S. R. E. Archidiaconum, Virum rerum Ecclesiasticarum in paucis peritum, qui eum de omnibus, quorum illi scire intererat, admoneret; ac in singulis dilucidè ingenuéque instrueret.

Alia Amalarii opera recensentur. Composuit etiam doctum de septuagesimâ Libellum, sicut & unum de Missæ officiô: de sacramentô Baptismatis, aliaque id genus opuscula plura. Johannes Trithemus aliud insuper à Beatô Amalariô scriptis editum opus refert, quo variæ ejus Epistolæ ad diversos datæ continentur.

Mor-

Mortuorum præterea Officium omnium primus collegit, ordinavit, ac instituit, ut divinæ preces pro fidelibus defunctis perpetuò haberi possent. Hanc postmodùm defunctorum Officii institutionem Sancta Dei Ecclesia, piis fidelium Manibus opem & suffragium latura, non modò Auctoritate Apostolicâ commendavit & appobavit; sed & in usum communem & praxim ubivis gentium & locorum fidelium redegit. Ex quibus illorum error, qui S. Odiloni Cluniacensium Abbati, non Amalario Fortunato, hujusmodi laudem attribuunt, manifestè apparet. Sanctus namque Odilo (ut Martirologii Romani auctoritate, B. Petri Damiani, aliorumque attestationibus, ipsiusque S. Odilonis Decretô edocemur) Solemnem illam omnium fidelium defunctorum Commemorationis diem celebrandam quidem decrevit, non tamen ipse, sed Amalarius mortuorum Officium ordinavit.

Officium defunctorum Amalario asseritur.

Ejusdem Amalarii diligentiâ Ecclesiasticis Officiis, Cæremoniis, ac Ritibus non pauca accessisse, ex ejus scriptis ita compertum est, ut dubitari nullatenùs possit. Observantissimus enim divinorum Rituum ac Officiorum inspector, ad Dei laudem & gloriam, ac sanctæ illius Ecclesiæ decorem & utilitatem plurima rimatus est, multa etiam emendavit, restituit, ac composuit. Quæ omnia postmodùm luci publicæ (magno rei Christianæ commodo) donata fuêre.

Verùm non solùm egregius, assiduusque divinæ cultor doctrinæ extitit Amalarius, quò ad vixit; sed & illarum præcipuè Virtutum, quæ hominem undique perfectum reddunt, vereque beatum constituunt. Seipsum enim indesinenter jejuniis, vigiliis, orationibus, aliisque similibus tum corporis, tum animi afflictionibus macerans, reliquum vitæ suæ tempus, vel sacris meditationibus, vel concionibus habendis, vel divinarum scripturarum lectionibus, & lucubrationibus impendebat. Beatissimam verò Dei genitricem Mariam, aliosque regni cælestis Incolas tantô studio, cultu, & amore prosecutus est, ut horum venerationi & obsequio à naturâ factus videretur.

Amalarii Vita austera, Virtutes.

Joannes Cochlæus Norimbergensis, qui Catholicæ fidei adversùs Lutheranos, aliosque hujus farinæ sectarios, & refractarios ante ducentos propè annos acerrimus extitit Propugnator, ad Gregorium Leodiensem Episcopum scribens, insignem Amalarii nostri sanctitatem, atque doctrinam hiscè innuit verbis: *Superbis Novatoribus istis, & Ecclesiæ contemptoribus in rebus fidei & religionis longè periculosiùs creditur hoc tempore, quàm sanctis & antiquis Ecclesiæ Doctoribus, quorum vita & doctrina vero Christi Evangelio in omni pietate & sinceritate respondit. Inter quos sanè Patres Amalarius Trevirensis olim Episcopus primum hic tenet locum, qui permagna valuit auctoritate sub piô & victoriosô Principe Carolô Magnô, ejusq. Filiô Ludovicô Piô.* Et paulò inferiùs hæc subjungit: *Hunc igitur vetustum priscæ fidei, ac veræ pietatis testem, Ecclesiæq. Doctorem, qui non solùm Treviris, sed & Romæ, atque Constantinopoli personaliter constitutus, summis Principibus & Patriarchis venerabilis extitit, mirentur, & imitentur omnes Ecclesiæ Dei Præsules, Rectores ac fideles &c.*

Laudatur à Joanne Cochlæô adversùs sectarios.

Referuntur diversæ opiniones circà obitum Amalarii.

At quo anno Amalarius hic noster obierit, cum Scriptores non solùm non ingenuè prodant, sed mirum in modum inter se etiam concertent & dissentiant, difficilè sanè cognitu est. Aliqui enim dilectum hunc Deo Virum non longè ab anno salutis 814. alii è contrariò anno 833. mortalem hanc vitam cum cælesti commutasse scribunt. Verùm cum (ipso Amalario teste) post annum salutis 833. in humanis ipsum egisse clarissimum sit, illius obitum ad præfatos annos citra errorem referre minimè possumus. Joannem sanè Trithemium, Virum alioqùi eruditissimum, mirari satis non possum, quicùm uno in loco B. Amalarii temporis rationem recensens dixisset: *Claruit sub Carolo Magno, & Ludovico ejus filio Anno Domini* 830. alibi tamen prioris asserti immemor de eodem scriptum reliquit: *moritur sub Ludovico Pio Imperatore Anno Domini 813. indictione sextâ, Episcopatus sui Anno circiter decimo sextò.* Quis hæc duo unius ejusdemque Auctoris asserta facilè combinaverit? crediderim potiùs Amanuensis, vel Typographi incuriâ luculentum hunc errorem in Trithemii scripta irrepsisse.

Arnoldus Wion hunc Dei Virum anno Christi 830. Cardinalem; & anno 835. Archiepiscopum Trevirensem creatum, atque anno 851. obiisse refert. Ego inter has Scriptorem diversas, nimiumque dissitas sententias, medium secutus, dico cum Augustino Oldoino S. J. Amalarium floruisse circa annum 840. & cum incertum sit, quo tempore è vitâ excesserit, aut à quo Romano Pontifice Cardinalium cætui adscriptus fuerit (nam Leonem III. aliqui, alii verò Gregorium IV. rursumq alii Sergium II. ejus purpuræ Auctorem faciunt) ego, inquam, in re incertâ ut certum illi locum statuam, eundem sub Sergio II. constituo, sub quo & mortuum circa salutis annum 846. credo.

Quò tempore obiisse credatur.

Ejus meminère Sigebertus in Chronico. Broverius in Annalibus Eccl. Trevir. lib.3. Aubertus Miræus in Scholiis ad Honoratum Augustodun. Morerius in Dict. Magno Hist. Augustinus Oldoinus in addit. ad Ciacon. aliique.

ANNO 873.

SEDENTE JOANNE VIII. PONTIF. MAXIMO

De

JOANNE CASSINENSI S. R. E. CARDINALE.

IV.

Vitam Gregorii Magni 4. libris comprehendit, eamq; Joanni VII. nuncupat.

JOANNES, cujus genus & Patriam ignoramus, Cassini in monte Regulam Divi Benedicti professus, & à Joanne VIII. numero Cardinalium Diaconorum adscriptus, Libros quatuor de Vitâ S. Gregorii Magni Papæ edidit, in quibus res ejus præclarè gestas accuratissimè prosecutus, magnam apud Posteros laudem collegit. Leguntur autem præfixi Operibus ejusdem S. Gregorii. Sigebertus de Scriptoribus Ecclesiasticis asserit, ad Joannem VII. Romanum Pontificem hos libros de vitâ S. Gregorii, urbanô stylo scripsisse Joannem. Robertus verò Bellarminus, & alii passim,

passim, non Joanni VII. Sed Octavo hos ipsos Libros nuncupâsse contendunt. Scripsit etiam, teste Ludovico Jacobo à S. Carolo in Bibliothecâ Pontificiâ, gesta S. Clementis Primi, Papæ & Martyris.

Nonnulli, Joannem hunc Diaconum confundunt cum Paulo Diacono ejusdem Instituti monacho, eidemque, sed perperàm, hujus Opera attribuunt. Fuit Joannes Cardinalis Anastasio Bibliothecario, Viro græcè & latinè apprimè docto, in paucis charus, & familiaris. Unde in gratiam Joannis, Historiam Ecclesiasticam meditantis, plurima è græcis latina reddidit Anastasius. Ex quibus non pauca Jacobus Sirmundus S. J. anno Salutis 1620. Lutetiæ Parisiorum publici juris fecit. *Perperàm cū Paulô Diaconô confunditur.*

Si Heiberto Rosweido credimus, Joannes hic S.R.E. Cardinalis Diaconus, electus est Romanus Pontifex anno salutis 873. dictusque Joannes VIII. Hanc tamen Heriberti sententiam omnes, quos vidi sacrarum Historiarum Scriptores, ut erroneam rejiciunt cum Bellarmino: Si enim hic Joanni VIII. Libros suos dicavit, uti extra dubium est, non igitur ipse electus Romanus Pontifex, dictus est Joannes Octavus. De ejus obitu nihil certi apud Scriptores invenitur; conjectura tamen non improbabilis est, Illum circa annum 879. vel 880. decessisse. *Sententia Heriberti Rosweidi circà Joannem rejicitur.*

Ejus mentionem faciunt Sigebertus in Chronico, Petrus Diaconus de Viris illustribus montis Cassini. Trithemius. Arnoldus Wion. Bellarminus. Aubertus Miræus. Rosweidus. Possevinus. Vossius & alii.

ANNO 946.

SEDENTE AGAPETO II. PONT. MAXIMO.

De

HADAMARO FULDENSI S.R.E. CARDINALE.

HADAMARUS, natione Germanus, dignitate Abbas Fuldensis Ordinis S. Patriarchæ Benedicti, ab Agapeto II. ob egregias animi dotes Cardinalium Cætui aggregatus est anno ab orbe redemptô Quadragesimo Sexto supra Nongentesimum. Vir non minùs innocentiâ vitæ, pietate & doctrinâ, quàm Natalium origine clarus: quo nomine Principibus cumprimis ævi sui, utriusque Status, at præcipuè Othoni Magno, quoàd vixit, percharus fuit, cujus favore, & auxiliô Friderici Archiepiscopi Moguntini, Adversarii sui (seu privilegiô veteris disciplinæ, seu damni illati titulô usus) potentiam semel, iterumque fregit, ac perdomuit, Eundemque in ordinem, & ad præstandam satisfactionem redegit. V. *Othoni Magno ob egregias animi dotes charus.*

Anno salutis 949. à S. Brunone Antistite Coloniensi Romam ad Agapetum Pontificem impetrandi Pallii causâ missus, non solùm ab eo Pallium cum amplissimô privilegiô, ut quoties vellet, eo Sacerdos uti posset, impetravit; sed & sacrô D. Pantaleonis Mar-

Sacris Lipsanis à Pontifice donatur. Martyris propriô corpore, aliisque id genus æstimatissimis muneribus donatus rediit. Quem Clerus, Populusque Agrippinensis ingenti lætitiâ obviàm factus, summô cum honore gratulabundus excepit, ut auctor est Rogerius in Vitâ S. Brunonis apud Laurentium Surium.

Sclavis ad fidem Catholicam auctor. Debellatis ab Othone Magno, memorabili Victoriâ Danis, Hadamarus eidem Cæsari auctor fuit, ut decretô in Sclavorum populos bellô, eos non modò suô, sed & Christi imperiô subjecerit, teste Adamo Bremensis Ecclesiæ Canonico. Non multò post ad sua reversus Hadamarus, suôque munere strenuè perfunctus ex hac vita decessit. Subortâ namque ex variis aquarum diluvionibus, aërisque corruptionibus dirâ & pestilenti lue, quâ plurimi mortalium infecti, subitaneâ morte è vivis sublati sunt, ipse quoque eodem mortis genere absumptus est anno reparatæ salutis 956. *Moritur peste.*

Ne verò Vir tantus post obitum suum inglorius jaceret, Eidem in Chorô Fuldensis Ecclesiæ præcipuus ad Sepulturam locus supra Cryptam S. Bonifacii est assignatus, cum hac insigni in marmore olim incisâ, sed hoc tempore penitùs detritâ memoriâ: quam ex Christophoro Broverio libro primo Antiquitatum Fuldensium exscribere libet:

D. O. M.

Ejus Epitaphium.

Cessit natura vir laudis non obitura
Hadamar ille decens, perpetuoque recens.
Inter Primores, stellas quasi Luna minores,
Iste decus nimium, sidus & eximium.
Hoc decorante Viro fulsit par Fulda Saphiro,
Tunc speculanda Sion, nunc miseranda Sidon:
Ego Vir hic talis, Tibi Fulda pater specialis
Tunc Noëmi clara, nunc sed amara Mara.
Non tibi decedat, raro vèl ab ore recedat:
Quod fuit ipse Tibi, sit DEUS ipse Sibi.

Dicitur Hadamarus in Chronico m. s. S. Udalrici Augustani plura non vulgaris eruditionis, & pietatis opuscula scripsisse, quæ tamen hactenus, quantùm quidem scio, in lucem publicam non prodière.

Hadamari Cardinalis & Abbatis Fuldensis cum laude meminère Witichindus Corbiensis Monachus, qui gesta Othonis Magni Imperat. edidit. Sigebertus in Chronico ad annum 953. Baronius Annalium tomo decimo. Ferdinandus Ughellius in addit. ad Ciac. & alii.

ANNO 975.

SEDENTE BENEDICTO VII. PONTIF. MAXIMO.

De

WERHNERO FULD. S.R.E. CARD.

VI. WERHNERUS, Germanus, nobilissimus ut genere, sic virtute pariter & Scientiâ clarissimus, Inclyti Cœnobii Fuldensis Abbas, & S.R.E. Cardinalis. Erat is S. Udalrici Episcopi Augustani consanguineus, sub Benedicto VII. non

non tam litteris, quàm Legationibus clarus. Othoni II. Imperatori cùm ob sanguinis propinquitatem, tum ob vitæ morumque probitatem, aliasque excultissimi animi dotes præprimis charus, acceptus, & ab intimis ejus consiliis. Nullam Othonis, sive lætam sive tristem fortunam aspernatus, periculosæ expeditioni Calabricæ, contra Græcos Schismaticos & Sarracenos decretæ, interesse voluit. *Othoni II. Augusto Charus.*

Cùm verò res ad varios alternantis fortunæ casus, velitationes, conflictus, & pugnas devenisset, ipse fortuitò agminibus intermixtus adversis, postquam hostes semel atque iterum fudisset, tandem insidiis circumventus in acie cecidit anno salutis 983. Idibus Junii. Lamberto teste. Vir certè tam tristi vitæ exitu indignus, nisi eô Fati genere aditum sibi ad cœlum perenni cum gloriâ munivisset. *In Expeditione Calabricâ cæditur.*

Cardinalem fuisse, & quidem doctissimum testatur Chronicon m.s. S.Udalrici. Scribunt nonnulli, incertâ tamen fide, Werhnerum à Benedicto VII. summo Pontifice Legatum in Angliam missum, Concilium Vintoniense indixisse in causâ Clericorum adversùs Monachos temerè insurgentium; quorum controversiam, cum Legati Auctoritas nullâ ratione componere aut sedare posset, Christi Crucifixi imaginem, quæ altercantibus adstabat, voce emissâ Clericos omnes, eorumque fautores confusos reddidisse, & eliugues. At cum Clerici paulò post adversùs S.Dunstanum, Monachorum causæ suffragantem, iterum reclamarent ob se ipsos pulsos, & subrogatos locô ipsorum Monachos, aliam Synodum à Legato Pontificiô Calnæ coactam esse; ubi cum in Cœnaculô (Rege propter imbecillem ætatem absente) considentibus totius Regni Senatoribus, magnô conflictu hinc inde allegantium res ageretur; & Dunstanum veluti Ecclesiæ murum, multorum jacula convitiorum impeterent, nec vincerent; subitò motu exortô totum tabellatum, ubi considebant, cum axibus & trabibus dissolutum, omnes, præter Dunstanum, Legatum, & Monachos, ruinâ involvisse: atque compressisse. *Concilia in Anglia indicit, ubi mira patrantur.*

Werhneri mentionem faciunt Christophorus Broverius libro 1. Antiquit. Fuldensium cap. 19. Sigebertus in Chronico. Ferdin. Ughellius in addit. ad Ciaconium. Chronicon M. S. Augustanum.

ANNO 1033.

SEDENTE BENEDICTO VIII. DICTO IX. PONT. MAX.

De

B. GREGORIO MONACHO S.R.E. CARDINALE.

B. GREGORIUS celeberrimi Ordinis D. Benedicti Monachus & ornamentum, ex Abbate SS. Cosmæ & Damiani ad Micam auream, Cardinalis Episcopus Ostiensis & S.R.E. Bibliothecarius renunciatus est anno salutis 1034. Vir in VII.

 omni

omni litterarum genere, præcipuè sacrarum versatus, Episcopis sui temporis eruditione & sanctitatis famâ facilè antecellens.

Legatus in Regnô Navarræ mira patrat.

In Regnum Navarræ à Benedictô Romanô Pontifice Legatus est missus divinô monitu. Nam cum in totô illô Regnô ingens locustarum numerus per plures annos fruges, herbas, ac plantas quaqua versùm devastaret, morsuque venenosô, quod residuum esset, inficeret; nec ullis precibus, sacrificiis, votisque conceptis pestiferum illud examen ab Incolis regionis illius abigi posset, Romam per Legatos venerunt Navarræi, Benedictum Christi in terris Vicarium super eâ re consulentes. Ille preces Eorum benignâ aure excipiens, triduanum populo jejunium indixit, orans Deum, cujus dispositioni cuncta subjacent, ut placatus revelare dignaretur, quonam ordine & modô perniciosissima pestis illa tolli, aut sedari posset? exactô in Orationibus triduô, Angelus Pontifici juxtà ac Cardinali cuidam visibili specie apparens, nunciavit: ut si malo consultum vellent, Gregorium Episcopum Ostiensem, Virum Deo dilectum, in Hispaniam Legatum quatocyùs mitteret. Romani igitur Pontificis jussu Gregorius itineri se comittens, & allapsus omnium exspectationem vicit: nam solô crucis signô usus, totum illum locustarum exercitum derepentè fugavit; multorumque corpora à languoribus, & animas à vitiis divinâ virtute, suâque prædicatione liberavit. Erat enim ut vitæ conversatione sanctissimus, sic eloquiô & dicendi arte facundissimus. *Opere potens & sermone*, ut inquit de eo Maldonatus.

S. Dominicum, *della Calreda* vulgò nuncupatum, collatis ordinibus Sacerdotem initiavit, verbumque divinum iis in regionibus enuncianti, strenuum ac indefessum se comitem adjunxit, editis innumeris in dictorum confirmationem signis.

Ejus Obitus.

Tandem post multos pro Christi nomine, saluteque animarum exantlatos labores, Virtutibus & miraculis clarus migravit ad Dominum VII. Idus Maji anno supra millesimum quadragesimô quartô. Corpus ejus divinis coruscans signis propè Lucronium, in Navarensi ditione honorificè conditum est: quo die, in sacros fastos relatus Gregorius, anniversariâ commemoratione ab Ecclesiâ celebratur. Plurima piè ac doctè conscripsisse fertur, quæ tamen hominum incuriâ, & temporum injuriâ interiisse putantur.

Scripta.

Hujus vitam, præ reliquis, egregiè scripsit Constantinns Cajetanus Abbas S. Barontii, quam & typô Romæ vulgavit. Errat tamen, dum dicit Gregorium à Joanne XVIII. renunciatum esse Episcopum Ostiensem anno nostræ salutis 1004. & anno 1044. ad cælum evolasse. Nam, ut refert acuratissimus Scriptor Ferdinandus Ughellius in primô sacræ Italiæ tomô, certò scimus Petrum quendam, Ostiensem Ecclesiam rexisse anno 1026. in cujus demortui locum Gregorius postmodùm suffectus est.

Scribunt nonnulli Gregorio post obitum, sequens Elogium funerale appositum esse.

D.O.M.

D. O. M.

Hic quem condit humus, oculis, vultuq; decorus,
Praesul erat Sanctus Nomine Gregorius.
Ardua qui salsis cunctis per sidera caeli,
Navarris gratus gentibus, & tribubus.
Doctrinis comptus sacris, & dogmate claro,
Divini verbi semina sparsit ovans.
Inspector tumuli compunctô dicito corde:
Cum Christô regnes, Praesul amande, DEO.

Ejus meminere inter alios Joannes Maldonatus in Vitis Sanctorum Hispaniae. Thomas de Trugillo tom. 2. Thesauri Concionatorii. Lucius Marinaeus de rebus Hispaniae. aliique.

ANNO 1049.

SEDENTE S. LEONE PONTIF. MAXIMO.

De

HUMBERTO BURGUNDO
S.R.E. CARDINALE.

HUMBERTUS, nullô cognominis vocabulô ab Auctoribus insignitus, ortum traxit è Burgundiâ, Ordinis S.Benedicti, Professus in Divi Mansueti primi Leucorum Antistitis Caenobiô, in Tulli suburbiis sitô, Vir graecè & latinè doctissimus. Hunc S.Leo Papa Nonus, ejusdem Civitatis Leucorum Episcopus, Romam profecturus, comitem sibi itineris delegit anno salutis 1049. Paucis post mensibus in Siciliam divini verbi populis illis annunciandi causâ missus, cum strenuè officio suo fungeretur, ejusdem Regionis Archiepiscopus, mox S. R. E. Cardinalis, & Episcopus Sylvae Candidae ab eodem Leone est institutus. VIII.

Ad varios dignitatum honores provehitur.

Humberti Cardinalis Virtutes insigni elogiô complexus est Lantfrancus, illius aevi doctus & pius Auctor, Archiepiscopus Cantuariensis, in librô adversùs Berengarium Haeresiarcham de Eucharistiâ editô, in quo asserit: *Fuisse Humbertum Virum religiosum, fide christianâ & sanctissimis operibus decoratum, scientia divinarum & saecularium litterarum apprimè excultum: ut omnes attestantur, qui vel propriâ experientiâ eum noverunt, vel ab aliis, qui eum experti sunt, ejus cognitionem acceperunt. Hunc non è Burgundiâ, ut quidam malè scripserunt, sedè Lotharingiâ S. Leo Romam perduxit, & ad praedicandum Siculis verbum Dei, Archiepiscopum ordinavit, posteà verò S. R. E. Praesulem Cardinalem constituit: quo in locô positus taliter vixit, taliter docuit, ut de fide vel doctrinâ ejus nulla ne minima quidem sinistra suspitionis fama exorta sit. Hujus rei teste est tota ferè Latinitas, quae pro excellentiâ Apostolicae Sedis, cujus consiliis & Conciliis semper aderat, & praeerat, Eum ignorare non potuit.*

Laudatur à Lanfranco. Archiepiscopo Cantuar.

Idem Lantfrancus eodem in Libro alloquens Berengarium, *Venerabilis*, inquit, *Humbertus, quem quasi exprobrando Burgundum nominas*

minas (quasi non posset Deus in Burgundiâ servos habere fideles) nihil aliud fecit, nisi quod scripturam ipsam, præcipiente Synodo, manu in manum porrexit. Extant passim plura Ejus apud alios encomia.

Præficitur regimini Cænobii Sublacensis.

Anno Domini 1053. cum percepisset Leo Pontifex Monasticam Cænobii Sublacensis disciplinam Othonis Abbatis incuriâ & oscitantiâ fœdè collapsam, malo occursurus, in consortiô Humberti eò profectus est; abrogatoque Othone, dissolutæ observantiæ reo, Humbertum regimini præfecit, qui vigilantiâ suâ, vitæque probatissimæ exemplô, extinctam penè, humique jacentem disciplinam rursùm ad pristinum decorem revocavit, atque erexit. Pro qua tuendâ multos postmodùm à discessu Leonis exantlavit labores.

Trani in Apuliâ negotiorum causâ dies aliquot transigenti Humberto, exemplar datum est Epistolæ græcô idiomate, à Michaële Cerulariô Patriarchâ Constantinopolitanô, & Leone Acridanô Bulgarorum Archiepiscopô scriptæ ad Joannem Tranensem Episcopum, quam latinitate donatam Leoni summo Pontifici ad censuram submisit; Epistolæ plenus hic arrogantiæ titulus præfixus erat: *Michaël universalis Patriarcha nova Roma.* Cujus Tenor tria potissimùm Capita, vel potiùs convitia continebat: primò, Ecclesiam Latinam Judæos superstitiosô exemplô imitari in benedictionibus panis azymi. Secundò; morem Eam sequi Barbarorum suffocata manducantium. Tertiò; Alleluja ipsam decantare paschali solummodò tempore. Quibus omnibus lectis calumniis plenissimè satisfecit Leo Pontifex, prolixâ Epistolâ ad eundem Michaëlem & Leonem directâ, quæ inter ipsius Leonis IX. Epistolas prima ordine recensetur.

Legatus mittitur Constantinopolitanum.

Anno 1054. Jussu Leonis Pontificis Legatione functus est Humbertus Constantinopolitanâ unà cum Federico Lothareno Cardinale, & Petro Archipræsule Amalphitano ad Constantinum Monomachum IX. Imp. Augustæ Zoës Maritum, & Michaëlem Cerularium Patriarcham, in causâ conciliandæ Ecclesiæ Græcæ cum Latinâ; & implorandi auxilii adversùs Nortmannorum Tyrannidem. Hos Sedis Apostolicæ Legatos Imperator convenienti obsequio & honore excepit, quemlibet eorum in signum amicitiæ, ad gentis morem, exosculatus. Quæ autem eâ in Legatione peracta fuerint, Humbertus Legatorum primarius scriptô exaravit ad Leonem Pontificem: notans inter cæterà Nicetam Monachum, qui *Pectoratus* est nuncupatus, in ipsius Imperatoris, Legatorum, & Procerûm præsentiâ, multâ verborum acrimoniâ commendasse Libellum quendam atticô livore, & superciliô in Ecclesiam Latinam compositum, tria potissimum capita, *de Azymo; de Sabbatho; & Nuptiis Sacerdotum*, complectentem. Quem Augustus Orthodoxus, cum præter convitia & errores nihil solidi, aut sani contineret, Legatis suadentibus, flammis exuri jussit. Rebus ita compositis, cum Humbertus cum Collegis jam jam abitum Romam versùs pararet, Michaël Patriarcha, Vir impius, fraudulentus & callidus, Libelli exustione commotus, Imperatorem adiit, acturus de Legatis retinendis, eo fine, ut in sanctæ Sophiæ Tem-

A Michaële Patriarcha frustrà insidiis impetitur.

Templum ſub aliquo Comitiorum congregandorum prætextu introducti, à populo ſaxis impeterentur, & riſui exponerentur contra jus gentium, imò naturale & divinum. At prudentiſſimus Imperator perverſam Michaëlis mentem ſubodoratus, ſcandalumque exinde oriturum prævidens, impiæ petitioni nullatenùs aſſentiri voluit. Quin potius regiis donatos muneribus, proſperaque precatus, ut in viam ſe, Deo duce, darent, hortatus eſt.

Interim Michaël artes ſuas eluſas ægerrimè ferens, ad novas ſtruendas inſidias converſus, Litteras dedit ad Petrum Patriarcham Antiochenum, effreni calamô in Humbertum & ſocios detonans, atque ut eos, veluti Græcæ Religionis contemptores & hoſtes interciperet, muneribusque ſpoliaret, mandans. At Petrus Legatorum innocentiam perſpectam habens, neglectis Michaëlis injurioſis mandatis, eos, qua decuit, humanitate excepit, novisque auctos muneribus cum honore dimiſit.

Anno 1055. Romam allapſi, locô Leonis demortui Victorem II. ad clavum Eccleſiæ ſedentem invenerunt, à quô, paucis interjectis menſibus, Humbertus ad Caſſinenſe Monaſterium ablegatus eſt ob acres monachorum diſſenſiones, in causâ intruſi Petri Abbatis exortas. Quas tamen Humbertus, ſponte Prælaturâ cedente Petrô, atque in ejus locum, monachorum ſuffragiis, ſuffectô Fridericô Lotharenô Cardinale, facilè compoſuit. *Diſſenſiones Monachorũ Caſſinenſium componit.*

Vita functô Victore II. tribus electionibus, Stephani ſcilicet X. Nicolai II. & Alexandri II. Pontificum ſuo ſuffragio interfuit, ſub quorum regimine nonnullis annis ampliſſimum munus Bibliothecarii & Cancellarii incredibili laude & dexteritate exercens, Anno ſalutis 1059. juſſu Nicolai II. & Synodi Lateranenſis, præſcripſit formulam fidei pronunciandam in Concilio à Berengario hæretico, reſipiſcentiam tum fingente, coram ducentis triginta Epiſcopis & Prælatis. At cùm Berengarius finitâ Synodo adinſtar canis impuri ad vomitum rediiſſet, voce ac ſtylo plauſtra convitiorum tum in Humbertum, tum in Eccleſiam Romanam exoneravit, quemadmodùm jam allegatus Lantfrancus, ſtrenuus Eccleſiæ & Humberti defenſor atteſtatur. *Præficitur muneri Bibliothecarii & Cancellarii.*

Aſſumpto ad Pontificatum ſub nomine Stephani X. Friderico Lothareno, vel (ut Baronio & aliis placet) ſedente in Petri Cathedrâ Alexandro hujus nominis II. Humbertus Legatus in Angliam deſtinatur, ubi convocatô Conciliô in præſentiâ totius Cleri Anglicani ſexto Idus Aprilis Anno 1072. graviſſimam litem inter Eccleſias Cantuarienſem & Eboracenſem ſuper primatu exortam tantâ dexteritate compoſuit, ut Thomas Eboracenſis Eccleſiæ Antiſtes, ejus perſuaſionibus & rationibus convictus, Primatum Cantuarienſi adjudicatum, publicâ hac emiſsâ profeſſione ratum habuerit: *Decet omninò Chriſtianum quemque Chriſtianis legibus ſubjacere; propterea ego Thomas Eboracenſis Eccleſiæ Metropolitanus Antiſtes jam ordinatus, auditis, cognitisq; rationibus, abſolutam Tibi, Lanſfrance, Cantuarienſis Archiepiſcope, tuisq; Succeſſoribus de Canonicâ obedientiâ profeſſionem facio; & quidquid à Te, vel ab eis juſtè ac canonicè injunctum mihi fuerit, ſervaturum me promitto.* *Legatus in Angliâ mittitur ad componendam Archiepiſcoporũ diſcordiam ſuper Primatu exortam.*

C Romam

Romam compositâ Anglorum Præsulum lite reversus, dierum ac meritorum plenus, perceptis Ecclesiæ Sacramentis ad superos translatus est tertio Nonas Maij Anno à partu Virginis 1074. Sepultus in Basilicâ Constantinianâ, summo Pontifice ita mandante, prope corpora SS. Virginum & Martyrum Maternæ & Secundinæ.

Ejus obitus, & Scripta.

Scripsit plurima egregia Opuscula, inter quæ eminent,

Commentarius in S.Augustini Regulas.
Liber diversarum Historiarum.
Apologia contra Leonis Acridani Epistolam.
Dialogus latinè scriptus Apocrisariatûs sui temporis Constantinopoli, jussu Constantini Monomachi Imperatoris græcè editus.
Contradictio adversùs Nicetam Pectoratum, græcum Monachum, Constantinopoli conscripta.

Ejus mentionem faciunt Bellarminus de Script. Eccles. Baronius in Appendice undecimi Tomi Annal. Lantfrancus. Henricus Canisius Tomo 6. Antiquæ Lectionis. Ughellius tom.1. Italiæ sacræ & alii.

ANNO 1409.

SEDENTE S.LEONE IX. PONT. MAXIMO.

De

STEPHANO MONACHO.
S.R.E. CARDINALE.

IX. STEPHANUS, natione Gallus, Vir suo tempore litteratissimus, à S. Leone IX. ad purpuram evectus, inter S. R. E. Cardinales Presbyteros meruit annumerari. Solitariam vitam ante purpuram professus scribitur sub Odilone Abbate in Cœnobiô Cluniacensi, à Bennone Cœnobiarchâ conditô ad Gornam Fluvium, & à Guillelmô Aquitaniæ Duce, Averniæq; Comite dotatô.

Variis Legationibus perfungitur.

Hunc Stephanus X. S. Leonis Successor, unà cum Desideriô & Maynardô, doctis Monachis Cassinensibus, Constantinopolim pro extinguendô Ecclesiæ Græcæ Schismate Legatum deputârat, jam viæ cum Sociis accinctus, obitu Papæ superveniente & annunciatô, omissâ Legatione, remeavit ad propria. Functûs est tamen non multò pòst Legatione in Galliâ Nicolai II. Pontificis jussu, cujus meminit Goffridus Vindocinensis. Quam sub Alexandro II. continuans, Goffridum Barbatum Comitem Andegavensem ob plurima scelera apud Sanctam Sedem delatum, nec resipiscentem anathemate percussit.

Goffridum Barbatum anathemate desigit.

Missus deinde est à Sacrô Cardinalium Collegiô in Germaniam ad Henricum Regem, Henrici III. cognomento Nigri, Imperatoris filium adhuc Juvenem imberbem, à quo tamen, licèt Apostolicas proferret Litteras, non est auditus, quinque dierum spacio, non

non sine Apostolicæ Sedis injuriâ pro foribus manens, regiis ministris hominem Gallicum perosis, obicem ponentibus. Legationis causa duplex fuit, Prima: ut Henricus Rex Romanæ Ecclesiæ Nortmannorum tyrannide extremè divexatæ opem ferret; ac Præsulum Longobardorum insolentiam, qui Cadolaum, hominem Laicum, ac famæ integritate laborantem, contra sacrorum Canonum statuta, in Episcopum Parmensem elegerant, reprimeret. Altera, ut infame Pseudosynodi Decretum, quo Nicolaus II. Romanus Pontifex vitâ functus, synodali sententiâ damnatus fuerat, omniaque ab eo gesta, irrita declarata, regiâ Auctoritate abolere tur. Re infectâ Romam rediit Stephanus, ac non multò pòst, anno scilicet 1064. fatis concessit. Interfuit Comitiis Nicolai II. Senis; & Alexandri II. Romæ habitis. Ob doctrinæ præstantiam à Petro Damiani Cardinale *Decus, & Defensor Ecclesiæ Romanæ* jure appellatus. De quo etiam in Epistola quadam hæc habet: *Stephanum Cardinalem piis Virtutum floribus, sanctis operibus, & doctrinæ radiis fuisse insignitum, nemo, qui Virum noverit, dubitat.* Alphanus Episcopus Salernitanus, coætaneus Stephano, hôc eum Epitaphiô post obitum commendavit.

Legatus ad Henricum Regem missus non admittitur.

Ejus Laudes, & obitus.

Stephane, qualis in Æde Petri, quantusq; Sacerdos
Extiteris, novit Gallia cum Latio.
Nobilitas, gravitas, probitas, & mentis acumen,
Et Virtus animi magna, fuêre Tibi.
Quinque manere dies cum Sol deberet, in urnâ
Clausus es hâc. Requiem det Tibi Christus, Amen.

Ejus Epitaphium.

Ejus meminère B. Petrus Damiani in Epistolis. Alphanus Episcopus Salernitanus. Ciaconius in vita. Augustinus Oldoinus in addit. ad Ciaconium.

ANNO 1049.

SEDENTE S. LEONE IX. PONT. MAX.

De

MAYNARDO CAMPANO S.R.E. CARDINALE.

X.

MAYNARDUS, natione Campanus, professione Monachus Cassinas, genere, Virtutibus, doctrinâ & eruditione maximè conspicuus. A Leone IX. Presbyter primò Cardinalis: deinde ab Alexandro II. doctissimi Viri merita præmiante, Episcopus Sylvæ Candidæ creatus est. Illius operâ, dexteritate, & prudentiâ præter S. Leonem alii etiam summi Pontifices, in rebus Ecclesiæ gravissimis frequentissimè sunt usi. Ut varia eorum Diplomata in Vaticano asservata testantur.

Stephanus X. quem alii Nonum appellant, Maynardum cum Desiderio Cassini montis Abbate, & Stephano Cardinale, (de quo suprà disseruimus) Legatum Constantinopolim in causâ extinguendi Græcæ Ecclesiæ Schismatis misit. At auditâ Pontificis in Iti-

Mittitur Constantinopolim Græci Schismatis extinguendi causâ.

Itinere morte, re infectâ, Beneventum cum sociis petiit, indeque Senas. Ubi tamdiu subsistit, donec alius in Petri Cathedram sufficeretur.

Sub Alexandro II. S.R.E. Bibliothecarii & Vicecancellarii munus nonnullo temporis spatio summa cum laude exercuit. Ejusdem posteà Alexandri jussu unà cum Joanne Presbytero Cardinale Legationem subiit ad Mediolanenses, ut dissensiones fœdissimas, quæ Simoniacorum operâ concitatæ Ecclesiam illam mirè exagitabant, penitùs extirparet. Rebus utcunque compositis, Leges saluberrimas Mediolanensi Clero ad benè vivendum præscripsit, suâque manu ex Auctoritate Pontificiâ firmavit. Redux Romam, ex calculi dolore, plenus meritis, regnante Alexandro II. circa annum salutis 1072. fatis concessit.

Item Mediolanum ad Simoniacos in ordinem redigendos.

Ejus obitus & scripta.

Plura scripsisse pia & utilia opera traditur, quæ tamen nonnisi in Bibliothecis m. s. extare putantur.

Ejus meminère Leo Ostiensis in Hist. Cassin. Baronius. in Annal. Ciaconius in vitâ. Oldoinus in Addit. ad Ciaconium. & alii pauci.

ANNO 1057.

SEDENTE STEPHANO X. PONTIF. MAXIMO.

De

B. PETRO DAMIANI
S.R.E. CARDINALE.

XI.

PETRUS Ravennæ obscurâ propter paupertatem, sed ingenuâ familiâ in lucem prodiit annô ab Orbe redemptô 1006. ut memoriæ prodit Joannes Monachus, Ejus aliquando comes, & vitæ Auctor. Sunt, qui Petrum ex nobili familiâ ortum duxisse arbitrantur, inter quos Robertus Bellarminus Librô de Scriptoribus Ecclesiasticis. At hi errore labuntur, cùm id Petro, cognomento *Peccatori* qui Paschali II. Regulas suas confirmandas obtulit, non Petro Damiani conveniat.

Ignobili genere ortus.

Diligenter à teneris, omnibus charitatis officiis à Damiano fratre natu-maximo sic enutritus, ac bonis artibus institutus est, ut ab eo, non autem à genitore, *Damiani* sibi cognomentum asciverit; vocarique voluerit, & scribi *Petrus Damiani.*

Unde Damiani nomen sortitus sit?

Antequàm divino se famulatui inter Viros Ordinis D. Benedicti Religiosos manciparet, bonas artes plurimos aliquandiù publicè docuit, stylo, ut illa ferebant tempora, satis eleganti, quemadmodùm ex illius Epistolis, Libris, Orationibus, Concionibus, aliisque doctissimis ingenii sui monumentis conjicere difficilè non est. Ab ineunte ætate agitari adversis cœpit. Cùm enim Mater post plurimos filios, hunc genuisset postremum, & quadam die Natu-major, Patre demortuô, Fratrum hinc multitudinem; illinc hæreditatem exiguam conquereretur, adeò Mater, quam jam diu egestatis dolor contristabat, excanduit, ut Petro vixdùm nato, crudeli reluctatione, lac maternum denegaverit, nec quicquam assiduis

Multis adversitatibus in flore Juventutis pulsatur.

assiduis infantis clamoribus & lacrymis commota, ejus necem de industriâ expetere sit visa. Quæ planè brevi subsecuta fuisset, nisi fame simul & vi frigoris nigrescentem, ac voce jam propè destitutum pia quædam fœmina casu adveniens juvisset. Hæc siquidem inhumanæ matris crudelitatem arguens, & infantis projecti calamitatem deplorans, calentis aquæ beneficiô, aliisque remediis penè intermortuum puerulum ad vitam revocavit.

Interjectis ab eo tempore sex circiter annis, Matre jam jam defunctâ, Damianus frater natu-major, receptô in fidem Petrô, Uxorem duxit. Susceptis ex eâ liberis, Petrum perosus, cùm curam illius gerere simularet, tam durâ illum acrique premebat servitute, ut non modò is pane modicô, cibisque obviis ac vitiosis uti; sed & perpetuò nudis incedere pedibus, pannosi instar mendicabuli, alendorumque suûm curam agere sub multâ verberum duritie cogeretur. In hôc vili famulatu, nimiumque despicabili ministerio constitutus, cùm die quadam rus obambulans, argenteum numum reperisset; & perinde, ac si dives repentè factus esset, gratulabundus, quid eo aptius mercari posset (dulci appetitu puerilem animum suavium rerum omnium expertem, per mollia trahente) diutiùs cogitaret: tandem cœlitùs afflatus: *Quid hac*, inquit, *mente revolvo? horum certè voluptas nequaquam fuerit diuturna: præstabit potiùs hoc tradere Sacerdoti, qui in vicem perituri oblectamenti, Sacra Deo immortali faciat.* Itaque numum Sacerdoti ea lege, ut Sacram Deo Hostiam offerret, protinùs detulit.

Durè habetur à fratre natu-majori.

Rediit interea alius ejus frater Damianus, qui nonnullos annos, alibi negotiis distentus, Ravennâ abfuerat. Is graves Petri fratris ærumnas miseratus, eum in fidem ac clientelam suscepit, cùmque optimæ indolis, & perspicacis ingenii adolescens esset, Literis etiam, ac bonis Artibus Ravennæ primò; mox Faventiæ, ac demum Parmæ suis sumptibus instruendum curavit. Petrus optimis usus Magistris, pro ingenii capacitate, liberales brevi disciplinas edoctus, tantum nominis, ac famæ apud omnes adeptus est, ut summa utilitate, maximaque auditorum frequentia eas cœteris deinde explicans, facilè primus omni Italiâ haberetur. Cùmque in dies favoribus, gratiâ Principum, divitiis, & auctoritate cresceret, seipsum increpans, *Numquid*, dicebat, *his perpetuò caducis, & interituris bonis inhæserim? an non his potiùs projectis, calcatisq́, Cœlestia consectler?* Quæ cùm sæpe sepius non sine lachrymis ingeminaret, cœpit tandem seriò divinis se studiis, & obsequiis totum mancipare. Itaque sub pretiosa veste aspero indutus cilicio, inediæ, vigiliis, orationibus, aliisque id genus voluntariis corporis & animi macerationibus intentus, cœlestem quamdam vitæ rationem, nondum Religioni transcriptus, instituit. Cumque libidinis æstu, pro ætatis naturâ, non rarò jactaretur, mediis noctibus è cubili surgere; aquis se se, dum totus frigesceret, immergere; indeque egressus in lectum minimè reverti; sed Psalmis, Hymnis, contemplationibus, quod noctis reliquum erat, impendere consuevit. Mirum fuerit dictu, qualem quantamque egentibus præstiterit liberalitatem, atque munificentiam? iis præsertim, quos vel egestate pres-

Liberales Artes edoctus, summâ cum sui nominis gloriâ profitetur.

Consideratione rerum fluxarum ad Cœlestia rapitur.

Ejus nondum Religiosi vita austeritas.

Profusa ejusdem in egentes liberalitas.

 sos;

ſos, vel bellorum injuriis emunctos; vel peregrinationibus, Christi causâ ſuſceptis, laſſos, ac itineribus confractos ſciret: his ulnas, pectus, oſtium, menſam, loculos, nullo non tempore, liberaliſſimè aperta voluit: illud Christi monitum continuò in ore verſans, atque perpendens: *Quod uni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis.*

Vitam Monaſticam meditatur.

His, atque aliis Chriſtianæ pietatis officiis ad Dei famulatum in dies magis accenſus, cùm omnino ab his caducis rebus abduci; mundo exire; Monachuſque fieri decreviſſet, id tamen in patriis finibus ob conſanguineos contraria ſuadentes, aliaque non levia impedimenta minùs tutum arbitraretur: hæc cogitantem, & aſſiduis à Deo precibus contendentem, ut ad ſalutem ſempiternam aditum ſibi pararet, à Solitudine Sanctæ Crucis fontis Avellanæ, quæ eſt in Eugubina Diœceſi, Monachi duo, de quibus multa jam antè præclara inaudierat, divinitùs impulſi conveniunt. His Petrus, poſtquàm multa de Deo, de ſalute æterna, de monaſticâ diſciplinâ cum illis diſſeruiſſet, aperit animi ſui ſenſum, ingenuè ſciſcitando, *Num ab eorum Abbate, ſi Monachus fieri vellet, recipiendus credatur?* ipſis, *ne dubitaret*, affirmantibus, lætus ſpondet ſuum quantocyùs ad eos adventum. Donat interea abeuntibus Scyphum argenteum bene magnum, pondere & pretio inſignem: verùm cùm conſtanter illum, nullo precibus relicto loco, renuiſſent; atque ob id conceptam in animo Petri religionem, & eorum ſanctitatis opinionem magis confirmâſſent: effecerunt, ut majus adhuc fluxarum rerum faſtidium incurrerit Petrus, nec quicquam aliud, niſi ſolitudinem, atque cœleſtia cogitârit.

Duobus Monachis animi ſui ſenſum aperit: eoſq; fruſtrà muneribus, donare contendit.

Vitam domi religioſam auſpicatus Religionem ingreditur.

Dimiſſis itaque Monachis, in anguſtam ſe cellulam recipiens, diebus quadraginta, nemine in conſortium admiſſo, vitam ſolitariam juxta leges Eremitarum Sanctæ Crucis magno cum rigore traduxit: quo vivendi genere plurimùm roboratus, nihil jam difficultates, nihil durum illius vitæ modum pertimeſcens, ſuis omnibus inſciis, clam ad eam montis Cariæ ſolitudinem profectus eſt. Excepit eum perquàm humaniter Abbas, veſteque ſacra indutum uni ex Monachis probatiſſimo in diſciplinam, Tyronum more, tradidit. Quantùm autem profecerit, quamque Magiſtro reverentiam præſtiterit; & obedientiam, ex eo facilè conjici poteſt, quòd iter cum Præceptore eques ingreſſurus, juſſuſque ab eo, ut molliorem ac ſplendidiorem veſtem indueret, Magiſtrum in genua provolutus obſecraverit, ne, quod minùs ipſe decere arbitraretur, Tyroni præciperet. Cœterum Magiſter, qui eum ob perſpectas virtutes unicè diligebat, eaque propter, ne incultus adeo in publicum prodiret, exoptabat: iteratis obluctantis precibus aſſentiri nequaquam voluit. Igitur Petrus, ne nimis præfractè pertinax obedientiæ repugnaret, quamquàm maximo ſuffuſus pudore, quòd quæ paulò antè rejecerat ornamenta, recepiſſe videretur, neminem intueri præ verecundiâ auſus, pulchriore indutus cucullo, cum Magiſtro comes abiit: cernere autem (quemadmodùm ipſemet retulit) omnes eum digito commonſtrantes, & Sponſi nomine non Monachi appellantes, quacunque incederet, ſibi videbatur.

Ejus humilitas, obedientia, & in Magiſtrum reverentia.

Ad

Ad Cœnobium reversus majori in dies abstinentiâ, vigiliis, & carnis macerationibus ad exactam vitæ sanctitatem, summumque bonum incumbere studebat. Per id tempus Monachi illi, primis S. P. Benedicti vestigiis inhærentes, quatuor diebus hebdomadæ pane dumtaxat & aqua traductis, tertiâ & quintâ feriis parum leguminis à singulis suis seorsim cubiculis cocti sumebant: & diebus inediæ sacræ, panis non quantum quisque vellet, sed certâ quadam mensurâ, modôque præbebatur; vinum rei tantùm divinæ faciendæ, & ægrotis, notum prætereanemini. Cùm verò is esset in vigiliis mos, ut signo dato, matutinis expletis precibus, omnes Davidis Psalterium ex integro recitarent, Petrus præveniens commune hoc signum, quidquid noctis supererat, continentibus excubiis traducebat. Quamobrem in eum brevì incidit morbum, ut dies, noctesque insomnes, non absque gravi sanitatis dispendio, peragere compelleretur. Ea de causâ à loci Præfecto semel, iterumque increpitus, nimiumque vitæ rigorem discretione mitigare jussus, temperantiæ ex obedientiâ studuit; ac convaluit.

Petri & Monachorum vita austera.

Jubetur à loci Præfecto temperantiæ studere.

Crevit interea non tantùm jugi Sanctimoniæ famâ, sed & Scientiarum omnium laude, præclarissimis hinc inde editis tum libris, tum miraculis, quæ qui legere, vel cognoscere desiderat, Auctores vitæ ejus in calce citandos adeat. Multis igitur cum virtutum, tum doctrinarum radiis in Eremo quasi gemma in conchâ suâ splendescens Petrus, primùm Romæ, toti demùm Italiæ, ac Orbi inclaruit: S. Leoni IX. ob morum similitudinem, doctrinæ præstantiam, vitæque integritatem præprimis charus, meritoque dilectus, ut ex mutuis eorum Epistolis dilucidè constat. Et licet quandoque, malevolorum invidiâ, apud Ipsum Leonem, quasi non rectè de eo sentiret, delatus, & exagitatus fuisset, exindeque ab existimatione partâ nonnihil cadere, ac vilescere sit visus; purgatâ tamen per calumniam impactâ labe, & delinitô per doctissimum Apologum Leonis animô, in pristinam amicitiam rediit: *Ecclesiæ decus, & Apostolicæ Sedis immobile firmamentum* ab Alexandro II. non immeritò appellatus.

S. Leoni Pontif. charus ob vitæ similitudinem.

Tot Virtutum laudibus abundantem denique Stephanus hujus nominis Decimus, deformatum Ecclesiæ statum reparaturus, anno Salutis 1058. initiô Quadragesimæ, reluctantem licet in Purpuratorum Cœtum cooptavit: *cum ad illam dignitatem non vocaretur*, sed ut ipse scribit, *traheretur invitus*. Eapropter in Epistolâ ad Nicolaum II. de dimittendo Cardinalatu, dictum Stephanum Papam *suum* vocat *Persecutorem maximum*, eo quòd invitum ac renitentem Cardinalium Collegio adscripserit. Neque hoc Stephanus pro hominis probitate ac meritô satis esse ratus, Episcopum etiam Ostiensem, ac denique Sacri Senatûs Principem & Decanum, omnium plausu, denominavit.

Invitus Cardinalium Collegio adscribitur.

Cùm verò Tusculani Comites, pro more suô, Joannem Eorum propinquum, armatis stipati militibus ex Episcopo Veliterno Romanum Pontificem, sub nomine Benedicti X. Cardinalibus repugnantibus; in Romanam Sedem intrusissent, Omnes, præter unum Petrum Damiani, assiduò reclamantem, dirisque Intrusores devo-

Resistit Benedicto X. Intruso Papæ, ejusq; fautoribus.

devoventem, ad eum suscipiendum allicere potuerunt.

Inter hæc cùm postero anno (qui fuit Christi 1059.) Hildebrandus Monachus Benedictinus, Vir planè singularis, pius & eruditus Romam cum Gothifredo Duce venisset, Petro Damiani potissimùm hortante, Gerhardus Allobrox cognomentô *Burgundio*, Episcopus Florentinus, Nicolai II. assumptô nomine Pontifex Maximus omnium calculô renunciatus est, Benedictô interim, suasu Petri, usurpatô Pontificatu se abdicante.

Suffragatur Nicolao secundo ad summum Sacerdotium.

Nicolaus itaque in Petri Solium evectus, Rempublicam Christianam, maximis ea tempestate calamitatibus jactatam, compositurus, Petrum Damiani Mediolanum unà cum Anselmô Episcopô Lucensi misit, ut eam Ecclesiam cum Romanâ fœdè dissidentem, ac propterea interdictô subjectam suâ facundiâ reconciliaret. Ibi summô Civium studiô & honore ad primum ingressum exceptus, postridiè expositâ Legationis causâ gravissimos illicò totam per Urbem tumultus sensit excitari; adeò ut datô æris campani signô, Populus Clericorum factione corruptus, & ad seditionem incitatus, turmatim ad arma concurrerit, Prætorium, in quo Petrus cum Socio Legatô resederat, iratus obsederit; ac mortem, ni mox loco cederent, utrique intentârit; inconditis clamoribus illud assiduò vociferans : *Ambrosianam Ecclesiam antiquis Patrum institutis esse liberam, neque ullum Romano Pontifici in eam jus esse.* Petrus, ut erat excelsi animi vir , nihil furore populi perterritus , convocatis in Templum Civibus, ita sobriè, prudenter, leniterque exasperatos eorum animos tractavit, ut perpensis rationum momentis, ultrò omnes in ejus sententiam discesserint, Sedique Apostolicæ parére nequaquàm abnuerint. *Missum enim se*, dicebat, à *summo omnium Pastore Nicolao, ut eorum gloria & saluti consuleret, non ut multitudini inserviret, aut contra jura eorum amplitudinem & dignitatem propagaret Romana Ecclesia, quæ cùm esset ipsius Salvatoris voce, laudes & principatum omnium Ecclesiarum adepta, adeò tenuis hominis, qualis ipse esset, præconio nequaquam egeret. Primos eorum salutis Auctores, & labantis disciplinæ confirmatores ab Ecclesiâ Romanâ produisse. Idipsum Divum Nazarium, Divosq; Gervasium & Prothasium, Maximos Urbis Mediolanensis Patronos & Institutores, qui Principes Apostolorum pro Magistris habuissent, edocuisse; Ipsumq; Divum Ambrosium, quo tantoperè,& quidem meritò gloriarentur, cùm Nicolaitarum hæresim per se convellere nequiret, à Romanâ Ecclesiâ subsidium ac Præsidium implorâsse, & impetrâsse.* His atque aliis in hanc sententiam à Petro ad populum non minùs nervosè, quàm disertè dictis, sedatisque ob id tumultûs eorum fluctibus, causa cœpta est agitari. Vix autem quisquam unus, ex Clericis examini admotis, repertus est, qui non aut Ordines collato precio comparâsset, aut fœdâ fœminarum consuetudine, contra Canonum statuta, esset usus. In tantâ, tamque arduâ re temperantiùs agendum Petrus pro temporum conditione & Criminosorum multitudine ratus, veniam eis pollicetur, si sacramentô confirment, se imposterùm ab hujusmodi flagitiis temperaturos. Primus omnium solemnibus verbis Vuido Archiepiscopus id professus est, Simoniacam simul & Nicolaitarum hæresim coram omnibus detestatus, reliquis egregio

Legatione fungitur ad Mediolanenses, Clerumq; in ordinem redigit.

Oratio Petri ad Mediolanenses.

Fœdos Cleri Mediolanensis mores corrigit.

gio fuit exemplo, idipsum alacriter præstandi. Exinde in terram prostratus, fune ad collum appensô, piaculum sibi, quodcunque demùm placeret; injungi postulavit. Centum annorum Petrus imposuit pensum, idque redimi posse certâ pecuniâ, in singulos annos vel Ecclesiæ persolutâ, vel in pauperes erogatâ, voluit. Clerici, ne nimiùm gravarentur, diversis in vitâ jejuniis obligati. Ascendens deinde in concionem Archiepiscopus, populô inspectante, præviis verbis Clerum suum jurare jussit, se has duas hæreses, Simoniam & concubinatum, funditùs extirpaturum: quo eodem etiam sacramento populus se devinxit. Clerici hoc pactô expiati, suâ in statione durante vitâ confirmati quidem sunt: Officia verò Ecclesiastica, Viris deinceps nonnisi scientiâ & castimoniâ præditis distributa. Reliqui omnes, solutô anathemate, Ecclesiæ conciliati, & associati.

Pœnitentia Clero præscripta.

Adhæc Archiepiscopus Clericos religionis causâ Romam aut Turonum missurum, se verò ad D. Jacobum in Hispanias profecturum promisit. Sed quamquam hæc adeò sanctè, interpositô etiam publicô Juramentô, pollicitus esset; nihilominus haud ita diu post, abeunte Petrô, sacris initiatorum assiduis stimulatus querimoniis (in fumum abeuntibus votis) ad pristinum rediit ingenium. Qua re cognitâ Petrus graviter commotus, aculeatas ad Rodulphum, Vitalem, Arialdum, & Erlembaldum Cottam, qui laudabili fide in sententiâ permanserant, adversùs perjurum Archiepiscopum ejusque impuros Asseclas, litteras dedit, quibus tum eorum inconstantiam, tum infidelitatem pro meritò reprehendit; & ut ad saniora vitæ consilia redirent (si quidem non emansuram irati Numinis vindictam subterfugere vellent) seriò hortatus est.

Relapsum Archiepiscopi & Cleri perstringit.

Atque hæc à se Mediolani peracta, longè prolixiùs atque ego hic, describit ipsemet Petrus; qui, ut se deinceps à publicis rerum negotiis expediret, totumque Deo, quod reliquum vitæ esset, devoveret, Sacrô Galerô, & Episcopatu, duorumque Cœnobiorum suæ fidei commissorum administratione se abdicavit. Cumque à Nicolao Romano Pontifice, (qui ejus hactenus gesta, ac maximè Legationem Mediolanensem probaverat) ad eas iterum dignitates & honorum insignia capessenda cogeretur; Ipse verò constanter, & aliquantò fortassè pertinaciùs, quàm res ipsa, & Pontificis Majestas ferret, renueret: assensit quidem Pontifex ejus perseverantiæ, ita tamen, ut in signum offensi animi, pœnam in eum centenariam constituerit, qua tenebatur ad recitandum per centum annos quotidiè, verberibus adjunctis, Psalmum quinquagesimum Davidis. Hanc verò in se decretam à Pontifice pœnam tam promptè, tamque alacriter subivit, ut præcoci quodam ardore pœnitendi incitatus, annuô illam spatiô exhauserit: pro ut ex Helinandô testatur in Speculô Vincentius. Persoluta hac pœnâ elegantes postmodùm litteras, officiis, pietate, ac submissione plenas ad Nicolaum Pontificem dedit, quibus & se purgavit diligenter, & non minùs rationibus, quàm præviô sanctorum Virorum exemplô id se fecisse testatus est.

Dignitatibus se abdicans Pœnâ centenariâ à Nicolao II. afficitur.

Varia de Petri abdicatione opiniones. An verò Nicolaus Petro, dictam abdicationem molienti, certò assenserit (ut plerique Scriptorum non spernendo suffulti fundamento existimant) dubium facit, tum Diploma Alexandri II. cui subscribit Petrus cognomento *Peccator*, Episcopus Ostiensis. Tum Joannes Trithemius Auctor non ignobilis, qui in Hirsaugiensi Chronicô de Petri Damiani Legatione in Germaniam ad Henricum Regem, verba faciens, *Eum*, (nulla abdicationis ejus Purpuræ memoriâ factâ) *Sacro-Sancta Romana Ecclesia Episcopum Cardinalem appellat*. Et hanc legationem Petrum subiisse scribit, anno nostræ salutis millesimo, sexagesimo nono. Agente Vicarium Christi Alexandrô, hujus nominis secundô.

Ego, ut ingenuè fatear, inter utramque hanc diversæ opinionis sententiam deprehensus, cui præ alterâ potiùs inhærendum sit, edicere in promptu non habeo. Neque tamen facilè cum iis senserim, qui Vincentii in Speculô testimoniô permoti arbitrantur, Petrum anno Henrici vigesimo secundo, qui fuit à partu Virginis supra millesimum septuagesimus octavus, Episcopatum cum Purpurâ deposuisse, & Litteras, quas diximus, ad Gregorium VII. tum Pontificem dedisse, cum illæ in omnibus probatis codicibus Nicolao II. non Gregorio VII. inscriptæ inveniantur; & gravissimorum Auctorum testimonio constet ab Alexandro II. Pontifice Gerardum, Ostiensem Episcopum factum. Illud etiam non omittendum duxi, Petrum se perpetuò *Monachum* suis litteris appellasse, & se abdidisse in Catrianam solitudinem optatissimam, in qua licet ab Ecclesiasticis curis alienus, absens ab Urbe, solitariam vitam degeret, interpellatus tamen scripsit ad Nicolaum II. pro Anconitanis excommunicatione multanis. Quidam enim inter eos exortus Tyrannus ad defectionem Cives adegerat, premente verò eodem Tyranno populum, iidem exurgendi haud liberam nacti fuerant hactenus potestatem, gementes interea, quòd Apostolicâ censurâ perculsi, æternæ damnationi obnoxii permanerent, quorum acerbissimam conditionem miseratus Petrus pro illis ad Nicolaum gravissimas, uti diximus, litteras exaravit, effecitque suo interventu, ut anathematis vinculô soluti, fidelium communioni restituerentur. *Pro Anconitanis censurâ notatis intercedit.*

Cadaolum Pseudopontificem increpat & ad mentem reducere sat agit. Adjuvit quoque egregiè Alexandrum II. Rom. Pontif. tetrô fatigatum Schismate Cadaoli Parmensis, quem Germani Pseudo-pontificem cùm creâssent, ut à Romanis etiam Proceribus, & populô reciperetur, studebant; Ille verò quamquàm in Conciliô Mantuæ salutis anno 1064. celebratô Alexandri sententiâ rejectus esset, insignia tamen pontificia ut dimitteret, germanorum fretus auxilio, adduci non potuit. Quamobrem Petrus ad tantam Ecclesiæ perturbationem ingemiscens seriò ad hominem scripsit: *Tribus illum jam habitis Conventibus esse damnatum; & ter, si non judiciô Sacerdotum, certè legum Auctoritate abdicatum. Resipisceret itaque, si salute suâ, & Ecclesia vexata tranquillitate tangeretur: Nec ad Salutaria Patrum monita ob Dei causam, obsurdescere porrò pergeret. Nullum intrusorum hactenus bono fine quievisse. Vindictam Numinis pro foribus esse.* Verùm Cadaolus in malô obduratus, cùm nec Petri, nec Patrum

monita

monita magni faceret, tandem à ſuis omnibus deſertus, repentinô ſuperveniente interitu, excommunicatus & impœnitens, turpiſſimam mortem oppetiit.

Legatur in Germaniam ad Henricum IV. Imp. in ordinem redigendum.

Anno verò 1069. Petrus Damiani (quem, uti ſuprà docuimus, Joannes Trithemius Epiſcopum Cardinalem appellat,) in Galliàs ad reſtituendum in priſtinam pacis tranquillitatem Cluniacenſe Monaſterium, quod egregiè præſtitit, & in Germaniam ab Alexandro Pontifice Legatus eſt miſſus, eò quòd Henricus IV. Cæſar, etſi ſæpiùs àdmonitus, nullum omitteret avaritiæ genus in Deum, hominesque; Plebi ſtuderet adversùs Nobilitatem ac Principes; Omnia pro lubitu, vi magis, quàm ratione & jure ageret. Sacerdotia, Epiſcopatus, & Abbatias, nullâ ſacrorum habitâ ratione, quaſi ſub haſtâ plus offerentibus vænum exponeret; Opima quæquæ Monachorum vi erepta prædia, Sectatoribus ſuis turpi largitione tribueret. Adhæc cum Conjuge Berthâ Othonis Marchionis Italiæ filiâ, cujus haud ita pridem deſponſæ jam illum ſatietas ceperat, ut in gratiam adamati cujusdam Scorti divortium faceret, Moguntinum Antiſtitem, ad indicendum eâ de re Moguntiæ conventum impulerat.

Itaque Petrus Legatus horum omnium edoctus, mox ut in Germaniam pervenit, præ primis Moguntinum Præſulem adiit, Eumque intentatô acrioris animadverſionis periculô ab indicendô, habendoque Conciliô revocavit. Rebus Moguntiæ compoſitis Francofordiam perrexit, ubi tùm Henricus Auguſtus Procerum ſuorum Conventum agebat, in quem, uti poſtulârat, admiſſus, Pontificiis explicatis mandatis, & Principes, qui frequentes aderant; & Henricum ipſum graviter, & liberè increpuit: magnis rationum ponderibus oſtendens, *Quam ille rem moliretur peſſimam, nedum Rege, ſed & homine Chriſtiano prorſus indignam eſſe. Si minùs terreretur humanis, diviniſq́, legibus, fama ſaltem ſua rationem, exiſtimationiſq́, rationem haberet, nec pateretur tam tetro venenó à Rege temperató inſici populum Chriſti nomine, & legibus gloriantem. Et qui deberet ulciſci flagitia, iis ſe Princeps tantus ne obſtringeret. Quòd ſi, præter ſpem, monitis non tangeretur, nec conſiliis flecteretur, pro certò haberet, Pontificem, pro rerum qualitate, arma Eccleſiaſtica adhibiturum, nec fore ut illius unquam manibus conſecraretur.*

Oratio Petri ad Henricum & Imperii Proceres.

Hanc orationem maximâ, ut inquit Trithemius, Sapientiâ, Auctoritate, & facundiâ habitam, graves ſecutæ ſunt præſentium Principum voces; æqua Pontificem ex ore Petri jubere ajentium: Nominis igitur Regii Majeſtatem tam turpis facti labe ne macularet; neu parentibus Reginæ, cauſam defectionis, odii, averſionis, juſtamque turbandæ Reipublicæ occaſionem præberet. Qui, ſi viri eſſent, cùm plurimùm & milite & armis poſſent, procul dubiò tam inſignem filiæ contumeliam præclarô aliquô facinore expiaturi, & acerrimè pro opibus vindicaturi eſſent. His fractus potiùs, quàm flexus Henricus, in Romani Pontificis Auctoritate ſe futurum affirmavit; omniaque decreta, Libertati Eccleſiaſticæ adverſantia, in ſignum obedientiæ revocaturum promiſit. Atque hunc habuit exitum ad Germanos Petri Legatio.

 Petrus

Varia Pietatis opera per Italiam indicit, & instituit.

Petrus in Italiam reversus, Gregorio VII. hortante, per totam Italiam sacrum Jejunium die Veneris in honorem Christi Crucifixi; & in vigiliâ Assumptionis Beatissimæ Virginis Mariæ celebrandum instituit; vel potiùs antiquitus institutum, & jam ferè ob temporum iniquitatem obliteratum renovavit. Quod & de horariis precibus, quibus quotidie Divæ Matri Virgini debitus cultus exhibetur, factum est: jubente Pontifice, ut deinceps ab omnibus, qui sacris essent initiati, piè, & sanctè recitarentur. Plura id genus alia pietatis opera, Petrus ex Auctoritate Pontificis in commodum Reipublicæ Christianæ, & suæ Religionis emolumentum, vel excogitata noviter instituit; vel antiquata revocavit. Ea hìc singillatim recensere nihil attinet, cùm passim apud Auctores vitæ ejus descripta inveniantur.

Legatus mittitur Ravennam contra Wibertum Archiepiscopum Schismaticum.

Ultra jam memoratas Legationes, alia quoque in Petrum Legatio decreta est. Cùm enim Gregorius Papa VII. Wibertum Archiepiscopum Schismaticum & sui Contemptorem Ravennâ aliorsùm profectum audivisset, mox Petrum eò, licet ætate jam jam confectum, misit Legatum. Profectus is est magnâ animi voluptate, tum Patriæ charitate impulsus, tum Religionis studio, quo semper flagraverat, mirum in modum incensus. Accedentem Cives summâ cum benevolentiâ, & comitate exceperunt; publicisque officiis cultum benignè audierunt de Wiberti Archiepiscopi impietate disserentem, qui perversô judiciô spretâ neglectâque religione Sacrilegi partes Henrici in odium Pontificis amplexus fuerat. Itaque hortari eos magnopere, obtestarique cœpit, ut piè inita Sanctissimi Pontificis consilia susciperent, & justæ causæ immotis animis favere pergerent. Nec salutari pioque Pontificis Decreto, impiam Wiberti contradictionem, quæ non nisi turbas, motus, ac dissidia spectaret, anteferrent. His aliisque, pro more suô, eleganter & nervosè dictis, cùm magnam omnium demissionem intueretur, Populum damnati Archiepiscopi contagione corruptum, sed resipiscentem, in gratiam Ecclesiæ recepit, contractaque interdicti censurâ, Auctoritate pontificiâ liberavit.

Sanctißimè moritur.

Ravennâ discedens Pontificem aditurus, ne iter esset omninò inane, monachos invisit, quos Faventiæ constituerat extra Urbis mœnia in Æde Divæ Mariæ, quam nunc intra Urbem adductam conspicimus. Ibi ardenti febre correptus, perceptis Ecclesiæ Sacramentis, octavô, postquam ægrotare cœperat, die, sanctissimè placidissimeque ad cœlestem vitam migravit, decimo Tertio Februarii, annô salutis 1072. ætatis supra sexagesimum sextô, ibidem in Basilicâ Sanctissimæ Dei Genitricis summô cum honore & planctu expositus.

Ejus morte nunciatâ ab iis, qui juxta Cœnobium excubabant, ne sanctum cadaver à Monachis furtim exportaretur, repentè Cives omnes ad ejus parentalia accurrunt, brevique Templum tantâ populi multitudine refertum est, ut undarum sese modò invicem impellerent, planeque beatus ille diceretur, cui dabatur vel Sancti Viri loculum attingere, vel sacros demortui pedes exosculari. Sepulchrum interea ex candidissimo marmore summa facilitate ipsis,

qui

qui adducebant admirantibus, ex alio fatis distante Cœnobio devehitur, atque in eo è regione Chori, juxta gradus, quibus ad aram ascenditur, locato, omnibus hymnos ac Psalmos concinentibus, Deumque laudantibus, Viri Sancti corpus reponitur. Extat insigne Epitaphium Sepulchro ejus insculptum, ab ipsomet olim Petro (Si Baronio Tomo XI. annalium credimus) elaboratum, quod quia Lectorem ad mundi hujus contemptum concinnè provocat, referre non gravamur.

Epitaphium Petri, à se conditum.

Quod nunc es, fuimus, es, quod sumus, ipse futurus:
His sit nulla fides, quæ peritura vides.
Frivola sinceris præcurrunt somnia Veris,
Succedunt brevibus sæcula temporibus.
Vive memor mortis, quo semper vivere possis,
Quidquid adest, transit, quod manet, ecce venit.
Quàm benè providit, qui te, male munde, reliquit
Mente prius carni, quàm tibi carne mori.
Cælica terrenis præfer mansura caducis,
Mens repetat proprium libera principium.
Spiritus alta petat, quo prodit fonte recurrat,
Sub se despiciat quidquid in ima gravat.
Sis memor, oro, mei; cineres pius aspice Petri
Cum prece, cum gemitu dic Sibi parce Deus.

Fuit Petrus, ut hoc quoque jam dictis addam, Vir non modò multiplici Legatione, doctrinâ, rerumque gerendarum facilitate clarus; sed & Virtutibus, signis, ac vitæ Sanctitate toto Orbe decantatus; quare Agnes Augusta, religiosissima fœmina, Henrici IV. Imperatoris Mater, cùm sub Annum 1057. devotionis causâ Romam ad invisenda Sacra Principum Apostolorum limina pervenisset, Nemini nisi Petro Damiani Episcopo Ostiensi peccata sua ab infantiâ admissa generali confessione aperire voluit, cujus deinde suasu, mundô ac Sceptrô renuncians, monasticam vitam Frutellis in Lombardiâ amplexa, sanctô fine quievit anno salutis 1077. Et licet Petrus pœnitentiæ, & austeræ vitæ amator ardentissimus esset, interim tamen (ut cum Bellarminô loquar) non injucundus, aut infacetus est habitus, cùm & ludendi, & salsè carpendi artem apprimè calleret, eamque sæpe sæpiùs pro re natâ exerceret; ut intelligi facilè potest ex versibus tùm ad Alexandrum II. Papam; tum ad Hildeprandum Cardinalem aliosque scriptis, quos refert Baronius in Annalibus ad annum 1061.

Mathildi, Matri Henrici Imperatoris, ut sæculo nunciũ remittat, auctor est.

Cæterùm quo tempore purpurâ insignitus, Ostiensem Episcopatum rexit, quidquid æris parati sibi supererat, totum liberalissimè in egentes profundere; & ex illis duodecim pedes perpetuò ad exemplum Christi abluere; epulumque lautissimum præbere; totaque Urbe pupillos ac Viduas perquirere ac largâ stipe donare solemne habuit. In Cœnobiô constitutus, Jejunium Quadragintadiale tanto pietatis rigore transegit, ut excluso omni potu, in esum præter pepones, olera, aut cruda poma nihil admitteret. Consueverat etiam, dum rei divinæ, Horarum precibus, & hymnis decantandis interesset, nulli podio inniti, aut subsellio inhærere; & initiô

Variæ Petri Virtutes recensentur.

itiô utriusque Quadragesimæ per integrum triduum nullo penitùs cibô vesci. Ad quod Institutum, licet ipse neminem lege, aut verbis allexerit, quibusdam tamen Cœnobiis id ejus exemplo servantibus, factum vehementer laudavit. Quò diligentiùs verò totô eô triduô intra claustra Cœnobii sacrum silentium conservaretur, instituit, ut ne quis monachorum extra summam necessitatem calceamenta indueret, aut Dormitorio inambularet, priusquam singulis diebus integrum Davidis Psalterium communitas absolvisset.

Scripta ejus diversa.

Scripsit Petrus quamplurima opera: atque in primis Epistolas varias integro volumine comprehensas, sicut & Homilias doctas & elegantes permultas. Quæ duo opera Constantinus Caëtanus Ordinis S.Benedicti, Romæ typis mandavit. Edidit etiam opuscula non pauca, quorum pleraque in Bibliothecâ SS. Patrum inveniuntur, & sunt nominatim.

De Ecclesiasticâ Institutione & Simoniacæ hæreseôs confutatione.
Opusculum, quod prænotatur: *Dominus vobiscum*: id est, utrum solitarius orans horas Canonicas debeat etiam dicere *Dominus vobiscum*: quando nemo sit, qui respondeat?
Disceptationem Synodalem inter Regis Advocatum, & Ecclesiæ Romanæ Defensorem.
Disceptationem super quæstione, *Si Deus est.*
De Processione Spiritûs Sancti à Patre & Filio contra Græcorum errorem.
De Officiis Pontificiis.
De Incontinentia Episcoporum.
De Incontinentia Sacerdotum.
De Uxoribus Clericorum.
De Proprietate Clericorum.
De Perfectione Monachorum.
De Disciplinâ Monachorum.
De Patientiæ Gradibus.
De Privilegio Ecclesiæ Romanæ.
De reconciliandis Hæreticis.
De Insolentiâ malignorum Hominum.
De Avaritia Prælatorum.
De Naturis quorundam Animalium.
Declamationes quasdam.
Dialogum Judæi & Christiani.
Disputationem de Horis Canonicis.
Lamentationem super animâ immunditiæ deditâ.
Quod Nuptiæ fieri possunt sine coitu.
Regulam solitariorum.
Apologeticorum Libros tres.
Vitas quoque S. Romualdi Abbatis. S. Odilonis Abbatis. S. Dominici Loricati, & S. Macarii Episcopi Cæsenæ, quarum pleræque sunt apud Surium.
Gesta Rodulphi Episcopi Eugubini.

Rythmos

Rythmos de B. Virgine Mariâ.

Hymnos de Annuntiatione & Assumptione ejusdem.

Quamvis verò doctissimus juxtà ac Sanctissimus fuerit Petrus, aliqua tamen minùs considerate scribenti exciderunt, quæ Viris doctis non admodùm probantur; atque à veritate prorsus aliena, ac propè ridicula videntur. In Epistolâ enim ad Dominicum capite 5. narrantur quædam leviora de Animabus Purgatorii, *qua die dominicò refrigerium pœnarum videntur habere, & in figurâ avicularum de lacu averni exire cernuntur*; quæ fabulis fortasse similiora sunt, quàm historiæ; ut, inquit, doctissimus Cardinalis Bellarminus in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis. *Reprehenduntur nonnulla ex ejus Scriptis.*

In Epistolâ verò ad Firmum Episcopum liberiùs, quàm par esset, videtur reprehendere S. Leonem IX. propter Bellum contra Northmannos decretum: *neque enim illicitum est*, inquit modò laudatus Bellarminus, *armis defendere Civitates, in quas Pontifex temporale dominium habet.*

Demum in Epistolâ ad Henricum Ravennæ Episcopum affirmat, *Christum anno suæ ætatis trigesimò in Baptismò factum esse Sacerdotem.* Et *Liberium Papam fuisse Hæreticum, & Seditiosum.* Quæ falsa sunt. Christus enim suâ in conceptione omnem habuit gratiam & dignitatem; consequenter & Sacerdotium. Et Liberius Hæreticus non fuit, ut solidè demonstrat allegatus Bellarminus Libro 4. de Pontif. cap. 9.

Petri Damiani mentionem faciunt Joannes Monachus Ejus discipulus. Leo Ostiensis in Chronico Cassinensi. Petrus Diaconus de Sanctis Monachis Cassinensibus. Trithemius de Viris illustribus Ordinis S.Benedicti. Panvinius in Chronico Rom. Pontif. Arnoldus Wion in Ligno Vitæ. Bellarminus de Script. Ecclesiasticis. Baronius in Annal. Eccles. tomo XI. Lambertus Schaffnaburgensis in historiâ Germanorum. Bertholdus Constantiensis in Auctuariò ad Hermannum Contractum. S. Antoninus in Chronico. aliique quam plurimi.

ANNO 1057.

SEDENTE STEPHANO X. PONTIF. MAXIMO.

De

BENNONE GERMANO S.R.E. CARDINALE.

BENNO, quem alii Brunonem nuncupant, Natione Germanus, à Stephanô X. Pontifice Maximô, initiô Quadragesimæ Anno Salutis 1058. Presbyter Cardinalis titulo S. Sabinæ creatus, postea S.R.E. Archipresbyter fuit, alius à Bennone, Episcopo Prænestino creatô à Nicolao II. Hic enim obiit sub Alexandro II. ille autem usque ad Gregorii VII. tempora, & ultra, vitam produxit suam. Fuit autem Benno Vir alti ingenii, minimeque vulgaris doctrinæ, ex qua haud dubiè non exiguam laudem consecutus fuisset, nisi turpissimè lapsus, eâ in Ecclesiæ detrimentum, & Pontificis sanctissimi Gregorii VII. contumeliam abusus fuisset. XII.

Partes

Partes Clementis III. Pseudopontificis, ejuratô Gregorio VII. amplexus, in gratiam Henrici Cæsaris eas, dum vixit, pertinacissimè fovit. Eapropter Zeli ferventioris obtentu Ecclesiam Romanam, voce, scriptis, consiliô, ope, & operâ, quantùm potuit, infestari & perturbare non cessavit. Cumque conatus impius (obnitente virili constantiâ Gregorio) ex votô minimè cessisset, Schismatico furore, & ex legi dementiâ percitus, ut famam contumaciæ suæ faceret, probatissimos Gregorii Pontificis mores aggredi; mille convitiis quaqua versùm proscindere; Vitamque ejus totidem commentis, injuriis, & mendaciis benè fartam, accuratâ malitiâ, divulgare cœpit. Cujus probrosi & aversandi Voluminis nomen reticere utique par fuisset, si per juratos Ecclesiæ hostes, Hæreticos scilicet (quibus hodie dùm in deliciis est) licuisset, quorum dolosô consiliô typis identidem admotum, nescio majorine suo, an perversissimi Auctoris opprobriô publicatum est. Cùm Viris interea cordatis, integris, & veritatem amantibus opus adeò mendosum, infame, ac mendax, præsertim adversùs hominem justum, Innocentem, miraculis & donô prophetiæ clarum, probari, aut placere minimè possit. Certè Bellarminus insignis Virtutis amator, & Veritatis assertor, Gregorium ab id genus convitiis egregiè propugnat, & defendit, qui cùm Librum Bennonis Schismatici Cardinalis, impudentissimis refertum calumniis legisset, vel ab aliquo Hæreticô conscriptum, & suppositô Bennonis titulô in lucem editum; vel Bennonem ipsum non tam Gregorii VII. vitam, quàm pessimi cujusdam Pontificis Ideam sub Gregorii nomine referre prudentissimè suspicatus est: ut olim Xenophon (sed majori laude) factitasse perhibetur; qui non tam Cyri Persarum Regis vitam scribere; quàm quid optimo Principi agendum esset, clanculùm docere voluit. Ex quibus facilè patet, quidquid Convitiorum vel ab hæreticis; vel ab ipso Bennone (cujus vitulâ illi hoc in passu ârarunt) in Gregorium congeritur, nil nisi tetræ loliginis, & livoris nigrum esse succum. Pro Gregoriô, integerrimô Libertatis Ecclesiasticæ Assertore & Vindice, præter alios quamplurimos Athletas, acriter pugnant Cardinalis Baronius in Annalibus; Nicolaus Sanderus de visibili Ecclesiæ Monarchiâ; Gerebrardus in Chronicô; Sigonius de Regnô Italiæ; Augustinus Oldoinus in additionibus ad Ciaconium, & Andreas Victorellus ibidem.

Impius & Schismaticus Pontificem & Ecclesiam aculeatis & mendacissimis Scriptis impugnat.

Judicium Bellarmini de Bennonis Scriptis.

Interfuit Benno Schismaticus Conciliabulo Romano; urgente Henricô adversùs Gregorium VII. legitimum Pontificem impiè celebrato: è quo tum suô, tum aliorum Pseudo-Cardinalium nomine infamem Epistolam ad Christi fideles dedit, qua eos ad defectionem Gregorii, sed in cassùm, impellere annisus est. Sunt qui scribant, Bennonem hunc non à Stephano X. sed à Clemente III. Pseudo-Pontifice Cardinalem creatum. Ego in re incertâ, ne errem, nihil definio.

Ejus Interitus, & Scripta.

Quo verò tempore, aut anno decesserit Benno, Scriptorum hactenùs nemo, quantùm quidem deprehendere potui, prodidit. Est tamen conjectura non improbabilis, Illum circa annum Domini 1092. Ecclesiæ Romanæ nequaquàm conciliatum, suâ in pertinaciâ obiisse & interiisse.

Scripsit

Scripsit plura diversa Opera, sed usque adeò mendaciis,& imposturis corrupta, ut penè tot peccata, quot verba contineant. Quæ, licet ex publicâ Ecclesiæ censurâ Edicto vetita sint, magni tamen tùm ipsa, tum Auctor eorum ab hæreticis vel hodiedùm æstimantur: hoc solô nomine, quod Ecclesiæ Romanæ, & Pontificum hostis acerrimus, quoad vixit, extiterit.

Ejus mentionem cum stomacho faciunt, Baronius in Annal. Bellarminus Controversiâ de Pont. Rom. Sanderus de Visibili Ecclesiæ Monarchia. Victorellus in addit. ad Ciac. aliiq; pauci.

ANNO 1057.

SEDENTE STEPHANO X. PONT. MAX.

De

ALBERICO MONACHO CASNENSI. S.R.E. CARDINALE.

ALBERICUS, quem nonnulli Trevirensem patriâ, natione Germanum faciunt, Monachus Cassinensis Ordinis S. Benedicti, S.R.E. Cardinalis à Stephano X. renunciatus est. Hunc Panvinius inter Cardinales ab Alexandro Secundô creatos; & Ciaconius tum sub Stephano X. tum sub Alexandro II. (quasi duo essent Alberici Diaconi Cardinales) nominat; cum re verâ unus dumtaxat fuerit, renunciatus, ut diximus, à Stephano X. Vir eô ævô doctrinâ & eruditione maximè celebris, ut complura ingenii ejus monumenta, in publicùm emissa, satis demonstrant, quorum præcipua sunt: XIII.

Contra Imperatorem Henricum IV. de Romani Pontificis Electione.

Contra Berengarium Archidiaconum Ecclesiæ Andegavensis, de veritate Sacramenti Eucharistiæ.

Berengarius enim, ut scribit Petrus Diaconius de Viris illustribus Cassinensibus: *inter multa, quæ adstruere nitebatur, dicebat Sacrificium Corporis & Sanguinis Domini figuram esse. Cumq; nullus ei resistere valeret: Albericus evocatur ad Synodum* (intellige Romanam sub Nicolao II. anno 1059. celebratam) *quò dum pervenisset, post varia conflictationum genera, cum pars parti non cederet, idem Albericus acceptâ hebdomadæ unius licentiâ, librum adversùs eumdem Diaconum de Corpore Domini edidit, Sanctorum Patrum testimoniis roboratum, in quo omnes assertiones ejus destruxit, æternæq; oblivioni tradidit.* Tanti igitur Sacramenti *Primarius Defensor* Albericus dictus est, cujus rationibus Berengarius potissimùm superatus, & victus; errorem suum confitens, susceptâ prius peregrinatione, deinde Ordinis Divi Benedicti habitu, toto vitæ suæ tempore continuatâ pœnitentiâ pro peccatô commissô satisfecit; & anno salutis 1088. vel, ut aliis placet, 1091. die Epiphaniæ Domini sacro obiit Nonagenarius, sepultus in Templô S. Cosmæ apud Turones, ut scribit Claudius Robertus in sua Galliâ Christianâ. Hildebertus de Lavardinô,

Berengarii Sacramentariorum Auctorem hæreticum impugnat, convincit, & convertit.

Berengarius resipiscens, ac pœnitens moritur.

vardinô, Archiepiscopus Turonensis, integerrimus Berengarii amicus, hoc cum post facta elogio exornavit:

Ejus Epitaphium.

Quem modò miratus, semper mirabitur Orbis,
Ille Berengarius non obiturus, obit.
Quidquid Phylosophi, quidquid cecinère Poëtæ,
Ingenio cessit, elogioq; suo.
Cui vestis textura rudis, cui non fuit unquam
Ante sitim potus, nec cibus ante famem.
Quem natura parens mundi cùm contulit, inquit,
Degenerant alii, nascitur ille mihi.

Hæc occasione Alberici de Berengariô referre non piguit, plura qui volet, adeat, consulatque Bellarminum de Scriptoribus Ecclesiasticis ad annum 1059. & 1070. nunc ad ipsum Albericum, cujus ille potissimùm operâ palinodiam in Conciliô Romanô cecinit, revertamur.

Multis Virtutum radiis eminuit Albericus, sed præcipuè studio in Deiparam Virginem, cujus ineffabiles laudes publicis monumentis posteritati consignavit, scribendo de Virginitate ipsius egregium volumen, & de Assumptione ejusdem Hymnos Tres. Scripsit etiam

Scripta Alberici.

Dialogum de Musicâ.
De diversis Dictaminibus & Salutationibus.
De Dialecticâ.
Passiones SS. Modesti & Cæsarii.
Vitas S. Dominici Abbatis & S. Scholasticæ Virginis.
Homilias item aliquot de S. Scholasticâ.
Hymnos de Paschate, de Ascensione, de S. Cruce, de Die judicii, de Pœnis inferni, de gaudio Paradysi, de Monachis.
Carmina de S. Paulo, de S. Apollinare, de S. Nicolao, de S. Scholastica.
Epistolas plures ad diversos.
Scripsis & alia, teste Petro Diacono, quæ ad nostram notitiam non pervenerunt.

Alberici Lucubrationes omnes habentur M. SS. in Bibliothecâ Cœnobii S. Crucis Fratrum Minorum Conventualium S. Francisci Civitatis Florentinæ. Vita quoque S. Scholasticæ asservatur m. s. in Bibliothecâ Monasterii Cassinensis. Extant pariter nonnullæ Epistolæ B. Petri Damiani ad nostrum Albericum Tomo. 1. libro 2. Epistola 20 & 21. in quibus quæstiones quasdam sibi ab Albericô propositus eleganter discutit.

Guaiferio defunctus apparet Alberico.

Meminit Alberici Petrus Diaconus Libro m. s. de Vitâ Justorum Cassinensium c. 48. in Guaiferio his verbis: *Cumq; jam remunerationes laborum, perennemq; coronam æternus arbiter dare ei* (Guaiferio scilicet) *decrevisset, languore deprimitur; qui in lectulo jacens extremum vitæ spiritum jam jam ad Dominum reversurus trahebat: Nonnulli à fratribus circa lectulum ipsius excubantes, obitum ejus orationum precibus munire cæperunt; cumq; in hujus ministerio rei, diei maximam partem traduxissent, surgens in medium Albericus Diaconus per Jesu Christi Domini nostri nomen obtestarà*

testari eundem Guaiferium capit, ut post suum è mundo recessum, qualiter susceptus, quovè in locô deputatus esset, eidem apparens revelare curaret. Quo dicto prædictus frater ex hôc mundo recessit. Post nonnullos dies Guaiferius defunctus Alberico per visionem apparens dixit ad eum: in Veritate scias, me ad vitam transiisse æternam. Hæc Petrus.

Transcursis à memoratâ visione aliquot annis Albericus meritis plenus mortali vitâ decessit Romæ circa Annum Domini 1089. Sepultus in Ecclesiâ SS. Quatuor Coronatorum, quorum titulum, teste Joanne Baptistâ Mario in Notis ad Petrum Diaconum, gessisse Cardinalis perhibetur.

Alius tamen ab hôc nostro fuit Albericus, pariter Monachus Cassinensis, qui doctrinâ insignis Librum conscripsit de Visione suâ, natus circa annum salutis 1101. Legitur enim apud Petrum Diaconum in Auctuariô Chronici Leonis Ostiensis Libro 4.capite 66. Albericum Juniorem Cassinense Cœnobium petiisse anno decimo ætatis suæ sub Gerardô Abbate, qui præfuit ab anno 1101. usque ad annum 1123. Stephanus verò Papa X. à quo Albericus noster in Cardinalium Cœtum cooptatus fuit, obiit anno 1058. Unde diversus apertè dignoscitur contra Bolandum in Prolegomenis vitæ S. Dominici Abbatis Sorani, qui ex duobus unum, eundemque facit. *Confunditur alius Albericus Monachus Cassinensis cum nostrô, sed malè.*

Observandum insuper est, nostrum Albericum Cardinalem non scripsisse de visione suâ librum, (ut opportunè notârunt Arnoldus Wion, Possevinus, Torrigius & alii) quem utique indicâsset Petrus Diaconus in Elenchô Lucubrationum Alberici, si posteris illum demandâsset. Cùm visionem illam habuerit puer, natione Campanus ex Oppidô septem fratrum, qui postea Cœnobium Cassinense petiit sub Gerardô Abbate. Quare corrigendus Alphonsus Ciaconius, cæterique qui de Cardinalibus scripsêre, notantes Albericum Cardinalem esse natione Campanum ex Oppido septem fratrum, decepti nominis, & instituti similitudine. Natione enim Campanus ex Oppido septem fratrum fuit Albericus Junior, qui Cassinum petiit annum ætatis suæ agens decimum sub Gerardô Abbate, ut diximus. Albericus verô Senior S.R.E. Cardinalis florebat añô salutis 1084. Ejusq; ætas satis cognoscitur ex eô, quòd pro Gregorio VII. calamum strinxerit adversùs Henricum IV. Imperatorem.

Ejus mentionem faciunt Petrus Diaconus de Viris Illust. Cassin. Arnoldus Wion in Ligno vitæ. Panvinius in Hist. Pontif. Ciaconius. in Vita August. Oldoinus in add. ad Ciconium & alii.

ANNO 1059.
SEDENTE NICOLAO II. PONT. MAXIMO.

De

ODERISIO MARSORUM COMITE. S. R. E. CARDINALE.

ODERISIUS Vir nobilissimus, ex veteri Marsorum Comitum Sanguine in Campania procreatus, solitariæ vitæ desiderio Divi Benedicti Institutum amplexus est in Monte Cassino sub disciplinâ Richerij Abbatis Viri sanctissimi. XIV.

Sacrô indutus habitu, adeò rerum fluxarum contemptu, Cœlestium amore, divinæ lectionis studio, totiusque regularis vitæ observantia etiamnum Juvenis eminuit, ut Cœnobitarum Præfectus egregiam illius indolem admiratus, eum quandoque ad Sacri Regiminis Præfecturam sublimandum, non vanô auguriô, prædixerit. Hunc Nicolaus II. Romanus Pontifex Cassinense Monasterium pertransiens, ob egregias animi dotes, secum Acerras perduxit; ubi illum, Hildeprandi Archidiaconi suasu, Diaconum Cardinalem S. Agathæ in Suburrâ, teste Martinello, creavit. Desiderius verò post Richerium Cœnobii Abbas Trigesimus septimus, sublato è vivis Gregorio VII. in Thronum pontificium sub Victoris III. nomine assumptus, Eundem sibi in Monasticô regimine successorem designavit. Desideriô ob propinatum in calice per insidias Imperatoris Henrici IV. toxicum mortuô, Monachi Cassinenses celebratis comitiis Oderisium unanimi suffragio Abbatem proclamarunt anno salutis 1087.

Desideriô defunctô Abbas Cassinensis eligitur, mox Cardinalis.

Crescente exinde quaquaversùm Oderisii Abbatis famâ, Romam certis de negotiis accitus, ab Urbano II. ejus comitate & eruditione captô, Presbyter Cardinalis titulo S. Marcelli consecratus est. His honorum dignitatibus auctus nihil de pristinâ vivendi consuetudine immutavit. Monasterio quod per annos septem & decem singulari prorsus prudentiâ & sanctitate moderatus est, maximo fuit emolumento. Nam Ædificia à Desideriô inchoata, morte verò interveniente, imperfecta relicta, non solùm mirâ celeritate absolvit, sed & nobili adjectâ suppellectile magnopere locupletavit. Facultates, Oppida, Prædia, Castella, partim oppignorata, partim deperdita, partim etiam vi ablata, suâ industriâ placatô Cæsare iterum recuperata ditioni Cassinensi adjecit. Corpora Divorum Augustini & Paulini, sanctissimi Patris Benedicti quondam Discipulorum, in Ecclesia S. Stephani propè Tarracinam inventa, atque inde in Ecclesiam S. Andreæ, quam ipse Cassini in monte construxerat, translata, honorificè collocavit. Avitæ Sanctitatis nomen, quod apud exteras gentes de Cassinate Familiâ increbuerat, auctum potiùs, quàm ulla ex parte diminutum reliquit. Saluberrimis religiosæ vitæ documentis, nusquam à domesticâ consuetudine recedens, Alumnos suos ad omnem temperantiam, ac probitatem suo exemplo pellexit. Hujus maximâ per litteras usus est amicitiâ Alexius Comnenus Imperator Constantinopolitanus, eidem & Monasterio multa nobilia dona largitus.

Præclara Oderisii facta enumerantur.

Henricum IV. Cæsarem, quamvis Romanæ Ecclesiæ, & Asseclarum infensissimum hostem, mirabili suâ comitate ita demulsit, ut & sui & Monasterii amicum & fautorem maximum reddiderit. A quo, sicut & ab Urbano II. atque Paschali II. multa pro dignitate & incremento Monasterii Cassinensis privilegia obtinuit.

Demùm de suo Cœnobio, Romanâ Ecclesiâ, & Gregorio VII. cujus partes, durante Schismate Gilbertino, constantissimè tuendas suscepit, optimè meritus, Cassini quartô Nonas Decembris anno reparatæ salutis 1105. Sanctô fine quievit. Corpus ejus in Ecclesiâ S. Benedicti magnâ populi frequentiâ, & funeris pompâ ter-

Obitus ejus Sanctus, & Scripta.

ræ

ræ mandatum. Martyrologium Ordinis memoriam Oderisii Cardinalis & Abbatis, hodiedùm sub *Beati* titulo colit.

Scripsit, ut nonnulli Auctorum testantur, plurima opera, tum solutâ, tum ligatâ oratione, quæ tamen injuriâ temporum magnâ ex parte deperierunt. Ejus verò memoria antiquo lapidi incisa extat in Ecclesiâ S. Joannis in Venere his Verbis:

ODERISIUS S. R. E. CARDINALIS.

Magna tuis, Oderise Pater monumenta relinquis, *Epitaphium.*
Virtutum Titulos, ô decus! atque dolor!
Cuncta Sacerdotum præstantia munera comples,
Et quo quisq; bono claruit, unus habes.

ANNO DOMINI M. C. V.

Ejus memoriam insigni elogio præ cæteris celebrat Petrus Diaconus Monachus Cassinas libro 4. Historiæ Cassinensis. Arnoldus Wion. Leo Ostiensis libro 3. c. 14. Aubery in Vita. Ciaconius. & alii nonnulli.

ANNO 1061.

SEDENTE ALEXANDRO II. PONTIF. MAXIMO

De

GERARDO RATISBONENSI.

S.R.E. CARDINALE.

XV.

GERARDUS Nobilis Germanus, ortum habuit Ratisbonæ in Bavariâ. Monachus factus & in Cœnobio Cluniacensi, ibidem ob inculpatæ vitæ tenorem, doctrinæq; præstantiam Prior Major concordi omnium consensu eligitur. Longiùs deinde progrediente Virtutum ejus famâ, expeditum sibi iter ad maximas quasque Ecclesiæ dignitates aperuit. Episcopus namque Ostiensis ab Alexandro II. creatus, Petro Damiani, Viro Sanctissimo, in Episcopatu & Cardinalatu successit. Insignes aliquot deinde tum sub memoratô Alexandro, tum sub Gregorio VII. Legationes pro Dei & Ecclesiæ causâ strenuè obivit. Primam in Gallias extremis Alexandri II. temporibus, comitante illum Rambaldo Cardinale Subdiacono, ubi coactâ Synodo collapsos incontinentium Clericorum mores ad honestatis regulam exegit. Alexandro interim vitâ functo, dum adhuc in Galliis ageret, à Gregorio VII. recèns electo Romam vocatus destinatur ad Hispanos, apud quos memorabili Conventu celebrato pro rerum exigentiâ hinc criminosos aliquot Episcopos quæstioni admotos, & convictos dignitate privavit; illinc alios concubinatûs, & Simoniæ reos à beneficiis & communione removit; alios aliis pœnis, & censuris, pro qualitate delictorum affecit. Quam ob rem frequentes à punitis querelæ ad Gregorium delatæ, Pontificis animum nonnihil in Gerardum, ut nimis austerum, concitârunt: à quo datis ea propter ad ipsum litteris, ut humanæ fragilitatis memor, mitiùs porrò ageret, jussa accepit.

Varias Legationes obeundas suscipit.

Ecclesiasticos facinorosos pœnis afficit.

Mox tamen ab eodem Pontifice in Germaniam ad Henricum IV. Imperatorem missus, tertiâ legatione perfunctus est. Causa legationis erat: ut Henricum sacrilegiis, & Simoniâ infamem tum ad resipiscentiam; tum ad satisfactionem læsæ Sedi Apostolicæ præstandam, sub anathematis interminatione, commoneret. Deinde ut Synodum in Germaniâ pontificiô nomine adunatam celebraret, in qua statutis pœnis caveret, ne imposterùm Sacerdotia aliaque id genus Beneficia, sive à Laicis, sive ab Ecclesiasticis contra Sacrorum Canonum leges turpi mercimonio vænùm exponerentur. Quod cùm constanter, & imperterritè præstitisset, multorum Principum, ac privatorum odia contraxit. Injuriis igitur & contumeliis oneratus, & ab ipsomet Imperatore loco cedere jussus, imò rejectus Romam re infectâ rediit. Pontifex rerum edoctus, illatâque Legato injuriâ graviter commotus, Cæsarem, ejusque sequaces, donec satisfacerent, anathemate perstrinxit.

Durè habetur in Germaniâ.

Pace tandem inter Pontificem, & Henricum certis conditionibus stabilitâ, Conventui Canusino (Oppidum erat agri Rhegiensis Mathildi Comitissæ subjectum) Legatus Gerardus adfuit, & præfuit. Ex quo iterum ad Gallos, deinde Germanos, demùm ad Saxones, & Mediolanenses Gregorii jussu Legationem, magno rerum emolumento subiit. In Gallia adfuit Synodo Turonensi adversùs Berengarium Hæreticum celebratæ, auctorque fuit Berengario, ut quemadmodum Romæ ab Alberico convictus fecerat, & hìc palinodiam recantaret. Concilium pariter in Novempopulis pro reformandis identidem Clericorum moribus, ac maximè tollendo concubinatu indixit, ut ipsemet Gregorius in Diplomate, eâ de re editô, attestatur.

Hisce in itineribus ab Henrico fœdifrago contra publicam fidem Romano Pontifici datam interceptus in carcerem eò usque compingitur, donec partes Clementis III. Pseudo-Pontificis amplecteretur, cui, cùm ille potiùs mori, quàm illegitimo, & damnato adhærere eligeret; ab eodem non modò indignè habitus, sed & Prænestinô Episcopatu in pœnam suæ constantiæ & contumeliam Pontificis spoliatus est. Demùm ab Imperatore, quorumdam precibus placatô, liber dimissus, Romamque reversus, plenus dierum ac meritorum, sedente Gregorio VII. ad incomparabilis viri obitum illacrymante, ex humanis ad beatam immortalitatem, tot laboribus & ærumnis promeritam, tranquillè concessit annô salutis 1077. Octavô Idus Decembris, ut narrat Bertholdus Constantiensis, fidelissimus Auctor in Appendice ad Hermannum Contractum, quem dignum Petri Damiani Successorem brevi hôc elogiô nominat: *Gerardus natione Germanus, re verà Monachus, Scientiâ Scripturarum insignis, & moribus Prædecessori suo non impar.*

Obitus ejus & Laudes.

Multa de Gerardo scripsêre Lambertus Schaffnaburgensis; Auctor Anonymus Libri Pontificum, in Bibliothecâ Vaticanâ asservati. Et Gregorius ipse VII. in Registro suo, in quo extant multæ ejus ad Gerardum, & hujus vicissim ad Gregorium scriptæ Epistolæ: quibus maximè apparet: quanti ab eo Gerardi Virtus, ac scientia fieret. Multi confundunt Gerardum hunc nostrum Episcopum Ostien-

ſtienſem cùm Gerardô Engoliſmenſi Epiſcopo, qui hoc ipſo tempore vixiſſe traditur, ſed perperàm: Prior enim Germanus, poſterior Gallus natione fuiſſe tum ex aliis, tum ex ſupra dictis apertè dignoſcitur.

Ejus meminere præter ſupra laudatos Auctores, Chronicon Cluniacenſe. Ciaconius in Hiſt. Cardin. Aubery in Vitâ. Oldoinus in addition. ad Ciaconium. & Alii.

ANNO 1061.

SEDENTE ALEXANDRO II. PONTIF. MAXIMO.

De

HUGONE DIENSI
S.R.E. CARDINALE.

XVI.

HUGO Dienſis Ducali Burgundorum ſanguine ſatus, Nepos fuit Hugonis, Filii Odonis primi Burgundorum Ducis. Is vixdùm pubertatem egreſſus, ob conſpicuas corporis, & animi dotes, quibus omnium oculis mirè placebat, omniumque animis ſe ſe inſinuabat, donatus eſt Prioratu S. Marcelli Cabilonenſis. Exinde non minùs Virtutibus, quàm annis creſcens, Albo Cardinalium ab Alexandro II. inſcriptus; ac XI. Kalendis Aprilis anno ſalutis 1083. Epiſcopus Dienſis à Gregorio VII. inauguratus, non multò poſt in demortui Archiepiſcopi Lugdunenſis locum omnium plauſu translatus, & ſuffectus eſt. *Ob præclaras Virtutes Cardinalis, ac non multò pòſt Archiepiſcopus Lugdunenſis efficitur.*

Romam cum ſuis Clericis ad Concilium indictum vocatus, ſemper à partibus Gregorii VII. contra Henricum IV. Imperatorem, & ejus Antipapam Clementem III. ſtetit, quorum impietatem, virili zelô commotus, tum Scriptis, tum vivâ voce in gratiam Sedis Apoſtolicæ vehementer exagitavit, & deteſtatus eſt. Quare triduô priuſquàm Salerni è vitâ diſcederet Gregorius, à Cardinalibus & Epiſcopis, qui aderant, rogatus, ut mentem ſuam de Succeſſore in Petri Cathedram deſignandô aperiret: *Legite*, inquiebat, *ex his tribus unum, aut Deſiderium Cardinalem; aut Hugonem Lugdunenſem; aut Othonem Oſtienſem.* Ex quibus Romæ omnium votis lectus Deſiderius, invitus licet, ſub Victoris III. nomine Hugoni poſteà, ut dicetur, invidiam fecit. *Judicium morientis Pontificis de Hugone.*

Interim Hugo Romanæ Sedis nomine Legatus in Gallias miſſus, Fulconem Comitem Andegavenſem, jam ante ob gravia admiſſa ſcelera anathemate defixum, ſed agnitô errore emendationem ſpondentem, ritu ſolemni abſolvit. Deinde Synodum ad prohibendas Laicorum inveſtituras, tollendam Simoniam, proſcribendum Concubinatum indixit, in quâ multa ad Cleri honeſtatem & reformationem ſpectantia edidit ſtatuta. *Variis Legationibus obeundis præficitur, egregia & mira patrat.*

Rebus in Galliâ ad mentem Pontificis compoſitis, deſtinatur in Britanniam Minorem unà cum Huberto Cardinale Diacono ad cognoſcendam Epiſcopi Dolenſis cauſam: Eâ diſcuſsâ ſententiam

pro

pro Episcopo adversus Canonicos pronunciavit. Adfuit etiam Concilio Lugdunensi sub annum 1081. celebrato contra Manassem Sedis Rhemensis invasorem, & usurpatorem; quem sæpiùs Romam ad dicendam causam vocatum, sed jussis parere detrectantem, deposuit. Eodem annô, curante Hugone, celebrata Synodus Meldensis, in quâ Theobaldo Suessionensi Episcopo, variis excessibus infami deposito, Beatus Arnulphus Pamelius Abbas S. Medardi suffectus est.

Lites & jurgia habet cũ Episcopis Provinciæ Senonensis & cum Yvone Carnotensi.

Ab Urbano II. constitutus Hugo Legatus ad Gallos, flammas casu obortas, & in Ædificia Monialium Marciniacensium dirè grassantes, ne latiùs serperent, fide plenus solo crucis signo cohibuit, ac restinxit. Provinciæ tamen Senonensis Episcopos in se ipsum magnopere concitavit, dum electum Nivernensem Episcopum, contra antiquum Ecclesiæ morem, extra Provinciam Augustodunensem vocatum, consecrare intenderet. Simili de causâ non levis inter ipsum, & Yvonem Carnotensem exorta dissensio super Consecratione Diamberti Archiepiscopi Sennonensis, quem Yuo solùm tempore proximi Jejunii consecrandum ajebat, non autem Dominicâ die post electionem, ut Ecclesia Senonensis in votis habebat. Quare Yuo zelo accensus publicè in Concilio Turonensi Hugonem coràm Pontifice Urbano reprehendit: *Quod audacter multa exigeret, faceretq; veteribus & Institutis & consuetudinibus contraria: &, quod cùm Petri uteretur Auctoritate, Petri tamen immemor esset doctrinæ, dicentis, neque ut dominantes in Clero, sed forma facta gregis ex animo.* His tamen non obstantibus, Hugonem in Epistolis idem Yvo multùm commendat, vocans illum: *Virum Religione, prudentiâ, eruditione & auctoritate mirabilem.*

Relictô Victore III. deficit ad Clementem Antipapam.

Dum Gregorius VII. vixit, ipsius partibus contra Gilbertum (seu Clementem III. Pseudo-Pontificem) perpetuò, nullis perterritus minis, aut corruptus muneribus, adhæsit. At illo vitâ functô prælatum sibi Victorem III. ægrè ferens, fastu & ambitione ductus (inhiarat enim Pontificæ thiaræ) ab ipso Victore, à quo Legatione Gallicanâ honoratus fuerat; defecit ad Antipapam Clementem. Eapropter in Synodo Beneventana cum Richardo Abbate S. Victoris Cardinale, paris perfidiæ Socio, purpurâ spoliatus, depositus, & damnatus est. Verùm non diu pòst commissi facinoris pœnitentiâ motus, quorundam Cardinalium rogatu in gratiam receptus, pristinæ dignitati restitutus est. Hinc identidem Legatus Apostolicus constitutus, interfuit Synodo Claromontanæ circa annum Domini 1095. adversùs Philippum Francorum Regem, ob repudiatam Bertham legitimam uxorem, celebratæ: in qua etiam expeditio in Infideles Antiochiæ, Hierosolymorum, ac Palestinæ Dominos, ejus potissimùm operâ conclusa est.

Deponitur, Resipiscit, & restituitur.

Ejus obitus & Scripta.

Excessit è vitâ Nonis Novembris annô à partu Virginis 1103. Salaminæ, seu Famagostæ in Insulâ Cypri, cùm ad expeditionem in Turcas illuc se contulisset, ibique per aliquot annos pro Ecclesiæ incrementô laborans remansisset. Extant in Registro Gregorii VII. plures ad hunc Hugonem Epistolæ, quibus eum permagni à Gregorio habitum, Virumque eâ ætate clarissimum & doctissimum

mum

mum fuiſſe liquidò conſtat, niſi tot inſignes Virtutes unius Ambitionis vitiô commaculaſſet.

Scripſit doctam Apologiam pro Gregorio VII. adverſus Gilbertum Antipapam.

Sermones aliquot in Conciliis à ſe habitos.

Epiſtolas plures ad diverſos.

Hugonem hunc aliqui inter Cardinales non numerant, quos noviſſimè ſecutus eſt Ludovicus Morerius in Magnô ſuô Dictionario Hiſtorico. Ego Alphonſum Ciaconium, Onuphrium Panvinium, & Auguſtinum Oldoinum, probatiſſimos Auctores imitatus, illum abeorum numero excludere non ſum auſus. Baldericus Epiſcopus Dolenſis Hugonem Dienſem poſteritati incultis hiſce verſibus commendavit.

Laudatur à Balderico Epiſcopo Dolenſi.

Pòſt Lugdunenſis Præſul priùs Hugo Dienſis,
Magnus Romanæ filius Eccleſiæ.
Quem ſibi Legatum Romanus Papa rogavit,
Ad Synodum veniens, pro dolor! occubuit.
Virtutum cellam, divini nectaris Aulam,
Hac tumulavit humo Seguiſienſis homo.
Lætatus Juſtus, hoſpes bonus, hoſpite tanto,
Quem Deus eximium dedit ei Socium.
Lugdunum luge, ſolemnia Conciliorum
Occubitu Patris, occubuere tibi.

Ejus mentionem faciunt Yvo Carnotenſis in Epiſtolis. S. Anſelmus libro 2. Epiſt. 11. Lib. 3. Epiſt. 24. & 330. Leo de monte Caſſino lib. 3. c. 64. & 74. Vincentius, lib. 26. c. 95. Claudius Robertus in Gallia Chriſtiana. Baronius in Annal. Aliiq.

ANNO 1061.

SEDENTE ALEXANDRO II. PONTIF. MAXIMO.

De

BERNHARDO MASSILIENSI,

S.R.E. CARDINALE.

XVII.

BERNHARDUS natione Gallus, profeſſione Monachus Ordinis D. Benedicti, dignitate Abbas S. Victoris Maſſiliæ ob egregiam doctrinam, & laudabilis vitæ converſationem ab Alexandro II. Presbyter Cardinalis creatus, ſub Gregorio VII. unà cum Bernhardo Papienſi Diacono Cardinale functus eſt Legatione Germanica ad Sacri Romani Imperii Principes, & Electores Francofurti congregatos, ad deponendum Henricum IV. Auguſtum, anathemate notatum, ſacrilegiis, perjuriis, ſimonia, aliiſque criminibus infamem. In exauctorati locum (adnitente maximè Pontifice) Procerum ſuffragiis ſuffectus eſt Rudolphus à Rheinfelden, Dux Suevorum, qui præſentibus Legatis, Electoribus, Principibus, ac univerſa penè totius Germaniæ Nobilitate Rex Germanorum ſalutatus, multarum poſteà diſcordiarum, præliorum, ac cædium cauſa fuit.

Legatus mittitur in Germaniam ad deponendum Henricum IV. Imp.

Henrici Asseclæ contra jus gentium Bernhardum Massiliensem, Legatum Apostolicum per insidias in itinere captum, arctæ custodiæ aliquamdiù mandârunt. Pontifex rei indignitate commotus gravissimis censuris, ac pœnis in Legati grassatores, tanquam publicæ fidei violatores, severè processit, & animadvertit. Vinculis tandem, Rudolphi interventu, exemptus, ex Germania in Hispaniam Legatus, ejusdem Gregorii jussu, ad collapsos Clericorum mores redintegrandos missus est: Ubi hærens frequentes tum à Gregorio, tum ab Yvone Carnotensi litteras accepit.

Carceri mancipatur, & libertate donatur.

Jo. Trithemius præclari hujus Viri Virtutes depingens, in hinc ferè modum scribit: *Bernhardus Abbas Massiliensis, posteà S. R. E. Cardinalis, Vir fuit undequaque doctissimus: vita & conversatione valdè religiosus, qui in causis Ecclesiasticis sæpè Legatus, singularem suam industriam cum rerum emolumento ostendit.* Is extremum denique diem obiit tertio decimo Kalendas Augusti, anno reparatæ salutis 1079. Cujus obitum Bertholdus Constantiensis refert his verbis: *In hac æstate Venerabilis Abbas Bernhardus Massiliensis, Vir doctus, & plenus charitate requievit in pace XIII. Kal. Augusti.* in cujus locum (Abbatiam scilicet Massiliensem, & Legationem Hispanicam) Frater ejus Richardus Cardinalis ab eodem Gregorio subrogatus est.

Laudatur à Trithemio.

Ejus obitus & Scripta.

Dicitur autem Bernhardus Abbas plura egregia Opera edidisse, quæ tamen, utpote Massiliæ M. S. asservata, ad nostram hactenus notitiam non pervenêre.

Ejus mentionem faciunt Yvo Carnotensis in Epistolis. Jo. Trithemius. Bertholdus Constantiensis in Chronico. Ciaconius in Vita. Oldoinus in addition. ad Ciacon. & Alii pauci.

ANNO 1061.

SEDENTE ALEXANDRO II. PONTIF. MAXIMO

De

ANSELMO MANTUANO
S.R.E. CARDINALE.

XVIII.

ANSELMUM Mantuanum, D. Benedicti Religiosum, Virum Humanitate, doctrinâ, & sanctitate illustrem Alexander II. Presbyterum Cardinalem creatum, in ipso vitæ occasu jam jam constitutus Episcopum sui loco Lucensi Ecclesiæ præficiendum curavit. Anselmus Episcopali charactere insignitus, mox Henricum Cæsarem, vi & arbitrio tum omnia miscentem, ut investituram acciperet, adivit: à quo primò, quod vacuus veniret, rejectus; numerato postmodùm ære admissus, eandem accepit. Re verò meliùs perpensâ, iniqui facti pœnitens, (cùm & suum in petendo, & Cæsaris in conferendo errorem agnovisset) relicto Episcopatu in Monasterium Cluniacense se se abdidit, in quo consideratione Vitæ Sanctissimæ Gregorii VII. qui Alexandro interim II. successerat, ad mundi contemnendas illecebras magnoperè incensus

Ob acceptam à Schismatico Cæsare Investituram pœnitentiam agit.

censûs, corpus suum fame, siti, vigiliis, orationibus, aliisque similibus voluntariis pœnis dirè aliquamdiu afflixit.

A Gregorio posteà vitæ ejus austeritate, & Sanctitate permoto in gratiam receptus, denuo Episcopus Lucensis solemni, & legitimô ritu inauguratur: hac tamen lege, ut ad certum præfixi temporis intervallum in pœnam commissi erroris pastorali baculo abstineret. Anselmus ad pristinam dignitatem revocatus, è vestigio Canonicos Ecclesiæ Lucensis (qui durante Sedis vacatura pro lubitu vivebant) ad honestam, eamque regularem vitam, juxtà Leonis Papæ IX. decreta, redigere conatus est. Decursô pœnæ injunctæ termino, sua in statione confirmatus, mox Gregorii VII. jussu, & nomine functus est legatione ad Mediolanenses, ut eos Apostolicæ Sedi obedientiâm spondentes, solutô, cui subjacebant, interdictô, Ecclesiæ conciliaret, fideliumque communioni restitueret. Exinde Romam ad Concilium adversùs Henricum Imp. adunatum vocatus, insidiis ab Henrico structis, ne veniret, præpeditus est. Unde ne vacuus negotiis in Italiâ detineretur, à Gregorio jussa accepit, absolvendi interim Schismaticos pœnitentes, qui in Longobardia, ejusque finibus existebant. *A Gregorio VII. in gratiam recipitur, & Legatus ad Mediolanenses destinatur.*

Hunc Mathildis Comitissa, lectissima fœmina, Confessarium sibi ob spectatas virtutes, vitæque sanctitatem ascivit, Ejusque suasu Ecclesiam Lucensem quamplurimis luculentis beneficiis ornavit; & Nobilissimum Monasterium S. Benedicti Mantuanum, in quo ipse aliquamdiù monasticam vitam duxerat, multis auxit fortunis. *Eligitur à Mathilde Comitissa in Confessarium.*

Ab Henrico Imperatore in odium Pontificis sua è sede dejectus, locoque cedere jussus, cùm nullibi securè consistere posset, per multas viarum ambages, non sine præsentissimo sui capitis discrimine, ad Gregorium Romam confugit; à quo, apertis, ut ajunt, ulnis exceptus, in vicem amissi Episcopatûs, Vicarius Urbis Pontificius est renunciatus. Hîc Anselmus constitutus, ne extra negotia, otio difflueret, egregium illud Opus, quod *Canonum Collectionem* appellant, ex multis millibus Sacræ Scripturæ, Patrum, & Conciliorum Testimoniis, Pontificumque responsis concinnavit, quod deinde Gratianus pariter Monachus Benedictinus absolvit, polivit, & in Ordinem redegit. Edidit præterea, rogatu Mathildis, Commentarium in Lamentationem Hieremiæ, *Sede suâ pulsus, Roma Vicarius Pontificius constituitur.* *Scripta ejus enarrantur.*

Expositionem in Psalmos.

Opusculum valdè piùm de gestis, & Passione Christi ligata oratione.

Meditationes in Orationem Dominicam.

Expositionem Salutationis Angelicæ.

Duos Libros ex Patrum sententiis pro Gregorii VII. Decreto.

Res item ejusdem Pontificis gestas adversùs Henricum Imp. & Clementem Antipapam.

Epistolas plures, doctas, & utiles ad Varios.

Hymnos diversos de Sanctis.

Doctrinam denique, & universa Gregorii VII. acta luculentis Scriptis adversùs quoscunque Ecclesiæ hostes studiosissimè asseruit, &

propugnavit: Unde à moriente Gregorio, Pontificatu Romano dignissimus est judicatus.

Ejus obitus. Signis claret. Mantuæ tandem post multos pro Deo & Ecclesia exantlatos agones, repositam electis coronam recepturus, vitam sanctissimè terminavit Anno Christi 1086. Romana Sede ex obitu Gregorii tunc vacante. Corpus in Cathedrali Ecclesia Mantuana sepultum innumeris prodigiis fulgere cœpit: ut testatur Auctor, qui ejus vitam posterum memoriæ commendavit. Extat etiam insignis Epistola Ubaldi Episcopi Mantuani ad Mathildem Comitissam de Miraculis ab Anselmo patratis data, quam curiosus Lector apud Baronium Tomo XI. Annalium inveniet.

Ejus mentionem faciunt Bellarminus de Script. Eccles. Martyrologium Romanum, Sigebertus in Chronico. Trithemius. Abbas Urspergensis. Ciaconius. & Alii.

ANNO 1061.

SEDENTE ALEXANDRO II. PONT. MAXIMO.

De

GUITMUNDO S.R.E. CARD.

XIX.

Natione creditur fuisse Germanus. OMittunt aliqui Guitmundum, sive Guthmundum, ab Alexandro II. in Cardinalium Cœtum relatum, quem Arnoldus Wion *Italum*; Trithemius *Gallum*, Benno verò coætaneus, & alii *Germanum* faciunt. Et sanè videtur ipsum vernaculum Nomen *Guth-mund*, (quòd Latinè tantundem sonat atque *Bonum os*,) Germanum aliquem, eloquiô clarum innuere. Rem ego prudentum judicio, nullâ meâ interpositâ censurâ tutiùs discutiendam relinquo. Fuit is Archiepiscopus Aversanus, qui monasticum Divi Benedicti Institutum in Andrio-Crucis S. Leufredi professus, ob excellentem Virtutis, & doctrinæ famam, multorum insignium Scriptorum elogia promeruit.

Variis Elogiis celebratur à nonnullis Scriptoribus. De eo Guillelmus Malmesburiensis in Vita Wilhelmi I. Angliæ Regis hæc habet: *Guthmundus Monachus de S. Leufredo Normannia, posteà Episcopus Aversanus Apuliæ, nostri temporis eloquentissimus.* Ejusdem etiam magna cum laude meminit Panvinius in Epitome; & Tomus Sextus Bibliothecæ Patrum, in quo Scripta ejus inserta ennumerantur: quem Nomenclator Cardinalium disertis verbis *valdè doctum Cardinalem* appellat. Eundem pariter miris laudibus effert, & cumulat Petrus Pictaviensis in Apologia adversùs Divum Bernhardum conscripta. Oblatum à Rege Anglorum Wilhelmo I. præpinguem Episcopatum in majore Britannia, Guitmundus religiosæ paupertatis, & humilitatis memor acceptare recusavit. Doctissimos elucubravit Libros: Tres in Hæresim Berengarianam de Corpore & Sanguine Domini in Eucharistia: *Quibus*, ut Bellarminus de Scriptoribus Ecclesiasticis asserit: *non solum veritatem confirmavit; sed etiam argumenta in contrarium adducta doctè, solidéq; destruxit.* Petrus Cluniacensis initio Libri sui *de Sacrificio Missa* præfert Guit-

Scripta ejus recensentur.

mun-

mundum Cardinalem Lantfranco Archiepiscopo Cantuariensi in eo Scriptionis genere his verbis: *Lantfrancus scripsit de Eucharistia benè, plenè, perfectè: Gutmundus meliùs, pleniùs, perfectiùs: Algerius optimè, plenissimè, perfectissimè.* Edidit præterea Confessionem de SS. Trinitate; de Christi humanitate; de Corporis & Sanguinis Domini Veritate: quæ extant in Bibliotheca SS. Patrum Tomo Sexto Editionis Secundæ, & etiam seorsim cum Lantfranci, & Algerii Scholastici libris excusa. *Unum est, in quo Gutmundus reprehendi solet,* inquit laudatus Bellarminus, *quòd Libro secundo timuerit concedere, Species Sacramentales verè posse corrumpi, & putrefieri: quæ potuisset admittere sine ulla injuria Corporis Dominici fieri.* Scripsit etiam Orationem ad Wilhelmum I. Angliæ Regem, cùm oblatum sibi Episcopatum, ex humilitate recusaret. Item Apologum ad Rogerium Monachum contra errores Berengarii. *Cardin. Bellarmini judicium de ejus Scriptis.*

Senio demum confectus, meritisque, & Virtutibus clarus ad immortalem vitam transiit, sedente in Solio Petri Gregorio VII. circa Annum Salutis 1084. *Sanctè moritur.*

Ejus meminère Ivo Carnotensis Epist. 78. Odericus Vitalis lib. 5. Hist. Eccles. c. 17. Petrus Cluniacensis in Epistolis. & in Libro de Sacrificio. Trithemius. Bellarm. Possevinus. Aubery. & Alii.

ANNO 1073.

SEDENTE GREGORIO VII. PONT. MAX.

De

PETRO IGNEO,
S. R. E. CARDINALE.

XX.

Cum in Sacra Vallis Umbrosæ Eremo S. Joannes Gualbertus novi Ordinis sui fundamenta sub Magni Patriarchæ Benedicti Regula jecisset, miraculorum ejus, & Sanctitatis famâ non per Hetruriam modò, sed per remotas etiam, distitasque locorum regiones longè latèque sparsâ, multi ad eum in dies singulos undequaque confluentes, spretis Sæculi vanitatibus, sub tanti Patris Instituto proficere; Deo, cœloque deservire exoptabant. Inter hos præ primis eminet Adolescentulus quidam Florentinus, nomine Petrus, clarâ, ut ferunt, Aldobrandinorum stirpe progenitus, Ipsique Sancto Patri arctâ Sanguinis propinquitate conjunctus, qui cum jam inde à puero iis artibus imbutus esset, quibus ætas illa ut plurimùm instrui solet, Spiritu Sancto edoctus, cùm opum & honorum affluentiam, ac illustrem Natalium splendorem, superbiæ instrumenta, mundique arma, ac Satanæ laqueos cognosceret, quibus plurimi veluti aureis irretiti vinculis adstringuntur, quò minus ad divini Numinis obsequium se se expedire possint; abrupto fortiter blandæ felicitatis nexu, familiæ splendori, deliciis, ac divitiarum affluentiæ cedens, in Sacram illam Eremi solitudinem anno Dominicæ Incarnationis 1018. se se recepit; ibique *Petrus è gente nobili Aldobrandinorum.*

que ad Sancti Viri pedes prostratus, in consortium tam pii, ac salutaris Instituti aggregari postulavit. Quem Sanctus Pater blandè subridens, ut affinem suum libenter quidem, alacrique animo suscepit: verùm posteà, num ex Deo hic Spiritus esset, pertentans, dura statim Ei in hæc verba prædicere cœpit: *Asperam nimirùm esse Loci illius Monachorum vitæ rationem; ac prorsus talem, qualem adolescens ætate florens, & deliciis assuetus, suo quidem judicio, sufferre nullo modo posset: longe proinde consultiùs fore, si consilium, juvenili pruritu susceptum, nec satis perpensum, mutaret.* Ad quæ Adolescens: *Nunquam se à sua sententia discessurum, respondit, donec in ejusmodi numerum Religiosorum susciperetur. Mundo enim se ea de causa nuncium remisisse, quod Deo, non per mollia, sed per aspera, deservire in animo fixum omninò haberet. Proinde nihil sibi quòd carnem, aut sanguinem, mundum, aut delicias redoleret, obgereret, rogare.* Admiratus Pater tantum Juvenilis animi ardorem, constantemque Deo prorsùs addicti animum, obfirmatæ illius voluntati morem gessit, hilariterque susceptum in suæ Religionis familiam adscripsit. Sed quò certiùs futuræ ejus perseverantiæ periculum faceret; atque insuper spiritûs superbiam, Nobilitatis ac Opulentiæ individuam ferè comitem, ex pristinô in sæculo gradu fortè adhæsuram, mundanisque curis juvenile pectus impetituram retunderet; primò quidem abjecti eum obsequii Curæ, jumentorum scilicet, quæ ad quotidiana novi Ordinis ministeria ex necessitate serviebant, destinavit. Deinde pecudum gregi, quæ ex prorum eleemosynis Monasterio obvenerant, pastorem præfecit. Quibus quidem vilibus ministeriis promptè ac fideliter obeundis, cùm non modico jam tempore obedientiæ, humilitatis, & constantiæ evidentissimum specimen edidisset, satis superque exploratâ innocentissimi Juvenis indole, & patientiâ, cæpit Sanctus Pater Eum supra multa constituere, quem super pauca tam fidelem expertus fuerat. Hinc de pecudum curâ ad animarum custodiam translatum, cùm in ea pari illum fidelitate, & industriâ ambulantem invenisset, denique, renitentem licet, Monasterio Passiniano Rectorem præfecit. Quo in dignitatis gradu constitutus, *in subditorum cura, ac regulari observantia vigilantissimus, eorum imperfectiones patienter sustinebat; hospites ac peregrinos avidè, benignéq; complectebatur; prudenter de singulis statuebat; Omnium, sed maximè infirmorum cura, indefesso studio satagebat; atque adeò prudentiæ, solicitudinis, temperantiæ, humilitatis, & patientiæ simul exemplar se se Monachis omnibus quocunque tempore, & occasione præbebat.* Ut scribit Author ejus Vitæ.

Suscipitur in Disciplinam Monasticam à S. Joanne Gualberto.

Destinatur ad curam Jumentorum.

Præficitur Passiniano Monasterio.

Irrepserant perverso eo tempore multa, & maxima in Clerum scandala, continuæque corruptelæ per Schismata ac fraudes, & sæcularium Principum in rebus Ecclesiasticis dissidia non tantùm in Hetruria, sed per totam ferè Italiam, ac potissimùm in Ecclesia Florentina: in qua cum quidam Petrus Papiensis Episcopum, & Rectorem ageret, avarissimi potiùs Mercatoris, quàm legitimi Pastoris more res Ecclesiasticæ, & Sacra per illicitos, atque à legibus damnatos contractus, regebantur. Et quamvis inveteratæ jam apud alios malæ consuetudinis exemplum, atrocitatem hujus flagitii aliqua ex parte mitigaret; & quasi rem pessimam excusabilem redderet,

Petri Papiensis, Episcopi Florentini vitia recensentur.

ret, utpote populo eam occultis tantùm murmurationibus improbante: cùm tamen ipse omni avaritiæ, atque infami lucro, nedùm fraudibus, sacrilegiis, ac furtis januam aperuisset; atque adeò (dum omnibus indifferenter donis & largitionibus, in collatione Ordinum & beneficiorum, manus rapaces injiceret; Templaque passim prophanis, ineptis, ac sordidis hominibus impleret) ex Dei Ecclesia Satanæ Synagogam erexisset; multi rei indignitate offensi, enormem adeò impietatem privatim primò deinde palam pro merito detestabantur; tum verò maximè, quum ipsius Episcopi pater, homo mercator, & nullius momenti, in multorum fortè Nobilium corona publicè affirmâsset: Episcopatum Florentinum filio suo, (bonarum licet artium rudi) ab Henrico Cæsare coëmptum, sibi non ampliùs tribus aureorum millibus stetisse, ex quo tamen filius paucorum spatio annorum centum aureorum millia, magno suo commodo, collegisset.

S. Joannes Gualbertus Episcopum, & asseclas ejus reprehendit.

His igitur, aliisque id genus excessibus S. Joannes Gualbertus unà cum Monachis suis, & potiore Cleri, ac populi parte, zelo justitiæ commotus, tum Episcopum ipsum, tum infames ejus asseclas, hinc prædicationum, illinc oblocutionum telis publicè impetere, objurgare, & execrari; quin & Romam frequentibus literis pulsare, ipsiusque Romani Pontificis Authoritatem, aliorumque Italiæ Principum, & Prælatorum opem, pro tantæ Hæresis contagio comprimendo, implorare, contestari, & urgere cœpit. Quamobrem tum alibi, tum maximè Florentiæ magna discordiarum semina spargebantur; aliis nempe injustas Episcopi partes foventibus; aliis æqua Monachorum dicta probantibus; aliis verò neglectâ dissidii curâ, otioso animo à factione temperantibus, & rei eventum à longè exspectantibus. Adeò quidem, ut non solùm quotidiè in plebe rixæ, jurgia, seditiones, & odia nascerentur, sed abreptis etiam in contraria animis, gravissima conturbatæ Civitati pericula, ad cædes usque & sanguinem proximè eruptura, imminerent. Unde contigit, ut cùm pedetentim Episcopo libertas omnia pro arbitrio agendi diminueretur; & liberiora etiam in ipsum dicteria, convitiaque jacerentur; ac fides Ejus hoc modo magnoperè laborare; existimatioque labascere inciperet, furiis ipse agitatus, scelerato consilio animum adjecit.

Eapropter rixæ & jurgia Florentiæ exorta.

Episcopus cū Sociis de occidendo Joanne deliberat.

Cùm enim non ignoraret, omnem controversiam à Monachis, tanquam authoribus, originem suam ducere: convocatis in unùm amicis (fraudum Sociis, & administris) dolorem ipsis animi sui primò; deinde periculum depositionis, injurias, & opprobria, quibus in dies à S. Joanne, ejusque Monachis impeteretur, exposuit. Denique post multas Verborum acerbitates iis non obscurè significavit, sibi omninò decretum esse, ejusmodi injurias non ampliùs tollerare, sed quovis modo pro viribus vindicare; velleque se (quo res cunque demum caderet) Authoritati suæ læsæ atque imminutæ, remedium aliquod, viro dignum, statuere & adhibere. Quibus non absque stomacho propositis, & ventilatis, conclusêre unanimes (interpolito etiam fidei Sacramento) Joannem omninò è medio tollendum esse. Hoc enim uno interfecto, animum

non

non facilè cuiquam Civium, aut Monachorum suffecturum, in ipsum ampliùs aut verbo, aut facto insurgendi.

Conspiratio in opus redigitur.

His ita constitutis, cùm paulò pòst ipsi significatum esset, Sanctum Joannem ad Divi Salvii Abbatiam profectum, ibique hærere, factâ repentè (Clientum operâ) aliquot facinorosorum conspiratione, noctis silentio armis, & hortationibus instructos ad Monasterium dimisit, hoc in mandatis ante omnia habentes, ut S. Joannem, nullo compassioni relicto loco, occiderent; mox Monachis loco fugatis, aut cæsis, Monasterioque direpto, flammas in tecta conjicerent, atque omnia rapinis, cædibus, & incendiis miscerent. Sic igitur illi vel præter mandata in scelus prompti, alacres animo abière. Ubi cùm ad locum non absque tumultu deventum esset, pars securibus primam Monasterii portam confringebant; alii alteram ariete succutiebant; convulsisque vi cardinibus in terram prosternebant, alii scalis admotis per muros & fenestras irrumpebant. Erant tunc Monachi omnes ad matutini officium celebrandum in Ecclesia congregati, cùm latronibus Templum jam penetrantibus, & sanctum Joannem ad necem conquirentibus omnia clamoribus, & tumultu implerentur. Ipse autem, secreto Dei ita disponente consilo, pridie, quàm illuc venerant, nullo comitatus socio inde abierat ad Vallis-Umbrosam. Cognito itaque ipsum, quem maximè quærebant, periculum evasisse, seque eo subterfugio delusos, ad præconceptam necem pertingere minimè posse, iram omnem in inermes Monachos exonerare constituunt: quos vociferationibus, contumeliis, gladiis, ac fustibus adortos (nullo sacrorum habito respectu) plagis, ac cædibus promiscuè affecerunt, direptòque, atque incenso Monasterio, sacrilegâ onusti prædâ, quasi ex insigni Victoria ovantes ad propria remeârunt. Credebat Episcopus dissipatis, ac perterritis Monachis, (quorum vix unus cute integrâ evaserat) res suas egregiè stabilitum ivisse. Verùm Joannes rerum indignitate permotus, ut Romanum interim Pontificem de execrandis Episcopi excessibus instrueret, Petrum Passiniani Monasterii eo tempore Priorem, singulari facundia præditum, unà cum Rodulpho Abbate Romam destinavit. Qui absente Pontifice, Curiam ab Episcopo muneribus ac falsis relationibus præoccupatam sentientes, facilè sibi persuaserunt, improbitati patrocinia, (si rem tum urgerent,) apud corruptos non defutura. Querelam igitur in opportunius tempus rejicientes, infecta re, Florentiam ad Joannem regressi sunt.

Monasterium perrumpitur, diripitur, incenditur. Monachi cæduntur.

Petrus Monachus conquerendi causâ Romam mittitur.

At cùm paulò pòst Alexander Pontifex, rerum edoctus, Florentiam se contulisset ad seditionis incendium sua Auctoritate commodiùs extinguendum, in vanum tentata concordia est. Monachi intereà inquieti, & exacerbati, cùm causæ æquitati multùm fiderent, ad accensi periculum rogi (si ita Pontifici visum esset) pro veritatis testimonio provocârunt. Verùm Pontifex, rejecto inusitatæ probationis periculo, ne Deum tentare videretur, re in dubio relicta Romam reversus est.

Inter hæc Clerus, Populusque Florentinus Monachis addictus, cùm assiduis Adversariorum injuriis, & crudelitate pulsarentur,

tur, ad Monachos convolantes instantissimis à Joanne precibus contenderunt, ut tandem publicæ quietis, & salutis causâ in suæ doctrinæ confirmationem, Simoniacæ pestis exterminium, & æmulorum confusionem ad Ignis probationem, Duce Deo, quantocyùs descenderet. Joannes eorum precibus motus (divino instinctu accedente) tandem Petro Monacho vitæ Sanctimoniâ claro, omnibus inspectantibus, per ardentem rogum transire mandat. Qui accepto S. Patris imperio, nihil cunctatus, dextrâ crucem, lævâ strophium ad tergendos sudores gestans, firma fide, alacri vultu, spectabili incessûs gravitate, absque ulla corporis, aut vestium læsione per mediam crepitantis ignis struem, ad æternam impietatis confusionem Victor transivit incolumis: ut testantur Cleri, Populique Florentini Litteræ ad Alexandrum Pontificem Maximum datæ; qui inusitati prodigii novitate commotus, Petro Episcopo Florentinâ sede dejecto damnatoque, Rodulphum Monachum, miræ sanctitatis Virum, plaudente populo, sufficit: atque ita felicem gravissimæ Controversiæ, hactenùs non sine sanguine agitatæ, finem imposuit. Porrò locus ille, in quo tam admirandum contigit exerceri certamen, ad æternam rei memoriam subjectâ inscriptione, etiamnum spectabili, fuit insignitus.

Provocatur ad Rogum. Petrus Monachus illæsus per ignem transit.

Innocentia triumphat. Petrus Episcopus Simoniacus deponitur. Rodulphus Monachus sufficitur.

Hunc lapidem si quis conspexerit esse locatum,
Hoc à Sacrata Religione loco:
Indicat hic paries depictus imagine tantâ
Quid fuit, & cur sit candidus iste lapis.
Lis erat; & magno surgebant prælia bello,
Hinc atque hinc pariter maxima turba cadit.
At Monachi nostri, ex Umbrosâ Valle Joannis
Explorates constituère focos.
Tunc Monachus Petrus *medium se mittit in ignem*
Nec potuit ulla parte nocere focus.
Ast ille ejectus Petrus fuit illicò ab omni
Sede suâ Sacrâ, Pontificúq; locò.
Causaq; nam fuit hac scelerata quòd ille malignus
Tunc erat Hæreticus, Simoniacus erat.
Ergo nunc notum est, lapis hic cur fixus habetur,
In terra cunctis sic venerandus erit.

Memoria tanta rei lapidi incisa.

Petrus igitur hic, qui ab incendio superato *Ignei* deinceps cognomentum sortitus est, Innocentiâ vitæ, doctrinâ & sanctitate inclarescens, Monasterio primùm Fucechiano in Abbatem præfectus; exindeque Romam à Gregorio VII. vocatus, Purpurâque donatus, Albanensem Episcopatum in præmium rei benè gestæ accepit.

Petrus Monachus Ignei cognomentum sortitur; & Purpuratorum Cœtui adscribitur.

Nec multò pòst ob singularem oris facundiam, doctrinæque præstantiam Legatus Pontificius per Italiam constitutus, invalescentem iterum Henrici operâ Simoniacam labem scriptis, & concionibus egregiè compressit. Eâdem de causâ, mandante Gregorio, in Germaniam, atque Galliam Legatus missus, felicissimo rerum exitu, legationem utramque obivit. Nec ipse tamen, licèt tam arduis Apostolicæ Sedis negotiis detentus esset, suæ Religionis, aut

Alia Petri gesta recensentur.

Vallis umbrosæ (in qua meliorem vitæ partem sanctissimè exegerat) immemorem se unquàm exhibuit ; quin potiùs quamplurimis fortunis, gratiis, beneficiis, ac privilegiis, à Sede Apostolica, & Principibus impetratis, auctam honoratamque reliquit. Deniqu annis non minus quàm benefactis cumulatus, cùm se morti proximum cognosceret, susceptis devotissimè Ecclesiæ Sacramentis, inter psallentium, ac gementium Monachorum manus placidè exspiravit Anno salutis 1088. Cujus sacrum corpus, cum innumeris miraculis coruscare cæpisset, Vallis umbrosam delatum, nobili tumulo illatum est. Ubi etiam festivum hoc de eo conscriptum Epigramma legitur.

Sancto fine quiescit. Miraculis coruscat.

Dixerat Elias, hìc Ara, hìc hostia duplex,
Vincat, utri absumens cælitùs ignis eat.
Igneus at Petrus litem non terminat Aris,
Sed rapidos ignes permeat innocuus.
Zelus utrique ardens, Petri est Victoria major,
Ignibus ille; Ignes vicit at ille suos.

Ejus Scripta.

Scripsit Petrus Semones de Tempore.
Tractatum contra Simoniacos.
Epistolam de Certamine suo.
Epistolam de suis Legationibus ad Gregorium VII.
Item aliam ad Victorem III.
Quæ omnia inter MM. SS. Bibliothecæ Vaticanæ asservantur.

Petri cum laude meminère Acta Vallis umbrosæ. Abbas Urspergensis in Chronico. Desiderius Cassiod. in Dialogo c. 5. Ludovicus Maimbourg. Ciaconius in Vita. Morerius in Dictionar. Magno Histor. & Alii.

ANNO 1073.

SEDENTE GREGORIO VII. PONT. MAX.

De

DEODATO S.R.E. CARD.

XXI. DEODATUS, seu Deusdedit, quem quidam nulla stemmatis, aut patriæ facta mentione, ex inferiori Germania ortum traxisse autumant, à Gregorio VII. Pontifice Maximo, doctorum hominum amantissimo, inter Presbyteros Cardinales adlectus, Ecclesiam S. Petri ad Vincula Titulo Eudoxiæ obtinuit. Is, cum esset Sacrarum Legum, & Apostolicarum Traditionum peritissimus, & in Sanctorum Patrum scriptis apprimè versatus, pereruditum, elegans, & utile Opus conscripsit, cujus argumentum est: *Non licere Laicis in Sacerdotiorum collationibus, quæ Cleri, & Monachorum jura sunt, auctoritatem suam interponere.* In quo Imperatorem Henricum, & Clementem III. Antipapam, Simoniaca tum labe maximè infames, asperè, ut merebantur, perstringit. Hunc Librum Deodatus ad defensionem Gregorii VII. & in gratiam Cleri compilatum Victori III. Pontifici Maximo, in ipsis Pontificatûs auspiciis,

Scribit egregium opus in Gratiam Status Ecclesiastici.

ſpiciis, nuncupavit, & obtulit. Quem varia eruditione, & doctrina refertum apud ſe olim habuiſſe teſtatur Alphonſus Ciaconius. Hujus pariter Libri Pandulphus Piſanus in Vita Victoris III. cum laude meminit. Auctor verò eundem quadrifariàm partitum ipſo in exordio demonſtrat. Primus enim Liber continet *Privilegium Auctoritatis Eccleſiæ Romanæ:* & quoniam Eccleſia ſine Clero ſubſiſtere non poteſt, nec Clerus absque rebus, quibus temporaliter alatur, huic Secundum *De Clero:* & Tertium *De Rebus ejuſdem Eccleſiæ:* ſubtexuit: quia verò Sæculi Poteſtas Eccleſiam Dei ſibi tunc temporis ſubjugare nitebatur, *Libertas ipſius, & Cleri, ac rerum ejus* Tertio, & maximè Quarto Libro evidenter oſtenditur. *Alia ejuſdem Scripta.*

Edidit præterea Deodatus noſter *Eccleſiaſticorum per capita Compendium,* ea ſcilicet ratione, qua poſteà Gratianus *Decretum* ſcripſit. Libellum etiam compoſuit adversùs *Rerum Eccleſiaſticarum Invaſores, Simoniacos, & Schiſmaticos,* qui nihil in Eccleſia Dei pensì habentes, omnia ſuſque deque miſcere nitebantur.

Catholicæ partis, dum vixit ſtudioſiſſimus fuit, & Gregoriani juris adversùs Henricianos, & Guilbertinos acerrimus propugnator, cujus etiam Legatione in Hiſpaniis, maximo rei Catholicæ emolumento, uſque ad obitum perfunctus proditur. Ubi autem quóve tempore, aut anno Vir tantus fato ceſſerit, Scriptorum monumenta non indicant. Saniores tamen non dubitant, illum Paſchale II. ad Clavum Eccleſiæ ſedente, Anno ſalutis 1099. diem extremum clauſiſſe. *Obitus ejus incertus certo tempori aſſignatur.*

Ejus mentionem faciunt Pandulphus Piſanus in Victore III. Ciaconius in Vitâ. Geſta Gregorii VII. Aubery in Vitâ. & Oldoinus in Addition. ad Ciaconium.

ANNO 1073.

SEDENTE GREGORIO VII. PONTIF. MAXIMO.

De

CUNONE GERMANO
S.R.E. CARDINALE.

XXII.

CUNO, aliis Conon, Vir ſeu animi dotes, ſeu Natales, ſeu doctrinæ præſtantiam ſpectes, undequaque nobiliſſimus, ortu Germanus, Filius Eginonis Comitis de Urrac, Viri in Aula Cæſaris maximæ tunc dignitatis, & exiſtimationis. Cunonem Gregorius VII. Pontifex Maximus Presbyterum Cardinalem Titulo S. Anaſtaſiæ creatum, ſecum ad conventum Canuſinum perduxit; in quo potiſſimùm Cunonis ſuaſu, & opera Henricus Imperator pœnitentiam ſimulans, anathemate, quo priùs percuſſus fuerat, ſolutus, atque in gratiam receptus eſt. *Cunonis operâ Henricus Imp. Anathemate ſolvitur.*

Hunc Ciaconius, Panvinius, & alii diverſùm à Cunone Epiſcopo Prænestino à Paſchali II. creatô faciunt, cum tamen ex nomine, patriâ, & inſignibus (ut optimè monet Auguſtinus Oldoinus) unus idemque fuerit; atque à Gregorio VII. ex Eremita

Treceburgensi Ordinis Ambrosiani; seu (ut scribit Ferdinandus Ughellius Tomo I. Italiæ Sacræ in Catalogo Episcoporum Prænestinæ Ecclesiæ) ex Canonico Regulari Ecclesiæ S. Nicolai de Arvasia, sive Aroasia in Gallo-Belgio, cujus Congregationis ipse unus ex præcipuis Auctoribus extiterat, Presbyter Cardinalis Titulo S. Anastasiæ: à Paschali verò Secundo ex Presbytero Cardinali Episcopus Prænestinus inauguratus, atque in Orientem Legatus missus sit. Qui cùm accepisset Henricum Cæsarem ad vomitum reversum, fidem Romano Pontifici sanctè datam fregisse; & Paschalem II. violenter arreptum in vincula conjecisse, justissimâ irâ succensus, in Episcoporum Concilio à se coacto fœdifragum Imperatorem ad sempiternam detestandi facinoris ignominiam, religionis telo confixit; eandemque censuram in Occidentem reversus, quinque celebratis Conciliis, in Græcia, Pannonia, Saxonia, Lotharingia, & Gallia contrà eundem sacrilegum Henricum constanter perursit. Ac deinde curavit, ut Romani Concilii Patres, quam iteratò tulisset ipse sententiam, suis quoque suffragiis confirmarent, ratamque haberent: quod non modò facilè obtinuit, sed & ob id pietatis studium in Pontificem, ceu Ecclesiæ Caput, adeò celebre nomen adeptus est, ut Eum *quasi Virum de cælo lapsum*, omnes deinceps venerarentur.

Henricum Imp. ad vomitum reversum, iterù anathemate configit.

Contigit intereà quorundam profligatorum hominum studio deceptos Germaniæ populos non modò in avita fide fluctuare; sed & res novas immunitati Ecclesiasticæ nimiùm quantùm adversantes, sollicitante Henrico, moliri. Quare Gelasius hujus nominis secundus Pontifex Maximus, ne malum in dies incrementa sumeret, multosque ruinâ involueret, Cunonem zelosissimum Athletam in Germaniam Legatum destinavit, quippe qui Natione Germanus, ore facundus, & Catholicæ fidei addictissimus, titubanti Provinciæ commodiùs consulere; & medicinam reliquis omnibus opportuniùs parare posse videretur. Quamobrem Henricum Cæsarem hujusce tumultûs, & seditionis auctorem, & ducem, unà cum fautoribus suis tam in Coloniensi, quàm Fridistatensi Conciliis à se habitis Ecclesiastica censura iterum involvit, excitatis priùs in ipsum tanquam Fœdifragum dissertissimâ oratione Electorum, Principumque Imperii animis, qui, ni à concepta impietate desisteret, certissimam ipsi depositionem minitabantur. Ille Principum Auctoritate, minisque perterritus, tempori serviendum ratus, Cunoni, simulatâ pro more pietate, fidem atque obedientiam publicô sacramentô promisit; ac pro tunc eo modo jam jam intentatum religionis fulmen subterfugit. Legato verò absente mox ad ingenium rediit.

Legatur in Germaniam magno ejus gentis emolumento.

Henricum Imp. anathemate & depositione terret.

In Galliâ postmodùm Concilio Suessionensi præsidens, venenosa Petri Abailardi scripta, hæresis manifestæ convicta, publicis flammis exuri jussit. Ibidem agens, Theogerium Metensem Episcopum, vitæ Sanctimoniâ illustrem consecravit; & sanctum Godifredum Ambianensis Ecclesiæ Præsulem, ob relictum solitudinis ergò gregem increpuit; atque, ut ad Episcopatum rediret, coëgit.

Petri Abailardi scripta damnat, & exurit.

Cuno denique Legationibus plurimis strenuè, utiliterque obitis,

tis, meritis, doctrinâ, & sanctitate usque adeò inclaruit, ut Gelasius II. Cluniaci morti proximus Eundem Cardinalibus in Pontificem Romanum deligendum proponere nullatenùs dubitaverit: & quidem indubius Pontificis optatis eventus respondisset, nisi Cuno, ab omni prorsùs ambitione alienus, ruentia, ut sic dicam, in se Cardinalium studia aliorsùm, nempe in Widonem Archiepiscopum Viennensem divertisset, Eumque sui locô, post Gelasii obitum, rarô exemplô, sub Calixti II. nomine, Pontificem creandum curâsset. Quo regnante seniô, & meritis gravis, Romæ, summo bonis omnibus sui desideriô relictô, ad beatam immortalitatem transivit, Anno Salutis 1092.

Summum Pontificatū ultrò oblatū refugit.

Obitus Ejus & Scripta.

Scripsit plurima erudita & pia opuscula

- De Incarnatione Domini.
- De Passione Christi.
- De Partu B. M. Virginis.
- De vero Christi Corpore & Sanguine in Eucharistiâ.
- Sermones de Tempore & Sanctis.

Quæ omnia inter vetera MM.SS. Bibliothecæ Vaticanæ extare dicuntur.

Ejus meminère Abbas Urspergensis. Sigebertus in Chronicis. Gothifredus Claravallensis in Epistola ad Albanensem Episcopum. Nonnulla Henrici IV. Imp. diplomata, Monachis Vallis umbrosæ data. Ciaconius in Vita. & Alii.

ANNO 1088.

SEDENTE URBANO II. PONTIF. MAXIMO

De

GOFFRIDO VINDOCINENSI
S.R.E. CARDINALE.

XXIII.

GOFFRIDUS genere in primis nobili ac claro Andegavi in Gallia ortus, sublatis morte parentibus, educatus est à Guarnerio Archidiacono Andegavensi, Magistroque in ediscendis primarum litterarum elementis usus Guillelmo, Viro ea ætate doctrina percelebri, cujus ipse meminit cum laude in Libris à se conscriptis. Monasterium Vindocinense SS. Trinitatis, Ordinis D. Benedicti, à Goffrido I. Britaniæ Comite Anno olim 992. fundatum, ingressus, nonnullis interjectis annis, communi omnium suffragio ob præclaram cùm Virtutis, tum doctrinæ famam Abbas numero Quintus, electus est.

Ob præclara merita Abbas Vindocinensis eligitur.

Romæ existens, Urbanum II. Guilbertinæ factionis metu latinitantem, immortali beneficio devinxit, quum collatâ liberali manu pecuniâ non modò Ipsum; sed & Lateranum, & Turrim Crescentiam ab hostibus occupatam redemit. Omnium primus pedem Urbano in libertatem asserto, atque in Sede Pontificia constituto osculatus est in Laterno; à quo deinde, accepti beneficii non immemore, in Cardinalium Collegium assumptus, titulum S. Priscæ adeptus est.

Ab Urbano II. quem multis beneficiis affecerat, Cardinalis efficitur.

Gallorum Principum controversiã circà Majoratum exortam composuit.

Reversus in Gallias interfuit Conciliis Salmuriensi, & Avernensi. Urbanum, & Paschalem, utrumque hôc nomine secundum, digno tantis Viris hospitio excepit. Callisto autem II. veteri necessitudine conjunctus, & (quod mutuæ eorum Epistolæ clarè demonstrsnt) intimus fuit. A Ludovico VI. Galliæ Rege delectus inter arbitros, Controversiam, quæ de Majoratu, & Senescalia Franciæ ab Andegavorum Comite Fulcone movebatur, felici exitu, nemine partium offenso, terminavit.

Cœnobio Vindocinensi utiliter præsidet.

Cœnobium Vindocinense summâ prudentiâ, integritate, & vigilantiâ rexit. Et quamquàm nonnullis Monachorum in regimine durior, asperiorque videretur, ipse tamen se ad indulgentiam, & lenitatem naturâ proniorem fuisse scribit. Proventus verò, fortunas, atque opes externas suâ industriâ sic ampliavit, ut Monasterium duplo, quàm acceperat, locupletius, copiosiusque reliquerit. Ingenio fuit acri, subtili, vividoque, & in sacris maximè litteris, Canonibusque exercitatus. Alpes pro Ecclesiæ Romanæ commodo duodecies transcendit, nullis viæ asperitatibus, aut vitæ periculis perterritus. Ab hostibus ter captus, dureque habitus, Deo protegente, incolumis semper evasit. Vixit usque ad extrema Honori II. Pontificis tempora, uti ex Honorii ad ipsum data Epistola liquet. Fatis tandem de Ecclesia, & Cœnobio Vindocinensi optimè meritus, cessit Anno Salutis 1130.

Pro bono Ecclesiæ Romanæ multos labores, & calamitates tollerat.

Obitus ejus, & varia Scripta.

Scripsit Epistolarum libros quinque, quorum Primus eas, quas ad Romanos Pontifices, eorumque Legatos misit, continet. Secundus, quas ad Episcopos, & Carnotenses dedit. Tertius, ad Andegavenses aliosque; Quartus, ad Abbates, & Monachos diversorum Monasteriorum. Quintus ad quosdam Ecclesiasticos, & sæculares Viros.

Elucubravit etiam insignia quædam opuscula, Numero, ut ait Bellarminus, quindecim. Morerius, nescio quo fundamento ductus, octodecim enumerat. Sermones item duodecim. Quæ omnia Lutetiæ Parisiorum Anno Salutis 1610. Jacobi Sirmundi è Soc. Jesu studio & opera, cusa sunt.

Ejus mentionem faciunt Frizonius in Galliâ Purpuratâ. Bellarminus de Script. Eccles. Aubertus Miræus in Actibus de Script. Eccles. p. 243. Jacobus Sirmundus in Vita. Morerius, & Alii.

ANNO 1099.

SEDENTE PASCHALI II. PONT. MAXIMO.

De

LEONE OSTIENSI. S.R.E. CARDINALE.

XXIV. LEO Marsicanus, aliàs ab Episcopatu, quem gerebat, dictus Ostiensis, natione Campanus Ciaconio teste ex Marsica, Italiæ Urbe oriundus. Is à puero in Monte Cassino divino se famulatui devovens, magnos brevì in utraque Virtutis, & Litte-

Litterarum Palæstra fecit progressus. Munus Bibliothecarii eodem in Monasterio adeptus, cùm ea occasione miro scribendorum librorum desiderio tangeretur, quantùm licuit, perlustrandis, legendis, excerpendisque probatissimis Codicibus insudavit. Decanus factus, ob morum gravitatem, Sanctitatis opinionem, & doctrinæ præstantiam à Paschali II. Pontifice Maximo cooptatus est in Episcopum Cardinalem Ostiensem Anno Salutis 1101.

A Paschali II. Cardinaliū Collegio adscribitur.

Hic cùm Paschalem Pontificem insidiis Henrici V. Augusti captum, & in carcerem detrusum intellexisset, mutato habitu fugam arripuit; populumque Romanum, nervosa oratione pro liberando Pontifice habita, vehementer in sacrilegum Imperatorem concitavit. Concilio Vastallensi Anno Salutis 1106. celebrato Legatus Pontificius interfuit; Actis Synodi Lateranensis subscripsit. Illius operâ, & consilio usus est Paschalis in abrogatione Brunonis Abbatis Cassinensis. Aram maximam Ecclesiæ S. Laurentii in Lucina die xv. Octobris Anni 1112. reconditis in ea multorum Illustrium Sanctorum reliquiis, sua manu consecravit, uti ex marmorea tabula, ibidem etiamnum extante, legitur. Quam cum Ciaconio refert Augustinus Oldoinus in Vita.

Henrico Imp. in gratiam Paschalis II. restitit.

Alia ejus laudabilia facta enarrantur.

Chronicon Cassinense (plausibile doctis Opus) contexuit in tres libros digestum, cujus exordium à Sancto Patriarcha Benedicto desumens, usque ad Desiderium Abbatem præclaro ordine, rerumque serie deduxit. *In quo Chronico,* ut ait Bellarminus, *non pauca attinguntur ad historiam Ecclesiasticam illorum temporum valdè utilia.*

Ejus Scripta.

Scripsit etiam Sermones aliquot de Nativitate Domini,
De Paschate.
Historiam Peregrinorum.
Vitas SS. Mennatis & Januarii Monachorum Cassinensium.
Epistolas plures ad diversos.

Decessit Sanctissimè xi. Kalendis Aprilis Ex Ughellio; ex Ciaconio verò xi. Junii, non ad initium anni 1110. ut scribit Bellarminus de Scriptoribus Ecclesiasticis, sed circa annum 1115. ut bene notat Oldoinus. Anno enim 1115. Diplomati à Paschali II. Ecclesiæ Marsorum concesso subscriptus invenitur. Et anno duodecimo supra centesimum, & millesimum Altare in Ecclesia S. Laurentii in Lucina consecrâsse notum est ex antiqua superiùs allegata Tabula.

Obitus ejus refertur.

Confundunt aliqui non benè Leonem hunc cum alio Leone pariter Monacho Cassinensi, & Episcopo Cardinale Ostiensi, qui Urbano II. à secretis fuit, Nominis, Professionis, & Dignitatis similitudine decepti. Petrus Diaconus Leonem alterum clarè distinquit à nostro; dum scribit: *Leo Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, Cassinensis Cœnobii Monachus scripsit ex nomine Urbani complures Epistolas, fecit & Registrum ejus.* De nostro verò differens, multò aliter, & copiosiùs loquitur, Ejusque Operum Catalogum texens, distinctè omnia refert.

Malè à nonnullis confunditur cum alio Leone Cassinensi.

Ejus mentionem faciunt modò citatus Petrus Diaconus c.31. de Viris Illustribus Monast. Caßin. & in Chronico. Arnoldus Wion in ligno vitæ. Bellarminus de Script. Eccles. Morerius & Alii.

ANNO

ANNO 1099.

SEDENTE PASCHALI II. PONTIF. MAXIMO.

De

JOANNE DE CREMA.

S.R.E. CARDINALE.

XXV.

A Paschali II. Cardinalis renunciatur.

JOANNES de Crema (quæ est Urbs Galliæ Cisalpinæ) Olrici, & Rathildis filius, Presbyter Cardinalis Titulo S. Chrysogoni à Paschali II. Pontif. Maximo renunciatus, non tam scientiarum, quàm belli, pacisque artibus enituit. Mauritium Burdinum natione Gallum Antipapam ab Henrico V. Cæsare contra Gelasium II. in Pontificiam Sedem sub nomine Gregorii VIII. intrusum, Sutrii arctissima obsidione cinxit, vinctumque factâ deditione Romam perduxit. Juvat egregium hoc Joannis facinus ad immortalem ejus nominis gloriam paulò altiùs ex Augustino Oldoino repetere, posterumque memoriæ commendare. Laudatus Auctor in Schismate XXIX. quod inter Gelasium II. Romanum Pontificem, & Gregorium VIII. Antipapam intercessit, hæc de Joanne nostro habet: *Caterùm Gelasio II. Cluniaci mortuo, cùm Callistus, qui ei successerat, valido cum exercitu ad Urbem veniret, Burdinus Pseudopontifex sibi timens, clam Sutrium aufugit; ubi tutò se continens, & legitimi nomen Pontificis usurpans, auxilio factionis fretus Romanos incursionibus vexabat. Quare Callistus comparatis repentè copiis Joanne Cremensi Duce, Sutrium obsidione cinxit, nec ab ea destitit, donec Cives variis calamitatibus afflicti Burdinum ipsum traderent, anno jam tertio circumacto, ex quo Ecclesia pacem turbare caperat homo ille impudens, & ambitiosus, ac flagitio nobilis. Itaq; post factam traditionem Romam perductum, cameloq; impositum, Triumphi specie per omnes Urbis plateas, magno populi ludibrio, circumduxit. Tandem vitâ donatum in arcem Monasterii Casinensis primùm; deinde in Cavense Cœnobium perpetuò carcere multandum relegavit: quem Honorius II. eo loco abstractum apud Fumonem conclusit, ubi non longè pòst miseram vitam finivit.* Sic industriâ Callisti II. & maximè Joannis Cremensis operâ, sublato pernicioso Schismate, tot motibus vexata Romana Ecclesia tranquillitatem obtinuit.

Mauritium Burdinum Antipapam, Sutrii captâ, Romam perducit.

Destinatur ab Honorio II in Hiberniam & Angliam ad corruptos Clericorum mores castigandos.

Cùm verò Anno Salutis 1124. ipso sui Pontificatûs initio Honorius II. per Sanctum Malachiam Episcopum Connertensem, Hiberniam, florentem olim Ecclesiam, ad antiquum quasi splendorem redactam vidisset, Joannem Cremensem Presbyterum Cardinalem S. Chrysogoni in Angliam legavit, ubi duobus celebratis Conciliis Clerum à fornicatione sub gravi anathemate cohibuit, eique omnium fœminarum coturbernia interdixit, præter Matris, Sororis, Amitæ, aut suspitione carentium. De quo Honorius II. in Epistola ad Clerum Anglicanum ita scribit: *Rogamus vos, nonemus, & præcipimus, ut hunc Joannem, tanquam S. Petri Vicarium reverenter suscipiatis, humiliter audiatis, & ad Ipsius vocationem Synodales cum eo Conventus celebretis, quatenus per ipsius, & nostram industriam in regno nostro,*

Commendatur per litteras pontificias Clero Anglicano, & Scotorum Regi.

qua

qua corrigenda sunt, corrigantur; & qua firmanda sunt, inspirante Spiritu Sancto, firmentur.

Dum in Scotiam se conferret Roxoburgi Concilia celebraturus, Pontifex his eum ad Davidem Scotorum Regem verbis prosequutus est: *Nobilitati tua rogando mandamus, ut dilectum filium nostrum Joannem Cardinalem, cui vices nostras in partibus illis commisimus, reverenter suscipias; eiq; gratia, favore, & auxilio opportuno adsis.*

Scriptores Rerum Anglicarum præter Simoniæ notam, qua Joannis Cremensis Legati Apostolici æstimationem inurunt, illud ignominiosum superaddunt: fuisse illum eâdem die, qua Sacerdos ad aram Corpus Dominicum confecisset, post vesperam in turpi commercio cum meretrice deprehensum, licèt in Concilio adversùs Concubinarios Clericos Canonem ipse Sancivisset, & in eosdem statutis pœnis acriter invectus declamâsset. Scripta hæc reperiuntur primitùs ab Henrico Huntidoniensi, Rerum Anglicarum Scriptore non semper fido. Rogerius Hovedunus Anglicanus pariter Historicus, Henrico tamen recentior, eadem totidem penè verbis repetit suis in Annalibus. Matthæus Westmonasteriensis inanem ejus excusationem addit: quòd scilicet in eâ turpitudine deprehensus dixerit: *se non esse Sacerdotem, sed Sacerdotum correctorem.* At ex tali leviter excogitata excusatione convinci mendacium nemo non videt; etenim quomodò non Sacerdos erat, quem Sacerdotem esse dignitas ipsa cogebat? utpote cùm esset *Presbyter Cardinalis titulò S Chrysogoni?* Aut quomodò non Sacerdos, quem dicunt manè incruentum Sacrificium ad Aram celebrâsse? sufflетur igitur palpabile hoc commentum in ipsos malevolos Auctores. Certè Wilhelmus Malmesburiensis illius ævi Scriptor, haud assuetus parcere Romanæ Ecclesiæ Ministris, nullam penitùs tanti facinoris mentionem fecisse reperitur.

Convicia in eum convitia improbantur & falsa demonstrantur.

Ipsi Schismatici, fautores Petri Leonis, tàm enorme delictum Joannis Cardinalis, si quod fuisset, Romanis exprobrare non cessâssent, sed plenis buccis in vulgus, ut alia longè minora, decantâssent. Denique quo pacto Sanctus Bernhardus, aliique magni Nominis Viri adeò constanter affirmare potuissent: *sicut numerosiorem, ita & sanctiorem Cardinalium partem Innocentium II. habuisse*, si tanto scandalo illorum unus (Joannes scilicet Cremensis) orbem Christianum concussisset?

Hic in Schismate Petri Leonis, Innocentio Legitimo Pontifici fideliter adhæsit, unde ab Anacleto Pseudopontifice mendacii injustè argutus, calumniis & injuriis affectus est in Epistola ad Lotharium Regem Romanorum data. Aliquando tamen, subdolis quorundam seductus persuasionibus, Schismati Anacleti consensisse visus est: sed paulò pòst, perpensis rationum momentis, Sanioris mentis effectus, ad Innocentium Legitimum Pastorem, ejurata Anacleti factione, rediit: quòd cùm ad aures Divi Bernardi Abbatis pervenisset, factum ejus vehementer collaudans, gratulatorias ad eum Litteras dedit; utque in bono perseveraret, paternè hortatus est.

Legitimo Pontifici aliquandiu fideliter adhæret. Deficit, sed resipiscit.

Basilicam S. Chrysogoni, cujus titulum gesserat, mira libera-

Multis beneficiis cumulat Basilicam S.Chrysogoni. litate à fundamentis restauravit, sacróque thesaurô, vestibus, Libris, & possessionibus locupletavit; ædificiis insuper intus & foris, adjectâ nobili Parochiâ, decoravit: ut habet vetus in marmorea tabula inscriptio, quam laudat, & refert ex Victorello Augustinus Oldoinus in notis ad Ciaconium.

Obitus ejus, & scripta. Obiit tandem senio confectus, deque Ecclesia benè meritus sub Innocentio II. illo ipso anno, quo Lotharius Imperator decessisse memoratur, nempe Anno Salutis 1138. Sepultus in Ecclesia S. Chrysogoni à se restaurata, cum hoc brevi Epitaphio:

Epitaphium. HIC JACET JOANNES DE CREMA CARDINALIS.
O bone Salvator, nostræq. Salutis amator
Fili Christe Dei, parce Redemptor ei. Amen.

Scripsit de Rebus à se gestis in Legatione Anglicanâ Librum.
De Schismate Anacleti.
De Expugnatione Sutrii, aliaque nonnulla.

Ejus mentionem faciunt S.Bernardus in Epistolis. Ciaconius in Vita. Andreas Victorellus in Notis ad Ciacon. Augustinus Oldoinus in Addition. ad Ciaconium. & Alii supra allegati.

ANNO 1099.

SEDENTE PASCHALI II. PONT. MAX.

De

GUALONE CARNOTENSI. S. R. E. CARDINALE.

XXVI. GUALO Carnotensis, natione Gallus, professione Monachus, Doctissimi Viri Yvonis Carnotensis Discipulus, Litterarum cognitione clarissimus, Abbatiæ Divi Quintini Ordinis Augustiniani Diœcesis Bellovacensis Cœnobiarcha Tertius. Is, (crescente in dies virtutum ejus famâ) prævalentibus meritis, & suffragiis; Bellovacensium Præsul, non absque strepitu, Æmulorum invidiâ excitato, electus, plurimorum discrimina laborum subire habuit, renitente maximè Philippo I. Galliarum Rege, falsis invidorum oblocutionibus depravatô, qui proptereà publico se juramento obstrinxerat, nunquam Eum (se quidem vivente) Bellovaci Præsulem futurum: ut laudatus Yvo Carnotensis, & Archiepiscopus Lugdunensis in Epistolis, de hoc ipso dissidio ad Paschalem II. Romanum Pontificem datis referunt. Romam igitur profectus à Paschali II. electionem ejus approbante, invitô licet Rege Philippô, Bellovacensium Episcopus consecratus est. Ubi constitutus S. Anselmo ob spectatas virtutes, vitæque probitatem charissimus evasit, cujus operâ deinde, atque consiliis, multis in negotiis familiariter usus est, teste Edinero in Vita S. Anselmi: faustoque omine contigit, ut dum Reliquiis S. Priscæ elevandis casu interesset, eidem è sacro Corpore insigne quoddam os in munus liberaliter fuerit concessum.

Episcopus Bellovacensis electus, Philippum Galliæ Regem Adversarium habet.

A Pontifice Romano, invitò Rege Philippò, Episcopus consecratur.

Reliquiis S. Priscæ donatur.

Romæ

Romæ non ex Episcopatu Parisiensi (ut refert Ughellius) sed ex Præsulatu Bellovacensi ad sacram Purpuræ dignitatem à Paschali Pontifice assumptus, mandatô Ejusdem Legatione functus est ad Poloniæ gentes; cujus Legationis causam à Longino Rerum Polonicarum accurato Scriptore audiamus, ita disserente: *Summi Pontificis Paschalis II. Nuntius cum potestate Legati à latere Gualo, (Aliis Uvalo) Episcopus Bellovacensis in Poloniam, Boleslaô Duce, de Moravicâ expeditione redeunte, venit. A quo comiter exceptus, visitatâ Polonicâ (prout à summo Pontifice jussus fuerat) Ecclesiâ, juxtà rigorem justitiæ sceleratos, Boleslai Ducis illum animante, moventeq́; assistentiâ, duos Provinciæ Gnesnensis Episcopos, culpâ exigente damnavit, & suis privavit sedibus per sententiam depositionis. Qui tamen hi fuerint, & quarum Ecclesiarum Episcopi, variô & diligenti in quibuslibet Annalibus scrutiniô factô, legisse me non memini: tamen conjecturâ evidenti adducor, ut credam unum depositorum Episcoporum fuisse Czyaslaum, qui Cracoviensem Episcopatum, nullâ summi Pontificis auctoritate, sed solâ Ducis Poloniæ donatione detinebat.* Hactenùs Longinus. In eâdem Legatione in Cracoviensi Ecclesia è sacro Baptismatis fonte levavit filium Boleslai Ducis Primogenitum, cui, jubente Patre, avitum Uladislai nomen impositum est.

Cardinalis creatus, in Poloniam Legatus mittitur.

E sacro Baptismatis fonte Boleslai Ducis filium primogenitū levat.

Yvonis operâ Gualo è Bellovacensi ad Parisiensem Ecclesiam vocatus, interfuit inaugurationi Ludovici cognomento Crassi, cujus etiam Diplomati, quo idem Ludovicus Crassus Abbatiæ S. Victoris Parisiensis fundationem stabilivit, subscripsit. Ad Gualonem frequentes Litteras in causâ reformandarum Ecclesiarum dedêre S. Anselmus, Yvo Carnotensis, & Ildebertus Cenomanensis Episcopus: Viri non minùs doctrinæ famâ conspicui, quàm Sanctitatis gloriâ illustres.

Parisiis inaugurationi Ludovici Crassi interest.

Scripsit inter alia non spernenda opuscula, in Bibliothecâ S. Victoris Parisiis asservata, Statuta Synodalia, quæ ob summam utilitatem Anno 1578. Lutetiæ typis excusa, Bibliothecæ SS. Patrum inserta fuerunt. E vitâ demùm beato fine excessit VII. Kalend. Martii Anno Dominicæ incarnationis 1114.

Scripta ejus & obitus.

Ejus meminêre Longinus in Annalibus Polonicis. Ferdinandus Ughellius in Italiâ Sacrâ. Ciaconius in Vita. Oldoinus in addit. ad Ciaconium & Alii pauci.

ANNO 1124.

SEDENTE HONORIO II. PONTIF. MAXIMO

De

MATTHÆO RHEMENSI.

S.R.E. CARDINALE.

XXVII.

MATTHÆUS Gallus, nobilibus ac opulentis Parentibus in Provincia Rhemensi natus, statim à primis annis Litterarum studia cum pietate conjunxit. Canonicus Rhemensis factus, Radulphi optimi Antistitis vestigia secutus, veræ pietatis laude in ipsa adolescentia floruit. Divini namque amoris

Sancta ejus vita primordia recensentur.

amoris flammis incitatus, honoribus oblatis cum amplissimo patrimonio dimissis, ad Monachos Cluniacenses penè puer confugit; quorum Institutum, posito ritè tyrocinio, professus est Lutetiæ Parisiorum in Monasterio S. Martini de Campis. Ubi Anno Salutis 1119. vitâ functô Theobaldô (qui successerat primo illius Cœnobii Institutori) hortatu Venerabilis Petri Cluniacensis, Prior constitutus est. Candebat inter Monachos cœlesti incendio; actuosæ simul & contemplantis vitæ munera sedulus obibat; Sacra lectione, meditatione, precibus, inedia, cilicina veste, Silentio, Psalmorum cantu, & spiritali expiatione Deo jugiter serviebat; cœloque mente tota defixus, caduca omnia, ut fluxam vanitatem despiciebat. *Hujus Viri à prima die Monachatûs usque ad ultimum vitæ exitum*, inquit Venerabilis Petrus, *crimina nulla, bona multiplicia, & continua oblatio Agni immaculati, qui tollit peccata mundi, per viginti ferè annos quotidiana; misericors & justus erat, subditisq; sine exceptione verus Pater, mirò fervens zelò flammeum gladium in scelerum necem semper ferebat exertum.* Quem Honorius II. Pontifex Maximus multa virtute, doctrinâ, & vitæ sanctitate illustrem, collatâ purpurâ, labori suo Socium adhibens, Episcopatui Albanensi præfecit Anno Salutis 1125. *In ea dignitate*, teste laudato Petro, *nihil de Monacho dimisit, sed eadem in corde ejus humilitas, eadem in vestitu vilitas mansit. Servabat in Palatio exercitia Claustri, cohibebat se intra se, nunquam magis negotiosus, quàm cum solus erat. Praeferebat cunctis operibus suis, omnibus sanctis studiis, sacrificandi Deo illum suum quotidianum usum; à quo nec rei familiaris cura, nec multiplex studiorum occupatio, nec ipsa continua, post summum Pontificem, omnium Ecclesiarum illi imposita solicitudo eum retrahere poterant.*

Virtutes ejus fusiùs adseruntur.

Cardinalis Episcopus Albanensis creatur.

Cassinum ex imperio Romani Pontificis se conferens, Nicolaum Abbatem Monachis invisum, exosumque ob Bona Monasterii partim alienata, partim obærata, partim etiam dilapidata, subrogatô aliô, deposuit. In Pontium quoque Abbatem Cluniacensem & S.R.E. Cardinalem, Cœnobii Cluniacensis perfidum Turbatorem, sacrilegum invasorem, & direptorem, mandante pariter Pontifice, anathematis sententiam pronunciavit.

In Præsules culpabiles animadvertit.

Legationis munere apud Gallos semel, iterumque functus, assumptis secum Legationum sociis Sancto Bernardo Clarevallensi, & Stephano Cisterciensi Abbatibus, Concilio Trecensi præsedit, in quo Templariorum militum Ordini, Hierosolymis ante annos novem instituto, habitum certum, & rectam vivendi regulam præscripsit; atque etiam Henricum Præsulem Virdunensem Catalaunensis Ecclesiæ invasorem deposuit, & in ordinem redegit.

In Gallia Legatum agens Templariis habitum & vitæ regulâ præscribit.

In Italiam rediens stetit firmissimè à partibus Innocentii II. contra Pseudo-pontificem Anacletum, unde factô à Schismaticis tumultu ex Urbe unà cum Pontifice ejectus, innumera non absque frequenti capitis discrimine pertulit mala. In Gallias postmodùm cum eodem Innocentio remeans, quamplurimas pro Dei gloria, & Ecclesiæ emolumento Regiones peragravit, totamque Galliam (exceptâ Aquitaniæ parte) Hispaniam, Angliam, Germaniam Pontifici, imò Christo, cujus ipse tum vices gesserat, suâ operâ reunivit. E Gallia in Germaniam flectens, justas Canonicorum Ecclesiæ

Plurimos labores, & persecutiones pro Ecclesiâ & Pontifice sustinet.

Hal-

Halberstadiensis contra Episcopum querelas, pro Judicio sedens, audivit, discussit; reumque inventum Episcopum usurpatâ sede dimovit.

Ejusdem Innocentii jussu ultimam Matthæus Legationem obiit Mediolani unà cum Divo Bernardo Abbate, & Guidone Pisano Cardinale: qua in Legatione non solùm Mediolanenses, sed & multos Liguriæ populos, accommodatâ ad rem oratione, à Schismate avulsos Sanctæ Matri Ecclesiæ, restituit. Alvi deinde fluxionibus, ex tot itinerum, laborumque molestiis contractis graviter laborans, viribusque ea propter magnoperè destitutus, Pisas se confert; non tamen lecto decumbit, nec consueta negotia, licet gravia, intermittit; aut corpori, quamquàm afflictissimo, ulla ex parte indulget; sed exequitur, toleratque invictô animô omnes Apostolicæ curæ, & Curiæ labores. Ab Idibus Julii usque ad Kalendas Decembris vitam hôc modô produxit suam. Tandem primâ Adventûs Dominici hebdomadâ, naturæ defectum sentiens, & mala, quibus extremè pulsabatur, ampliùs perferre non valens, Lecto moriturus decumbit: ubi in extasim raptus, magnam imminentium Dæmonum, dira quæque minitantium catervam conspexit: quam tamen nullo affectus terrore, unicô Crucis Signô dissipans, in fugam conjecit. Tum gloriæ suæ Sedem ad Christi Salvatoris pedes paratam conspiciens, tempus migrationis suæ ad proximas Redemptoris ferias futurum agnovit. Solutâ extasi, ut se morti vicinum persensit, antequàm divinæ Eucharistiæ robore muniretur, Sanctæ fidei dogmata alacri, elatâque voce confessus, sacrô Pane refici; oleôque ad luctam inungi voluit. Nocte Natalem Domini diem præcedente, Christum è cruce pendentem postremis hisce verbis, incredibili gaudio perfusus, est allocutus: *Jam tandem, pie Salvator, tempus illud diu desideratum illuxit, quo, qua promisisti, adimpleas; & tuo instante Natali à vita mortali migrandi, & ad te, qui Vita es æterna, transeundi mihi licentiam concedas.* His dictis, ad lectum ciliciô coopertũ, cinereq; conspersum, uti rogaverat, suorum manibus delatus est. Cumque ad eum invisendum Joannes Cluniacensis Monachus, notæ Vir Sanctitatis, venisset; & multa cum eo de morte, deque Regno Dei collocutus, subjunxisset: *videri sibi, quòd in proxima nocte esset moriturus; Nequaquam*, reposuit ille, *etenim ex revelatione mihi à Dei Genitrice facta, non hac certè nocte moriar: datum enim mihi à Domino est, ut ea die, qua ipse de Virgine nasci, & ad homines venire dignatus est, eâdem ego ab hominibus recedens, ad Ipsum concedam*: Quemadmodùm juxta vaticinium felicissimè perrexit. Nam die xxv. Decembris Anno redempti Orbis 1135. cùm in secunda Missa caneretur: *Lux fulgebit hodie super nos*: mortales tenebras Pisis relinquens, ad æternam Lucis usuram sanctissimo vitæ exitu evolavit.

Innocentius Pontifex, Cardinales, Episcopi, Abbates, Curia universa, & Pisana Urbs beatum Cadaver nullâ morbi, aut mortis specie deformatum invisunt; plurimi manus & pedes rorantibus genis exosculantur, eôque contactu sanctificari se non irrita fide credunt. Die sequenti Protomartyri D. Stephano sacrâ Innocentius Pontificalibus indutus, pro illius requie, solemni ritu funebre

Ægrotans graviter nihil de curis remittit.

Visionibus illustratur, & prædictâ mortis die sanctè fine decedit.

Sanctus ejus obitus refertur.

Corpus ejus solemni pompâ terra mandatur.

 Sacrum

Sacrum fecit. Corpus in Æde S. Fridani nobili Sepulchro illatum, multis miraculis coruscare cœpit.

Variis Elogiis à Scriptoribus commendatur.

Matthæi sanctitatem, doctrinam, & res gestas multi Scriptorum celebrârunt, Baronius in Annalibus vitæ ejus sanctitatem indicans, *magnam & admirabilem* vocat. Martyrologium Benedictinum Eum *Beati* titulo cohonestat. Divus Bernardus, & Venerabilis Petrus Cluniacensis, *Virum Sanctissimum, moribus Angelum, Virtutibus præcipuum, Sermone & opere potentem* nuncupant. Andreas verò Saussay omnium locupletissimè in Martyrologio Gallicano VIII. Kal. Januarii hôc eum commendat elogiô: *Obitus sanctæ memoriæ Matthæi Albanensis Episcopi Cardinalis & Legati Apostolici planè Viri: qui natione Gallus, patriâ Rhemensis, ex Clerico Laudunensi, subindeque Canonico Rhemorum Metropolis, Monachus Cluniacensis, S. Petri Discipulus, à quo in ipso conversionis exordio Lutetiam Parisiorum missus in S. Martini Campestris Asceterio Religionis habitum suscepit. Hinc ob divina mentis rutilantia lumina Cluniacum ab ipso Venerabili Petro Abbate revocatus, Priorque magni illius Cœnobii, imò totius Ordinis sub eodem Sancto Patre constitutus, miræ suæ despicientiæ, ac religionis, observantiæ, sollicitudinis officiis, prudentiæ, ac sanctimoniæ, doctrinæque insignitis effulsit. Quamobrem hinc ad Ecclesiæ non tam honores, quàm onera provectus, afflictâ Republica Christiana eximiam præstitit operam, zeloque fervens admirabili, & sanctitate perfectâ coruscus ad extremum usque spiritum Religioni vindicandæ, Ecclesiæ pacificandæ, propugnandæ, & exornandæ Apostolicæ Sedi assiduis laboribus, ignitis monitis, & præclaris exemplis insudavit. Postremò Deo, & Cælitibus impensè charus, bonis operibus dives, miraculis illustris, feliciter apud Pisas in Domino obdormivit, Sanctorumque, quorum præconia, dum viveret in terris, meruerat, consortia post mortem in cælesti beatitudine adeptus est.*

Scripta ejus.

Scripsit inter alia De Perfectione Monachorum.
De Vanitate Mundi.
De Votis Monasticis.
Sermones in Evangelia.

Ejus meminere D. Bernardus in Epistolis. B. Petrus Cluniacensis Abbas in Vitâ. Chronicon Cluniacense. Baronius Tomo 12. Annal. Martyrologium Benedictinum. Saussay in Martyrologio Gallicano. & Alii.

ANNO 1124.

SEDENTE HONORIO II. PONT. MAXIMO.

De

JOANNE BONONIENSI S.R.E. CARDINALE.

XXVIII. JOANNES Bononiæ honestis Parentibus natus, & optimis imbutus moribus, relictô Sæculô, vanisque mundi honoribus, in Camaldulensium Eremum secessit, ubi transactô ritè tyrociniô, Monachum professus, cùm in perfectionis orbitâ decurrendâ omnium in se oculos traxisset, magnâque insuper sapien-

tiæ laude præluxiſſet, Vidoni totius Ordinis Generali, qui humilitate ductus Magiſtratûs inſignia depoſuerat, concordi Monachorum ſuffragiô, invitus licèt, diuque reluctans, ſubrogatus eſt Anno à partu Virginis 1114. Et quamvis hôc honore auctus eſſet, nunquam tamen adduci potuit, ut Vidone ſuperſtite *Priorem* ſe ſcriberet: ſed tantùm Romualdi nomine Cathedram illam tenere ſe faſſus eſt.

Monachum Camaldulenſem profeſſus, totius Ordinis Generalis eligitur.

Extincto Vidone haud torpuit deinde novus Prior, quin in ſe ipſum auſterior, erga cæteros verò cum gravitate humanior, Ordinis Inſtitutum ita promoveret, ut auctô fortunis ac opibus Cœnobiô, Monachorum mores longè reddiderit ſplendidiores. Hujus Sanctitatis rumor Apennini terminos prætergreſſus, ad aures Conſtantini Sardiniæ Regis, & Marchuſæ uxoris ejus, eximiæ pietatis fœminæ pervenit: qui cùm à Joanne ſuorum Monachorum coloniam petiiſſent, & impetrâſſent, fundatô in Sardinia Cœnobiô, regiis illud opibus, ac privilegiis locupletârunt.

Ordinem ſuũ fortunis, ac moribus ſplendidiorem reddit.

Joannis nomen non modò Paſchalis II. temporibus celebre fuit, qui illum Eremi Priorem favorabili Diplomate confirmavit; Sed & aliorum Pontificum, ac præcipuè Honorii II. ſui Concivis ætate, qui illum Epiſcopum Oſtienſem, & Cardinalem in ſui locum ſubſtituens, ejus poſtmodùm dexteritate, prudentia, & eruditione, quoad vixit, uſus eſt ad civilia Romanæ Eccleſiæ negotia pertractanda & peragenda. Defunctô Honoriô II. Joannes majori ac ſaniori Cardinalium parti adhærens, Innocentium II. rejecto Anacleto, à Schiſmaticis in Sedem Apoſtolicam intruſo, Legitimum Pontificem nominavit: illiusque tum dignitatem, tum Auctoritatem, ut tueretur, magnorum laborum, itinerum, ac vitæ diſcrimina ſubire non recuſavit. Omnia denique ſcriptis, verbo, Legationibus moliri cœpit, ut deterrimo Schiſmate deleto, Romanæ Eccleſiæ pax diu optata & quæſita tandem aliquando redderetur: quo laudabili ſtudio detentus, ac attritus Anno Salutis 1133. Chriſto Redemptori cumulatam meritis animam in manus conſignavit.

Honorio II. in Epiſcopatu Oſtienſi, & purpurâ ſuccedens, pertractandis Eccleſiæ negotiis adhibetur.

Innocentii II partes egregiè tuetur adverſum Anacletum Pſeudopontificem. Obitus ejus Sanctus.

Meminit Joannis Camaldulenſis Epiſcopi Oſtienſis Petrus Mauritius Abbas Cluniacenſis Libro Secundo Miraculorum, in quo narrat, illum cuidam Monacho Sancti Michaëlis de Piſis apparuiſſe, monuiſſeque: *brevi fore, ut Matthæus Epiſcopus Cardinalis Albanenſis* (de quo nos ſupra n. 26.) *ſe præeuntem ſequeretur ad gloriam, quod & factum.*

Matthæo Cardinali Albanenſi mortem prædicit.

Cæſar Baronius in Annalibus ſcribit Joannem hunc coronationi Alexandri III. Anno Domini 1159. celebratæ interfuiſſe. At pace tanti Viri dicendum, illum vel ab hôc noſtrô nullum, vel omninò diverſum fuiſſe; cùm certò conſtet ex prænarrata viſione Joannem Camaldulenſem morte duobus propè annis Matthæo Cardinali anteceſſiſſe, qui obiit, ut ſupra diximus ex B. Petrô Cluniacenſi, die xxv. Decembris Anni 1135. Multa ſcripſit pia, & utilia opera Joannes, maximè contra Anacletum, Schiſmaticorum eo tempore caput, quæ tamen vel deperdita, vel inter MM. SS. alicubi aſſervata, lucem publicam nunquam aſpexerunt. Qui Joannis

Ejus Scripta. annis Vitam, & res gestas scripserunt, Eum *Virum doctrina & sanctitate celebrem* divulgârunt.

Ejus meminère Chronicon Camaldnense. Petrus Mauritius Abbas Cluniacensis *lib. 2. Miraculorum. Baronius in Annalibus. Ughellius in Italia sacra. Aubery in Vita. Ciaconius. Oldoinus. & Alii.*

ANNO 1130.
SEDENTE INNOCENTIO II. PONT. MAX.
De

DROGONE LAUDUNENSI
S.R.E. CARDINALE.

XXIX. DROGO, sive Drago, Laudunensis Gallus, Monachus Ordinis D. Benedicti, Primus Abbas S. Joannis Laudunensis, ab Innocentio II. Episcopus Cardinalis Ostiensis in locum defuncti Joannis Camaldulensis suffectus est Anno Salutis 1134. Vir (ut is, qui Sigeberto supplementum adjunxit, Auctor est) consilio, eloquentia, doctrina, & pietate insignis. Cùm Moniales Virgines, quæ Lauduni in Monasterio S. Joannis vivebant, ab accurata vitæ norma ad laxiorem deflexissent; atque adeò non levem Sæcularibus obloquendi materiam præbuissent, Ludovici Regis Francorum jussu eô Monasteriô exactæ; earumq; loco (Drogonis operâ) Monachi S. Benedicti introducti sunt. Qui Cœnobium illud cum omni jurium, ac facultatum possessione adepti, ne beneficii accepti immemores viderentur, Drogonem ipsum, comitiis habitis, concordi suffragiô in Primum Cœnobiarcham elegerunt Anno Domini 1127. Quem deinde Bartholomæus Episcopus Laudunensis juxta morem Ecclesiasticô ritu consecratum, plurimis donis, ac privilegiis auxit.

Ab Innocentio II. Cardinalis Ostiensis creatur.

Primus Abbas eligitur in Monasterio Laudunensi.

Decessit non Anno eodem, quo ab Innocentio II. Pontifice renunciatus est Episcopus Ostiensis, ut scribit Ughellius, sed Anno Salutis 1138. ex Ciaconio, Frizonio, Oldoino, & aliis, quibus assentior, cùm quatuor annorum intervallo Episcopatum sibi commissum sanctissimè rexisset.

Obitus ejus certus assignatur.

Quamplurima egregia ingenii sui Monumenta (teste Trithemio) posteris reliquisse scribitur Drogo, quæ, si ritè perpendantur, Virum ipsum ingeniô, & doctrinâ præstantem, Divinis, humanisque literis apprimè excultum arguunt. Quorum tamen magna pars, longæ vetustatis vitiô, tineis exesa desideratur. Quæ verò extare dicuntur: vel Bibliothecæ SS. Patrum Tomo Secundo inserta habentur; vel alibi inter MM. SS. vetera in variis Monasteriis asservata inveniuntur, uti sunt:

Scripta ejus varia recensentur.

Tractatus de Passione Domini.
Dissertatio de Octo Beatitudinibus.
De Septem Donis Spiritûs Sancti.
De Horis Canonicis.
Aliaque id genus plura.

Ejus

Ejus ètiam nomine *Liber de Christi Corpore* passim circumfertur, qui an Ejus reverà sit? ob styli inæqualitatem, & dissonantiam, à Doctis jure in dubium revocatur.

De eo agunt Jo. Trithemius de Script. Ecclesiast. Petrus Frizonius in Gallia Purp. Ciaconius in Vitâ. Ferdinandns Ughellius Tom. I. Italiæ Sacræ. Oldoinus in Addition. ad Ciaconium. & Alii.

ANNO 1130.

SEDENTE INNOCENTIO II. PONTIF. MAXIMO.

De

THEODEVINO GERMANO
S.R.E. CARDINALE.

THEODEVINUS (cujus Parentes, genus, & patriam Scriptorum vitio, & incuria ignoramus) nobilis Germanus, ob eruditionis, & Virtutum famam ab Innocentio II. Pontifice Maximo Ecclesiis Portuensi & Silvæ Candidæ unà junctis præfectus; & Cardinalis circa Annum 1138. declaratus, Sedis Apostolicæ Legatus in Germaniam ad extinguendum Schisma, & corruptos Clericorum mores emendandos missus est. Ea occasione interfuit Confluentiæ creationi Regis Romanorum Conradi III. qui Lotherio II. defuncto, concordi Principum, ac Electorum calculô in Imperio suffectus, ab eo Aquisgrani regio diademate coronatus est: Coloniensis enim Archiepiscopus, qui id facere ritè debuerat, eo tempore recèns designatus, palliô carebat. XXX. *Ab Innocentio II. Cardinalis Episcopus Portuensis renunciatur.* *Legatus in Germaniâ Conradû III. Imp. coronat.*

Secunda Legatione Theodevinus pro parte Eugenii III. Transmare in Syria cum Vidone Sellagio Cardinali functus est, ac secutus Imperatorem Conradum interfuit Celeberrimo Conventui Ptolemaide coacto, ubi præsidente Cæsare, Reges quoque Francorum & Hierosolymorum Ludovicus & Balduinus, aliique Christiani Proceres cum innumerabili propemodùm multitudine Episcoporum, Abbatum, Nobiliumque Virorum præsentes adfuerunt: in quo de Damasci obsidione actum est, cujus generosam expeditionem infortunati excepêre eventus, quorum hic meminisse non attinet. *Destinatur in Syriam.*

Romam redux, cùm ingeniô plurimùm valeret, litteris, ac Diplomatibus diversorum Pontificum formandis adhibitus, fatis tandem concessit, Ecclesiam moderante Anastasio IV. circa Annum Salutis 1154. *Obitus ejus & Scripta.*

Scripsit quamplurimas Epistolas, &
Orationes pro Expeditione belli sacri habitas.

Ejus meminère Ferdinandus Ughellius Tomo I. Italiæ Sacræ in serie Episcop. Portuensium. Otto Frisingensis, Wilhelmus Tyrius de Bello Sacrô. Ciaconius in Vita. Oldoinus, & Alii.

ANNO 1130.

SEDENTE INNOCENTIO II. PONTIF. MAXIMO.

De

ALBERICO BELLOVACENSI
S. R. E. CARDINALE.

XXXI. ALBERICUS natione Gallus, Bellovaci in Picardiâ natus, contemptis fæculi vanitatibus, Monachorum Institutum sub Regula D. Benedicti Cluniaci professus, Abbasque Cœnobii Viceliacensis circa Annum 1124. electus, cùm optimis moribus, eruditione, & doctrinâ minimè vulgari floreret, ab Innocentio hujus nominis secundo Purpurâ, & Episcopatu Ostiensi donatus est Anno Salutis 1138. vel, ut vult Ughellius, Anno 1135. Siquidem, ut ipse scribit, Anno 1136. legatus fuit in Orientem, ad sedandam gravissimam litem inter Rodulphum Patriarcham Antiochenum intrusum, & ejusdem Ecclesiæ suffraganeos Episcopos, ac Canonicos exortam. Conscensis navibus Sidonem primò applicuit, deinde Antiochiam profectus, annuente Raymundo Loci Principe (à quo summis benevolentiæ, honoris, & amoris officiis exceptus, cultusque fuerat) coactâ Antistitum Orientalium Synodô, Rodulphum absentem, citatum, nec comparentem, veluti contumacem, inobedientem, & reum usurpato Episcopatu per sententiam depositionis ejecit: & Serlonem Appameensem Antistitem de pluribus accusatum, & perfidiæ convictum, justitiâ exigente, de sede exturbavit. Soluta Synodo Antiochena, ad Sacra conversus, celeberrimum Hierosolymis Christo Salvatori excitatum Templum, solemni ritu consecravit, ac dedicavit. Ibi consistens alteram Synodum ea de causâ indixit, ut Maximum Patriarcham Armenum, ejusdemque Suffraganeos, in aliquibus fidei Articulis ab Ecclesia Romana dissidentes, ad perfectam fidei unionem perduceret: id quod felici successu, doctâ priùs & gravi in rem usus oratione, obtinuit.

Purpurâ & Episcopatu Ostiensi ab Innocentio II. donatur.

Legatus in Oriente Præsules ab officio exorbitantes, deponit.

Armenos ad Ecclesiæ unionem reducit.

Ex Oriente Romam revocatus, postquàm injunctæ sibi Legationis rationem reddidisset, & ob rem benè gestam publicas in Consistorio laudes consecutus fuisset, duas iterum Legationes obeundas suscepit, alteram Barium in Siciliam, ut populum illum, res novas molientem sedaret; & ad præstandum Rogerio Principi obedientiæ sacramentum adigeret. Alteram in Angliam: ut res Ecclesiæ Anglicanæ ob corruptos Clericorum mores, & Procerum insolentiam impunè in sacra grassantium, maximè deformatas restitueret, atque in ordinem redigeret. Hac Legatione Albericum statim ab acceptâ purpurâ functum, antequam in Orientem se se conferret, scribunt nonnulli: penès quos fides sit. Cæterùm quidquid sit de tempore dictæ Legationis, exploratum tamen est, illum Londini Concilium & indixisse, & celebrâsse, in quo compositô Clerô, refrenatâ Procerum licentiâ, editisque in rem præsentem opportunis decretis, Theobaldum, Beccensem Abbatem, Rege non dissentiente, Archiepiscopum Cantuariensem creavit.

Legatus destinatur in Siciliam & Angliam.

Theobaldum Abbatem, Archiepiscopum Cantuariensem creat.

Ter-

Tertiâ denique Legatione functus est in Galliâ Anno Salutis 1145. mandante Eugenio III. assumptis secum duobus Collegis, Divo Bernardo Abbate Claræ vallensi, & Gaufrido Carnotensi, contra Henricum Petrobusianum, hominem nefarium, & hæreticum, qui falsis suis dogmatibus totam ferè Provinciam Tolosanam corruperat. Summa Hæresis ejus tria potissimùm adstruebat: primò, Baptismum infantibus collatum, inutilem esse: secundò, verum Christi Corpus in Eucharistia non existere: tertiò, Mortuis suffragia fidelium non patrocinari: Hanc Hæresim Albericus cum Auctore, & asseclis pontificiô nomine damnavit, & execratus est. *Hæresis Petrobusiana in quo consistat? hanc damnat Albericus.*

Tandem multis pro Deo, & Ecclesia toleratis laboribus, meritis & Virtutibus conspicuus evolavit ad superos Viroduni in Gallia anno salutis 1147. ubi etiam, magnô sui relictô desiderio, honorificè sepultus est, teste Godifredô Monachô Cisterciensi in Epistola ad Episcopum Albanensem de Rebus Concilii Rhemensis scripta, & à Baronio in Annalibus relata: qui Albericum *hominem doctrina potentem*, *ac sanctitate conspicuum, columnamq́ Ecclesiæ* nominat. *Sanctè fine quiescit Viroduni in Galliâ.* *Commendatur à Baronio*

Necessitudinis verò, quæ Albericum inter, & Sanctum Bernardum intercessit, testes sunt suavissimæ ipsius Bernardi Epistolæ, ad Eundem frequentissimè exaratæ. Alberici demùm sanctimoniæ inter postremas notas haud illa habenda, quòd cùm Divus Bernardus supra Ejus sepulchrum Missarum solemnia celebrans, ad Orationem pro mortuis (quam *Collectam* vocamus) pervenisset; omissâ illâ, de Sanctis Confessoribus orationem cecinerit: meliori utique spe plenus, amicum jam cum cæteris Confessoribus, cœlo consignatis, congregatum; cui inter mortuos non duxisset orationibus suffragandum. *Divo Bernardo amicus & familiaris.*

Scripsit Albericus Centuriam Epistolarum ad diversos. *Ejus Scripta.*
Sermones de Tempore.
De Realitate Corporis Christi in Eucharistia.
Contra Petrobusianos.

Ejus memoriam celebrant S. Bernardus in Epist. Wilhelmus Tyrius de Bello Sacro. Chronicon Anglicanum Jo. Hagustald. Paulus Cortesius. Raphaël Volaterran. Panvinius in hist. Pontif. Rom. Aubery in Vita. Baronius tom. 12. Annal. Rogericus Hovedunus in Annal. Anglicanis. Frizonius in Gallia Purp. Ughellius in Ital. Sacra. Aliiq́.

ANNO 1130.
SEDENTE INNOCENTIO II. PONT. MAX.

De

HUGONE DE S. VICTORE S. R. E. CARDINALE.

HUGO de S. Victore, natione Saxo, Germanus, decimo octavo ætatis suæ anno mundi caducitatem ex rebus perituris relegens, Ordinem Canonicorum Regularium S. Augustini sub annum 1115. ingressus, ob præclaras, & XXXII.

raras animi dotes Lutetiam postulatus, communi omnium consensu electus est Cœnobiarcha in Abbatia, quam Ludovicus Galliæ Rex, cognomento Crassus juxta muros Civitatis Parisiensis in locô *Cellâ Veteri* nuncupatô Annô Salutis 1113. in honorem S. Victoris regiâ munificentiâ erexerat.

Abbas eligitur Cellaveteri.

Hugo propter eminentem Sacrarum Literarum eruditionem *Alter Augustinus* suo tempore & dictus, & habitus est; nec injuriâ: Erat enim Vir perspicacissimi ingenii, eloquentiæ incomparabilis, & scientiarum omnigenarum laude prædîtus. De quo S. Antoninus, Archiepiscopus Florentinus in tertia Chronici parte hæc ad posteros transmisit: *Fuit Hugo de S. Victore singularis in vita probitate, & scientia. Et ita eruditus in omnibus Artibus liberalibus, ut nullus ei similis tempore suo haberetur.* Trithemius Eundem hoc brevi elogio exornat: *Hugo Theologus inter suos eximius, divinarum & humanarum litterarum exquisitâ eruditione clarissimus.* A multis propterea *Scientiarum abyssus* nuncupatus; cujus in oratione gravitas, & majestas singularis est; concinna, nervosa prorsus, & virilis compositio; quæ pondere suo penetret, moveatque maximè cum judicio legentium animos, qua scribendi ratione, & arte vix ullum sibi parem ea ætate habuit.

Hugonis laudes à variis Scriptoribus relatæ.

Sed ad tollendam nominis æquivocationem, sciendum est, plures floruisse diversis temporibus egregios, doctosque Viros Hugonis nomine insignitos, inter hos primus eminet:

Plures Hugones diversis temporibus floruère.

I. Hugo Abbas Cluniacensis, qui scientia, sanctitate, & miraculis claruit.

II. Hugo Episcopus Gratianopolitanus, Vir doctissimus, qui, ut opportunius litteris & pietati vacaret, Chartusianorum institutum, licèt Episcopus, amplexus est.

III. Hugo de S. Victore, Germanus, cujus hîc vitam describimus.

IV. Hugo de Folietto Cardinalis Gallus, litteratissimus, cujus suo loco mentionem facturi sumus.

V. Hugo Decretorum Glossator primus, quem aliqui Hugutionem appellant, Vir maximæ doctrinæ.

VI. Hugo ex Ordine S. Dominici, Cardinalis, qui in Sacram Scripturam doctissima Scholia commentatus est, de quo plura in ejus Vita dicturi sumus.

VII. Hugo Floriacensis Monachus, qui Historiam temporum conscripsit.

VIII. Hugo Eterianus, Variarum doctrinarum, & linguarum, Græcæ, Latinæ, Hebraicæ peritiâ clarus.

Ludovicus Morerius, Auctor hoc tempore celebris, & notus, in suo Dictionario Magno Historico plurium insuper insignium Virorum, qui Hugonis nomine censentur, mentionem ingerit; ad quem Lectorem curiosum, ne æquò hîc prolixior sim, remitto.

Ego hîc solius Hugonis de S. Victore gesta enarranda suscepi, ad quem Divus Bernardus, ejusdem amicissimus, insignem, & longam Epistolam multifariâ doctrinâ refertam dedit, quæ inter ejusdem Sancti Epistolas septuagesimum septimum locum tenet, cum hoc titulo: *Ad Magistrum Hugonem de S. Victore.* Discipulos in Virtutis,

D. Bernardus ad Hugonem scribit.

tutis, & litterarum Palæstra habuit duos, Richardum scilicet,& Adamum, ambos ejusdem Instituti Viros percelebres.

Ab Innocentio II. Pontifice Maximo in Ægidii demortui locum subrogatus, Episcopus Cardinalis Tusculanus Anno Salutis 1138. mense Decembri Romæ (ut nonnullis placet) renunciatus est. Gabriel Pennottus in Historia sui Ordinis, Baronii & Bellarmini Cardinalium dubia vestigia secutus, Hugonem hunc nostrum è numero Cardinalium excludit. At qua fide, aut fundamento, non satis penetro. Certè Alphonsus Ciaconius, Andreas Victorellus, Petrus Frizonius, Ferdinandus Ughellius, Augustinus Oldoinus, Viri de Historia Ecclesiastica optimè meriti, accuratissimi, & peritissimi, Hugonem de S. Victore, Cardinalem & Episcopum Tusculanum fuisse, enervatis contrariorum opinionibus, disertè contendunt; quorum ego rationibus, & auctoritati insistens, citra injuriæ notam refragari non ausim.

Ab Innocentio II. Cardinalis Tusculanus renunciatur.

Cæterùm Hugonis Sanctitatem ea maximè declarant, quæ illi morti proximo evenisse memorantur. Migraturus enim è vita, cùm divinum Christi Corpus, beatæ immortalitatis pharmacum, sacro jam oleo inunctus, instantissimè petiisset; Adstantes verò Discipuli, languentis ejus stomachi vitiò, quemlibet cibum rejicientis (ob reverentiam Sacramenti) perterriti, locô consecratæ, Hostiam illi non consecratam attulissent, rerum ipse divinitùs edoctus, factam simulationem in hæc verba redarguit. *Quid, fratres Charissimi, defraudatis moriturum Pane cœlesti? pro vero falsum substituendo? quin, si me amatis, omissâ fraude, divini Corporis epulum adferte, ne vindicem Dei iram in vos concitetis.* Allatum igitur è vestigio sacratum Panem maxima cum humilitate de genu adoravit, cumque eum absque rejectionis periculo in se recipere non posse intelligeret; suspirans dixit: *Ascendat filius ad Patrem, & servus ad Dominum, qui fecit illum:* illicò præsentes Dominici Corporis species evanuerunt: ejusq; animus mortales artus, immortali Deo fruiturus, reliquit Anno Christi 1139. ætatis suæ quadragesimo tertio.

Mira in ejus obitu patrata enarrantur.

Vitam Sanctissimâ morte concludit.

Osbertus Prior S. Victoris, qui Hugoni morienti affuit, ejusque posteà vitam divulgavit, refert illum has voces moriendo crebriùs repetiisse: *Sancte Victor ora pro me:* Sacra Divi Victoris Lipsana pro Cœnobio Parisiensi, dum viveret, Hugo Româ asportari curaverat, hinc in extremis constitutus, bonorum more Christianorum, ejus se muniri suffragiô expetiit. Hugonis cineres in Capellam Divi Dionysii Anno Salutis 1335. translati, futuris Sæculis hoc Epitaphio commendantur.

In extremis constitutus S. Victorem invocat.

Conditur hoc tumulo Doctor celeberrimus HUGO,
Quàm brevis eximium continet Urna Virum?
Dogmate præcipuus, nulliq; secundus in Orbe,
Claruit ingenio, moribus, ore, stylo.

Varia Hugonis Epitaphia afferuntur.

Æneæ verò laminæ inscripti leguntur versus sequentes.

Hugo sub hoc Saxo jacuit Vir origine Saxo
Annis Ducentis & tribus inde retentis.
In Claustro primò se poni fecit in imo,
Et pede calcari; nolens mundo decorari.

Luce sub undenâ Februs tolluntur arenâ
Ossa, Chori latere levâ translata fuêre
Anno Milleno, Ter centum, ter quoque deno
Christi, cùm quinque fratrum chorus adstat utrimque.

Extat & aliud insigne Epitaphium Hugoni de S. Victore à nonnullis inscriptum, quòd allatis subnectere non piguit: est autem hujusmodi.

Inter Pontifices speciali dignus honore,
Hîc nostra carnis Hugo resignat onus.
Consignata brevi clauduntur membra Sepulchrô,
Non tamen acta Viri claudit uterq; Polus.
Quidquid dispensat, & compartitur in omnes
Gratia, contulerat, præstiteratq; Viro.
Fecundos igitur Virtutum copia fructus
Fecit, & ultra hominem magnificatus homo est,
Tandem post celebrîs felicia tempora vita,
Sustulit emeritum flebilis urna Virum.

Verùm an inscriptio hæc nostri sit, an alterius Hugonis dubium facit Ludovicus Morerius, qui illud Hugoni Amiensium Archiepiscopo, ex Arnoldo de Lizieux desumptum, adscribit.

Scripta ejus varia adferuntur.

Scripsit Hugo de S. Victore quamplurima Opera, Theologica, Moralia, Philosophica, Mystica, Allegorica, Polemica, Ascetica, mirabili doctrinâ, pietate, & eloquentiâ referta, quæ in editione Veneta Anni 1588. tribus Tomis comprehenduntur.

Primus Tomus continet.

De Scripturis, & Scriptoribus sacris Prænotationes.
Annotationes Elucidatorias in Pentateuchum, Judices, Regum libros, & Psalmos aliquot, in Threnos, Joëlem, & Abdiam.
In Ecclesiasten Homilias decem & novem.
Annotationes elucidatorias Allegoriarum in totum Testamentum vetus, exceptis Prophetis, & Libris Sapientiæ.
Annotationes elucidatorias Allegoriarum in 4. Evangelistas.
Annotationes Litterales & Quæstiones in Epistolas D. Pauli Apost.
Annotationes Elucidatorias in Dionysium Areopagitam.

Secundi Tomi hæc sunt.

Institutiones in Decalogum.
Expositio in Regulam S. Augustini.
De Institutione Novitiorum.
De Claustro Animæ.
De Anima Libri quattuor.
De Medicina Animæ.
De Laude Charitatis.
De Arrha Animæ.
De Modo Orandi.
De Fructu Carnis & Spiritûs.
De Nuptiis carnalibus, & spiritualibus libri duo.
De Vanitate mundi libri quatuor.
De Meditatione Libellus.
De Arcæ Mysticæ descriptione.

De

De Arca Noë Libri quatuor.
Sermones centum de variis argumentis.
De Aſſumptione B. Mariæ Virginis.

Tomi Tertii hæc ſunt.

Didaſcali Libri VII. quorum VI. ad Artes liberales pertinent, Ultimus de SS. Trinitate agit.
De Poteſtate & Voluntate DEI Libellus.
De quadruplici Voluntate DEI Libellus.
De Sapientia Animæ Chriſti Libellus.
De Unione Corporis & Spiritûs Libellus.
De Verbi Dei efficacia Libellus.
De Verbo Incarnato Apologia.
De perpetua Virginitate B. Mariæ Virginis.
De Filia Jephte Tractatus.
Miſcellaneorum ſecundi Codicis Libri quinque.
Speculum de Myſteriis Eccleſiæ.
De Cæremoniis, Sacramentis, & Officiis Eccleſiaſticis Libri tres.
De Canone Myſtici Libaminis Libellus.
Dialogus de Sacramentis Legis naturalis, & Scriptæ.

Summa Sententiarum ſeptem Tractatibus comprehenſa, quorum primus agit:
De Fide, Spe, & Charitate.
De Trinitate.
De Incarnatione.
Secundus, de Creatione & ſtatu Angelicæ Naturæ.
Tertius, de Creatione & ſtatu Naturæ humanæ.
Quartus, de Sacramentis in genere, & Præceptis Divinis.
Quintus de Sacramento Baptiſmi.
Sextus, de Sacramento Confirmationis, Euchariſtiæ, Pœnitentiæ, & extremæ Unctionis.
Septimus de Sacramento Conjugii.
De Sacramentis Chriſtianæ Fidei Libri duo.

Atque hæc ſunt Opera, quæ paſſim Hugonis de S. Victore nomine circumferuntur. An verò omnia genuina ſint ejus Opera, aut inter ea aliqua ſuppoſititia, fateor me ignorare. De iis Doctiſſimus Cardinalis Bellarminus Libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis ad calcem Operum Hugonis hæc obſervat: *Non pauca ſunt in Operibus Hugonis, quæ non videntur germana ejus opera: ſed quoniam Auctor editionis Venetæ ſuis locis hæc annotavit, & mihi non licuit per anguſtias temporis omnia excutere, remitto Lectores ad Notas, quæ in ipſis Operibus extant.* *Bellarmini de Scriptis Hugonis Judicium.*

Scripſit etiam Hugo inſignem Epiſtolam ad Joannem Archiepiſcopum Hiſpalenſem, Apoſtatam à fide, quæ extat apud Baronium Tomo XII. ad Annum Domini 1136.

Ejus mentionem faciunt S. Bernardus Epiſt. 22. Petrus Cellenſis lib. 3. Epiſt. 19. Jacobus de Vitriaco lib 2. c. 24. Trithemius. Baronius. Sixtus Senenſis. Bellarminus. Gabriel Pennotus. S. Antoninus. Vincentius Bellovacenſis. Ciaconius. Ughellius. Victorellus. Oldoinus. & Alii.

ANNO

ANNO 1130.

SEDENTE INNOCENTIO II. PONT. MAXIMO.

De

STEPHANO CIALONIO
S.R.E. CARDINALE.

XXXIII. STEPHANUS, cognomento Cialonius, nobili genere Catalauni in Campaniâ natus, Monachus Claraevallensis, Divi Bernardi Abbatis Discipulus: *Vir*, ut illius aevi Scriptores loquuntur, *magna doctrina, & ingentis gloria*: Ex Cisterciô Secundus vel Tertius Cardinalis ab Innocentio II. renunciatus, Praenestinum Episcopatum obtinuit. De quo haec Joannes Sarisberiensis, Episcopus Carnotensis: *Quis non stupeat Episcopum Praenestinum, qui scrupulum conscientia metuens, à participatione bonorum communium abstinebat?* Et Bernardus Abbas Bonaevallis, in Vita Divi Bernardi Claraevallensis Stephanum hunc omni gloriâ illustrem vocat: *quem Praeneste habuit totius gloria Virum.*

Ab Innocentio II. Cardinalis Episcopus Praenestinus creatur.

Apud Innocentium II. Pontificem Maximum plurimùm valuit consiliô, gratiâ, & auctoritate, ut S. Bernardus in Epistola ad ipsum Stephanum data non obscurè videtur innuere his verbis: *Ipsum* (id est Innocentium summum Pontificem) *duxi necessarium in magno Ecclesia labore, & periculo compellare, & per nullum digniùs, quàm per te, qui ejus lateri, & spiritui individuus comes adhaeres.* Extant tum ad Stephanum, tum ad alios duos Cardinales Episcopos, Ostiensem scilicet, & Tusculanum plures D. Bernardi Epistolae. Imò cùm Bernardus integrô annô, conatu primùm irritô, mox fructuosô paci inter Romanum Pontificem, & Ludovicum Galliarum Regem restituendae insudâsset, priùs Regem; ut resipisceret, mox Innocentium; ut parceret, aggrediens: cùm neque ille ab inobedientia resiliret; & hic claves Ecclesiae contemptas dolens, anathema in Regem comminaretur: ad quatuor Cardinales, inter quos Stephanus ob doctrinae, & Virtutis famam praecipuus eminebat, litteras dedit: quibus eos graviter juxtà, ac suaviter hortatur, ut afflictis Ecclesiae rebus consulere; atque Innocentium in Regem exasperatum emollire satagant. Commissa est etiam Stephano ab Innocentio Pontifice causa Abbatis S. Theofredi Dioecesis Podiensis discutienda, quam pro more, aequitati insistens, sopitis litibus, ad votum partium, feliciter terminavit.

Ab Innocentio Pontifice, & Divo Bernardo plurimi aestimatur

Anno autem à partu Virginis 1144. (postquàm suo suffragio interfuisset Electionibus Coelestini II. & Lucii II. Romanorum Pontificum) laboribus & seniô confectus ad vitam coelestem migravit die XIII. Februarii; ad hunc enim annum vitam produxisse suam constat ex Litteris pontificiis Lucii II. ad Monachos S. Benedicti Mantuanos datis, quibus subscripsit; sed neque ulteriùs eandem prorôgasse, Successoris electio manifestat Guarini nimirùm, qui Anno 1144. à Lucio II. Papa in Episcopum Praenestinum promotus

Certum ejus obitûs tempus refertur.

tus

tus legitur: in quo Ciaconius, & Panvinius conveniunt. Unde facilè rejiciuntur illi, qui scribunt Stephanum vixisse usque ad Annum 1158.

In Ordine Cisterciensi ob exactam in sanctitate vitam Divorum Catalogo inscribitur, ejusque dies festus Idibus Februarii, quibus in pace quievit, celebratur. Lubet hìc coronidis loco elogium Ejus è Martyrologio Gallicano Andreæ Saussay mutuatum epingere; & est tale: *Idibus Februarii Catalauni in Campaniâ memoria Sancti Stephani, Episcopi & Confessoris, qui ex Monacho Cisterciensi ob egregia doctrinæ, & Sanctitatis testimonia ab Innocentio II. Papa inter Ecclesiæ Cardinales cooptatus, Episcopusq; Prænestinus creatus, susceptam dignitatem miris Virtutum ornamentis amplificavit. Monasticam enim humilitatem sic ea in sublimitate retinuit, ut Episcopalem nihilominus gravitatem conservaret; sic abundans, ut verè se pauperem spiritu & corpore exhiberet. Bona sua in pauperes distribuens, terrena contemnens, cælestia toto affectu appetens, perenniq; studio Dei obsequio, & Ecclesiæ commodis invigilans, quibus muneribus ad extremum usque perfunctus, felicem laborum finem adeptus est: dignusq; ob præcelsa merita inventus, qui in cælo & Beatorum gloriâ, & in terris Sanctorum ab Ecclesia sacris tabulis inscriptorum cultu perpetuo potiretur.* Hactenùs Martyrologium Gallicanum. Plura sacra Opuscula edidisse Stephanus à suis perhibetur, quæ inter vetera Ordinis MM.SS. Cistercii asservantur.

Elogium Ejus apud Andream Saussay.

Ejus Scripta.

Ejus Vitam posteris reliquit Chrysostomus Henriquez in Fasciculo Sanctorum Ordinis Cisterciensis. Ejus etiam meminit Arnoldus Wion in Ligno Vitæ. Gaspar Jongellinus in Purpurâ D. Bernardi. Ughellius in Italiâ Sacrâ. Ciaconius in Vita. Panvinius. & Alii.

ANNO 1130.

SEDENTE INNOCENTIO II. PONT. MAX.

De

RAYNALDO COLIMENTANO

S.R.E. CARDINALE.

XXXIV.

RAYNALDUS Colimentanus, ut egregia Majorum suorum, Marsorum scilicet Comitum (qui ab Oppido Colimento Familiæ proprio *Colimentani* nuncupati sunt) facinora suis & ipse ornamentis, ac dotibus cumularet: Cassinense Institutum à puerô sub Odorisii Secundi, Abbatis Cassinensis Disciplinâ professus est. Is innocentia Vitæ, ac morum gravitate, divinis humanisque litteris probè instructus, eo apud plerosque in precio erat, ut defunctô Seniorettô Abbate, saniorum suffragio subleсtus sit Abbas Cassinensis, ab ipso Innocentio II. Pontifice Maximô confirmatus, & consecratus. Rem narrat Ciaconius in hæc ferè verba: Mortuô Seniorettô, Quadragesimô quartô Abbate Cassinensi Monachi in sectas divisi, duos sibi Pastores, Raynaldum pars potior Colimentanum; pars inferior Raynaldum Tuscum elegêre: utrisque tamen paulò pòst pulsis, Guidobaldus à Lothario Cæsare

Eligitur Abbas Cassinensis, & consecratur ab Innocentio II.

per vim in diffidentium locum intrufus, Abbas eft falutatus; qui fublatô deinde è vivis Lothariô, fibi rebusque fuis metuens & confulens, fponte dignitate ufurpatâ ceffit; Monachos hortatus, ut pofitis diffenfionibus, optimum fibi, quem vellent, Paftorem deligerent. Ciaconii dictis confentire videtur, quod Anonymus Caffinenfis Author in Chronico fcribit his verbis: *Obiit Senioretus Abbas, Raynaldus Tufcus fit Abbas. Raynaldus hujus loci electus deponitur; Guidobaldus ordinatur, qui poft* XLIV. *dies recedit. Raynaldus Colimentanus fit Abbas.*

Mox Cardinalis titulô SS. Petri & Marcellini creatur.

Idibus igitur Novembris Anno à partu Virginis 1138. comitiis habitis, Raynaldus Colimentanus omnium calculô Abbas electus, & paulò pôft Presbyter Cardinalis SS. Petri & Marcellini ab Innocentiô II. renunciatus eft. Præfecturam Caffinenfem geffit undetriginta annorum fpatiô, longam æquè, ac multis implicitam difficultatibus, fed tantâ animi virtute, atque conftantiâ, ut rerum adverfarum multitudine circumventus, nec animum defponderit, nec fuperari potuerit. Reges, ac Proceres Regnorum, qui factâ confpiratione adversùs eum conjuraverant, non modò fuftinuit intrepidè; fed incredibili etiam æquanimitate ac patientiâ, mitigatis eorum animis, fibimet conciliavit, ac devinxit, unô Rogeriô Siciliæ Rege exceptô. Is enim inveteratô odiô Raynaldi electionem moleftiffimè ferens, Cœnobio Caffinenfi, ejusque locis omnibus, injectô terrore, graviffimas clades, atque adeò exitium ultimum minitari non defiftebat: &, ut reipsâ verborum exfpectationem expleret, quidquid auri, argentique in thefauro habebant Caffinates, diripuit; quin & auream tabulam eximii operis ac pretii, quæ Divi Benedicti Aræ diebus feftivis ad fplendorem prætendebatur, facrilegâ manu per vim, ac fcelus afportavit. Oppida eorum quamplurima Sancti Angeli, S. Victoris, S. Petri in fine, Camini, Cardeti. Vandræ, & Pedemontis, fubjectô igne fœdè deformavit: aliis præterea multis detrimentis, ac calamitatibus, quoad vixit, eidem Sacro Cœnobio illatis.

Varias à Variis calamitates fuftinet

Rogerium Siciliæ Regem infenfum, & hoftem habet.

Similiter & Guillelmum Rogerii Succefforem, qui tamen poftea refipuit.

Rogerio Tyranno è vivis furreptô, nihilô mitior in Abbatem, & Monachos fucceffit Guillelmus itidem Siciliæ Rex, qui furenti fimilis, Monachos omnes, duodecim dumtaxat exceptis, Caffinô exegit, eorumque Caftra univerfa, armis expugnata, ac murorum ambitu denudata, fuam in ditionem redegit. Verùm non multò pôft admiffis tot fceleribus perterritus, menteque mutatus Abbatem, innocentiffimum Virum, in gratiam recepit, ac unà cum eo exules Monachos in priftinam Bonorum poffeffionem revocavit.

Reges alios Benefactores nancifcitur.

Ludovicus Galliarum, Gunnarius Turritanorum, Guillelmus Siciliæ, Reges, diverfis temporibus Caffinum Religionis ergò profecti, liberalitate munerum, & largâ privilegiorum conceffione, Raynaldi Abbatis magiftratum regiè nobilitârunt; ipfe tamen multò nobiliorem, excitatô in Comitatu Pennenfi Oppidô, (cui nomen S. Martini in Salinis inditum eft) reddidit. Inter res adverfas, ut erat doctiffimus, facrarum ftudium litterarum nunquam intermifit, editis præclariffimis elucubrationibus, quæ magni à Suis etiamnùm æftimantur; Inter has eminent, Vita S. Severi Epifcopi

Scripta Ejus.

ſcopi accuratè ſcripta; Carmen elegans de SS. Benedicto & Mauro; Hymni item nonnulli de Sanctis Severo, Placido, & Mauro, aliaque id genus minuta opuſcula, quæ docti deperdita dolent. Huic Petrus Diaconus Librum quartum Hiſtoriæ Caſſinenſis nuncupavit.

Tandem ſublevatâ, & ab injuriis vindicatâ Cœnobii Diſciplinâ, retentô ſemper eôdem ſanctitatis & conſtantiæ tenore, nullis unquam laboribus, nullis vitæ incommodis pro tuendâ Monaſterii re, ac libertate ſuccumbens, Adverſariorum terrore, minis, telis, ac impugnatione ubique ſuperior, ætate ac meritis gravis fato conceſſit Caſſini, Idibus Julii, Anno noſtræ Salutis 1165. ibidem nobili tumulo ante Capitulum terræ mandatus. *Obitus Ejus Sanctus.*

Ejus mentionem faciunt Chronicon Caſſinenſe. Aubery in Vitâ. Marcus Antonius Scipio in Elogiis Abbatum Caſſinenſium. Panvinius. Nomenclator Cardinalium. Ciaconius. Ughellius. Oldoinus. & Alii.

ANNO 1130.

SEDENTE INNOCENTIO II. PONTIF. MAX.

De

HUGONE DE FOLIETTO

S.R.E. CARDINALE.

HUGONEM de Folietto, qui ſuos in Gallia, at incerto loco, ſortitus eſt natales, Canonicum Regularem Monaſterii S. Petri Corbienſis in Saxoniâ faciunt Ciaconius, Panvinius, aliique horum veſtigia ſecuti. Arnoldus verò Uvion, & Aubery cum aliis non ſpernendæ notæ Scriptoribus, majori fundamento contendunt fuiſſe Monachum in Cœnobio Corbienſi SS. Petri & Pauli in Picardia; & ab Innocentio II. Pontifice Maximo Diaconum Cardinalem creatum. Quidquid ſit, conſtat ſanè illum monaſticæ diſciplinæ tenaciſſimum juxta ac divinarum litterarum peritiſſimum extitiſſe; prout ex iis, quæ ad poſteros eruditè tranſmiſit, nullô negotiô conjici poteſt. Scripſit enim de quadruplici Clauſtro totidem Libros nominatim, XXXV. *Diverſa de eo Auctorum opiniones.* *Scripta ejus referuntur.*

De Clauſtro materiali.
De Clauſtro ſpirituali.
De Clauſtro Animæ.
De Clauſtro Paradyſi.

Et quamvis hi libri tum in editione Veneta, tum in Pariſienſi Hugoni de S. Victore adſcribantur, ejusque nomine circumferantur, à doctis tamen omnibus Hugoni noſtro, tanquam germano Auctori adjudicantur. Ita ſentit Trithemius cum S. Antonino, & Bellarminus cum utroque. Nec dubium eſt, cum ſtylum ſapiant à Priori Hugone longè diverſum. Edidit etiam:

Libellum de Patriarchis.
De Diſciplina ad Religioſos.
De Abuſibus Clauſtri.

Ob dissolutã Monachorũ vitam scribit Libellum de Abusibus. Ad scribendum postremum hunc Libellum adactus est Hugo quorundam Monachorum dissolutione, qui Regulam, quam professi fuerant, claustralem nihil pensi habentes, pro suo lubitu discinctam prorsùs vitam agebant. Hos in ordinem redigere studens Hugo, dictum de *Abusibus Claustri* libellum aculeato sermone divulgavit. Erat enim ut Virtutis amator eximius, sic & solitudinis beatæ assertor acerrimus. Placet hîc quædam ejus verba describere, quæ Lectori fortassè non displicebunt: *Duodecim sunt Abusus Claustri*, inquit librô citatô: *quibus tota Religionis summa corrumpitur, scilicet: Prælatus negligens, Discipulus inobediens, Juvenis otiosus, Senex obstinatus, Monachus Curialis, Religiosus Causidicus, habitus pretiosus, cibus exquisitus, rumor in Claustro, lis in Capitulo, dissolutio in Choro, irreverentia in Altari.*

Hugonis hujus præclarissimi licet & probatissimi Viri nulla alia apud Auctores mentio extat. Solus Petrus Apollonius obscuros hos duos versus de illo cecinisse reperitur:

Ecce secundus Hugo redimitus tempora fulvô,
Tempore dum vixit, nunc diadema ferens.

Obitus ejus incertus. De Ejus obitu certi nihil habetur. Creditur tamen sub extremis Lucii II. temporibus Anno reparatæ Salutis 1145. Lucis usuram amisisse.

Mentionem ejus obiter faciunt Joannes Novariensis. Nomenclator Cardinalium. Chronicon Canonicorum Regularium. Gabriel Pennottus in Historia Canonicorum. Frizonius in Gallia purp. Ciaconius. Aubery. Morerius.

ANNO 1130.

SEDENTE INNOCENTIO II. PONTIF. MAXIMO.

De

YMARO GALLO.

S.R.E. CARDINALE.

XXXVI. *Parisiis Divi Benedicti Institutum amplectitur.* YMARUS Gallus Parisiensis, à teneris annis in percelebri Monasteriô S. Martini de Campis propè Parisios Ordinis Divi Benedicti educatus & institutus, cùm mirô Ordinis desideriô tangeretur, Monachorum numero adscriptus est. Transactô ibidem tyrociniô, de Superiorum voluntate Cluniacum missus, emissis votis solemnibus, ob merita, doctrinam, & Virtutes, quibus cæteris haud vulgariter præluxit, primò Ordinis Custos, mox Abbas Monasterii Novi Pictaviensis, demùm Episcopus Cardinalis Tusculanus ab Innocentio hujusnominis Secundo eligitur, & in Patriarchio Lateranensi ab eodem Pontifice, honoris ergò, consecratur. *Cardinalis Tusculanus ab Innocentio II. consecratur.*

Postmodùm Anno Salutis 1144. Lucii II. jussu Legatione in Anglia functus, munus hoc adeò sanctè, ac integrè administravit, ut in proferendo judicio nullis unquam muneribus, aut oblatis pecuniis corrumpi potuerit: Quin imò à nonnullis Angliæ Proceri-

bus

bus ad committendam in Judicio corruptelam sollicitatus, viriliter respondit: *Legatum Apostolicum, & maximè Judicem puras à muneribus manus habere debere; quas quotidiè pro populi salute placandô Deô in cœlum efferret.* *Dignum Apostolico Legato responsum profert.*

Nihilominus quorundam malevolorum suasu seductus, in Schismate Octaviani, qui sub Victoris IV. nomine contra legitimum Pastorem Innocentium II. sedit, partes Antipapæ secutus, eidem Ticini, Sacrilegam Tiaram, & manus imposuit. Ea propter ab Alexandro III. (factam Ecclesiæ, & Prædecessoribus injuriam vindicante) dignitatibus omnibus spoliatus, & diro anathemate percussus est. Verùm non multò post, stimulante maximè conscientiâ, ad cor rediens, contractam maculam non modò lacrymis, sed novis etiam meritis cumulatissimè eluit. Siquidem in Gallias transiens à Præposito Placentino, qui partibus Alexandri III. intimè adhærebat, malè exceptus, dureque increpitus, agnitô errore, damnatôque, Alexandrum legitimum Pontificem deinceps venerari; & ab eo fideli mente stare cœpit: à quo brevi interjectô tempore in gratiam receptus, solutô anathemate, pristinis dignitatibus, quibus ob Schisma exciderat, restitutus est. *Seductus ad Victorem IV. Pseudopontificem deficit. Ea propter dignitatibus spoliatus resipiscit.*

Cluniacum exinde se recipiens, mœrore animi, vel potiùs pœnitentiâ commissi erroris ductus, inter assiduos gemitus, & suspiria contabuit Anno Domini 1164. constituto priùs ex asse hærede Cœnobio suo, in quo & sepultus jacet. Ejus mortem pluribus recenset Joannes Saresberiensis, Episcopus Carnotensis in Epistola ad Præsulem Oxoniensem. *Obitus ejus & Scripta.*

Cùm autem esset Vir ævo suo doctissimus, & in divinis Scripturis valdè versatus aliquot in sacras litteras edidit Commentaria, quæ extare Cluniaci dicuntur, & laudantur.

Ejus meminit S. Bernardus in Epistolâ, cui titulus est, ad quatuor Episcopos Curiæ Romanæ. *Aubery in Vitâ. Frizonius in Galliâ purp. Baronius Tomo 12. Annal. Chronicon Cluniacense. Nomenclator Cardinalium. Panvinius. Ughellius in Italiâ Sacrâ. Aliique.*

ANNO 1130.
SEDENTE INNOCENTIO II. PONTIF. MAXIMO.
De

CONRADO BAVARO.
S.R.E. CARDINALE.

XXXVII

Nonnulli ex probatis Auctoribus inter Cardinales ab Innocentio II. Sexta Creatione renunciatos connumerant Conradum, ex illustri Bavariæ Ducum prosapiâ genitum; Principem non minùs innocentiâ vitæ; quàm doctrinâ, & pietate clarissimum, Henrici III. cognomento Nigri, Bavariæ ac Spoleti Ducis, ex Walfidâ Saxonicâ filium. Qui cùm adhuc Juvenis in Aulâ Friderici I. Archiepiscopi Coloniensis, consanguinei sui educaretur, dissolutam Aulicorum vitam exosus, quæ, ut ipse dice- *Aulicam vitam exosus, Claravallis Monachum profitetur.*

dicebat, *abactis Virtutibus sola vitiorum monstra nutriret*, eâ relictâ, decimo octavo (ut ajunt) ætatis Anno Cœnobium Claræ vallense petiit: ubi ab ipso Sanctissimo Patre, & Abbate Bernardo, præclarissimi Juvenis spiritum approbante, susceptus; sacroque Cisterciensium habitu indutus, eo Rectore & Duce tales brevi, ac tantos in illa Virtutis & Literarum Palæstra fecit progressus, ut nemini non summæ admirationi, exemplo, & incitamento esset. Quare ne tanta Lux, Orbi debita, sub ignobili Clausuræ modio diutiùs lateret, sed suprà candelabrum posita, ad omnes, qui in Domo Dei sunt, Virtutis suæ radios diffunderet, ab Innocentio II. circà Salutis Annum 1142. inter Purpuratos Ecclesiæ Senatores collocata est. Decursô postmodùm ab adepta Purpura quinquenniô Ipse cùm Conrado III. Imperatore, consanguineo suo in Terram Sanctam profectus, Expeditioni Sacræ utili suâ operâ, cum maximo fidelium emolumento, annis propè duobus interfuit. Exinde Romam, negotiorum Ecclesiæ causâ, à Pontifice Maximo revocatus, dum obsequi parat, in medio itinere Barii in Apulia, subito morbo correptus, prostratusque, post sumptum immortalitatis pharmacum, sanctissimè, placidissimeque exspiravit Anno Redempti Orbis 1149. Ibidemque in Ecclesia principe, sub Ara maxima, cum hoc brevi elogio terræ mandatus est.

Cardinalis ab Innocentio II. creatur.

Proficiscitur in Syriam cum Conrado Imper.

Obitus Ejus & Epitaphiũ.

D. O. M.
CONRADI PRINCIPIS GERMANI,
S. R. E. QUONDAM CARDINALIS,
OMNIGENA VIRTUTE PRÆDITI,
SACRI HIC CINERES QUIESCUNT.

Miror ego tanti Principis, qui & litteris, & vitæ sanctitate apprimè floruit, nullam fermè solidam apud Authores memoriam extare. Quem etiam, quod pejus est, Quidam minùs periti Historici cum duobus aliis Conradis, origine pariter & sanguine Bavaris, confundunt: nimirùm cum Conrado Archiepiscopo Moguntino; & Conrado Villariensi Abbate, qui & ipsi (distinctis tamen temporibus) creati sunt Cardinales; Episcopus Sabinensis alter; alter Prænestinus; cum reverà diversissimi ambo fuerint ab hoc nostro Conrado, uti dicturi sumus infrà numeris 39. & 68.

Malè ab Imperitis cum aliis ejusdem nominis & dignitatis confunditur.

Scripsisse fertur Conradus noster pia quædam Opuscula, ad asceticam Vitam multùm conducentia, nimirùm:

Scripta Ejus.

Meditationes in Vitam Christi.
De Amore beatæ Solitudinis.
De Contemptu Mundi.
Hymnos aliquot de diversis Sanctis.
Sermones nonnullos.

Ejus brevem mentionem faciunt Abbas Urspergensis in Chronicô. Raderus in Bavariâ Sanctâ. Gaspar Jongellinus in Purp. D. Bernardi. Ughellius in Ital. Sacrâ. Oldoinus in addit. ad Ciacon.

ANNO

ANNO 1144.

SEDENTE LUCIO II. PONT. MAXIMO.

De

SANCTO GUARINO.
S. R. E. CARDINALE.

S. GUARINUM ex nobili Fuſcariorum familiâ ortum, Ciaconius; ex gente verò Guarinianâ Bononiæ progenitum atteſtatur Ughellius, non diſſentiente Oldoino in additionibus ad Ciaconium. Guarinus bonam ſortitus animam, Parentum ſtudiô, à teneris annis pietate, litteris, ac optimis moribus enutritus, jejuniis, vigiliis, divinæque contemplationi ſemper intentus pueritiam duxit paternis in ædibus prorſus innocentem, & ab omni vel puerili labe immunem. Mox ut annos pubertatis attigit, invitis licèt Parentibus & Conſanguineis, qui opulentis eum nuptiis jam jam deſtinaverant, Bononiæ in Æde primaria ab Epiſcopo circà verticem tonſus, & Clericali veſte indutus, divino ſe famulatui, ingenti cum gaudio, devovit. Verùm ingenuæ indolis, ac probatæ virtutis Adoleſcens cùm Socios colluſores Inſtituti ejuſdem, mollibus veſtitos, non quæ Jeſu Chriſti, ſed quæ propria & mundi ſunt, quærentes, & ſequentes cerneret; ut divinis ſe ſe arctiùs obſequiis manciparet, iis relictis, per aſſiduas preces, & ardentes ad Deum gemitus, ad ſolitaria loca (remotis arbitris) confugiebat, & tempus, quod ſupererat, non otio, aut rebus ludicris, ſed ſacris percurrendis libris, divinis meditationibus, piiſque conſcribendis libellis indefeſſô ſtudiô terebat.

XXXVIII.

Innocentis vitæ Ejus Primordia, & Virtutes enarrantur.

His igitur Sanctiſſimis inſtructus artibus ad Cœnobium S. Mariæ Rhenanæ, vel (ut aliis placet) S. Crucis de Mortaria Congregationis S. Fridani Lucenſis ſe contulit; ubi (duce Deo) Inſtitutum S. Auguſtini amplexus, Canonicam vitam præſtanti laude, eximiaque Sanctitate tamdiu exercuit, donec à Lucio II. Romano Pontifice, Virtutum ejus famâ permotô, reluctans licèt, Epiſcopus Cardinalis Prænestinus electus, & conſecratus eſt.

Canonicum Divi Auguſtini Inſtitutum amplectitur.

Ut autem Purpuræ dignitatem, ad morem aliorum Cardinalium, ſplendidiùs, atque conſueverat, tueretur; ferunt Lucium Pontificem prædivite illum ſuppellectili, tanto ſtatui commenſuratâ, donâſſe: quam tamen ipſe (ut erat paupertatis, & humilitatis amantiſſimus) clanculùm divenditam, munificentiſſimè ſpartit in pauperes, aſſerens: *Chriſti Servos, & ſi in honoribus conſtituti ſint, nudum ſequi Chriſtum nudos debere.*

Pontificia dona in Pauperes erogat.

In Patria Hoſpitale egregium ſub nomine Sancti Job, ad ſublevandam Indigentium quorumcunque inopiam ſuis ſumptibus erexit. Et ut tumultus ſeditioneſque, quæ tum maximè in Italia ob ardentia paſſim bella, & Schiſmata vigebant, effugeret; Præneſtem ad Eccleſiam ſuam ſeceſſit; ibique mortem cùm quotidiè meditaretur,

Hoſpitale erigit in ſubſidium Pauperum.

retur, atque concreditum sibi gregem diu divini Verbi pabulô, & exemplô pasceret; plenus meritis, centesimum decimum agens
Obitus Ejus. annum, evolavit ad Superos VIII. Idus Februarij Anno Salutis incarnatæ 1159. sepultus in Prænestinâ Cathedrali Ecclesiâ propè Tumulum S. Agapiti Martyris. Signis denique quamplurimis clarus, relatus est in numerum Sanctorum.

Celebratur maximè ab Augustinô Ticinensi apud Surium Tomò 7. Augustinus Ticinensis Canonicus Regularis mortem Ejus Sanctissimam, apud Laurentium Surium Tomo Septimo, enarrat in hæc verba: *Guarinus jam jam senectute gravatus, cupiens dissolvi, & esse cum Christo, depositionem quoque sui tabernaculi prævidens, universum ad se Clerum convocavit: quamquàm autem semper ei fuerit temporalis vita fastidio, tunc tamen ardentiori mentis incessu ad Christi pulchritudinem contemplandam rapiebatur. Tandem post Salubria monita cuilibet Clericorum data, voluit eum Deus iter universæ carnis ingredi communi mortalium lege: Sequenti namque nocte totus aër immensô refulsit lumine, tanta postremò emicuit claritas, ut sereno aëre jubar solis appareret: appropinquante verò Solis aurorâ, Sanctus Guarinus cùm claritate, carnis vinculis expeditus, ad vitam, quæ fine claudi non potest, cum gaudio migravit sexto Februarii die.* Hæc ille, & alia longè plura apud citatum Surium.

Meminit Ejusdem Martyrologium Romanum his Verbis: *Bononiæ S. Guarini Episcopi & Cardinalis Prænestini, Vita Sanctitate conspicui.* Doctrinâ præditum fuisse Guarinum constat ex suprà laudato Auctore Augustino Ticinensi, sic enim de illo proloquitur: *Guarinus ex sua prosapia stirpe septimus Episcopus, doctrinâ & religione clarus, signorumq; patrator eximius Catholicam Ecclesiam magnoperè illustravit.*
Scripta Ejus. Scripsisse eruditos, & utiles Sermones, quos durante longissimâ vitâ ad populum habuit, perhibetur: qui an excusi prodierint, me latet.

Canonici Regulares S. Salvatoris, Ordinis S. Augustini peculiari Officiô à Sede Apostolica approbatô Ejus memoriam quotannis celebrant. Eundem Petrus Apollonius his versibus collaudat.

Terrenas contempsit opes, fastumq; Guarinus,
Clarior ut cælo, divitiorq; foret.

Ejus meminère Laurentius Surius Tom. 7. Anton. Sanderus in Elogiis. Augustinus Ticinensis in Vitâ. Joseph Maria Suaresius de Episc. Prænest. Ughellius tomo I. Ital. Sac. Ciaconius, & Alii.

ANNO 1145.
SEDENTE EUGENIO III. PONTIF. MAXIMO.

De

BERNARDO LUCENSI.
S. R. E. CARDINALE.

XXXIX. BERNARDUS Lucensis, Vir ævo suo doctissimus, ex Canonico Regulari Congregationis S. Fridani Lucensis, & Priore Monasterii Lateranensis Presbyter Cardinalis titulo S. Clementis primò; deinde Archipresbyter Basilicæ Vati-

canæ

canæ ab Eugenio III. Romano Pontifice renunciatus est. Hunc aliqui diversum faciunt à Bernardo Cardinali Episcopo Portuensi, ab Hadriano IV. creato, cùm tamen procul dubio unus idemque fuerit, quemadmodùm præter Ciaconium, Pennottum, Oldoinum, Onuphrius Panvinius Libro II. de Ecclesia Lateranensi c. 3. clarè demonstrat, & convincit.

Ab Eugenio III Cardinalis S. Clementis renunciatur.

Affuit Bernardus hic Articulis Concordiæ inter Eugenium III. & Fridericum I. Romanorum Regem initis. Porrectô supplici libellô, Diploma pro Canonicis Basilicæ Vaticanæ super fruitione quartæ partis oblationum, quas fideles Deo optimo Maximo super Altare D. Petri Apostoli offerre consueverant, ab Eugenio impetravit. Multas ab eodem Pontifice, & Successoribus Legationes, ob egregiam SS. Canonum peritiam, rerumque agendarum praxim, obtinuit; primam ad Fridericum Cæsarem, recèns creatum cum Gregorio Diacono Cardinali. Quorum Auctoritate Wormatiæ in Festo Pentecostes Anno Domini 1152. Henricus Moguntinus Archiepiscopus, tanquam inutilis, & somnolentus Pastor, Archiepiscopali dignitate spoliatus; & in ejus vicem Arnoldus de Seleshofen Imperatoris Cancellarius suffectus est. Juréne, an injuriâ memoratus Henricus depositus sit? diversorum, pro diverso affectu, diversa est assertio. Excusandam esse Henrici simplicitatem ingessit S. Bernardus. Chunradus Episcopus in Chronico Moguntinensi itidem ipsum innocuum, & innocentem deprædicat. Otho tamen Episcopus Frisingensis hoc ipso tempore florens, noxium eum asserit; dum de hac Legatione verba faciens, ejus, & Legatorum sic meminit: *At Rex Fridericus in proximo Paschate Bamberga coronam gestans duos Cardinales, videlicet Bernardum Presbyterum, & Gregorium Diaconum, ad depositionem quorundam Episcoporum ab Apostolica Sede destinatos secum habuit. Proximam deinde Pentecosten Wormatia ferians, Henricum Moguntina Sedis Archiepiscopum, Virum pro distractione Ecclesia frequenter correptum, nec correctum per eosdem Cardinales deposuit, ac Arnoldum Cancellarium suum, per quorundam ex Clero & populo, qui illuc venerant, electionem ei subrogavit.* Hæc ille:

Legatus mittitur in Germaniam ad Fridericum I. Imp.

Henricum Archiepiscopum Moguntinum deponit. Justène, an injustè? variant Auctores.

Chunradus autem Episcopus, qui post centum annos Chronicon Moguntinense conscripsit, culpam omnem in Arnoldum, tanquam Henrici proditorem; atque in Legatos Bernardum & Gregorium, pecuniâ, ut ipse asserit, corruptos, rejicit: sic enim scribit: *Præsidente tunc Ecclesia Moguntinæ Henrico Archiepiscopo, Viro pacifico ac benigno, qui quia Veritatis ac pacis amator erat, lites & incommoda non excitavit. Nam quia semper ei cordi erat, ut Clerus honore debito gauderet; Populus justitiâ regeretur; terra pace publicâ exultaret: ecce accusatur apud Papam, quòd somnolentus, & inutilis esset. Quod Vir venerabilis cognoscens solemnes Nuncios pro sua excusatione ad summum Pontificem decrevit protinus destinare. Misit ergo omnium suorum Secretorum cognitorem Arnoldum Clericum (quem ipse paulò antè ad Præposituram majorem evexerat) tanquam eum, qui non posset immemor esse beneficii tam recenter obtenti. Erat autem Arnoldus miri ingenii & facundia, atque congestor pecuniæ infinita. Is itaque veniens ad Curiam Romanam, Pontificatumq; ambiens Moguntinensem primùm sibi Cardinales pecuniâ favorabiles acquisivit; deinde*

Culpatur à Chunradô Episcopô Chronici Moguntinensis Auctore.

duos specialiter pecuniâ corrumpens, qualiter de sua propria promotione ageret, & postmodùm consummaret, cum illis familiariter pertractabat. Tandem ab illis instructus, deq; sua persona certificatus, cœpit in suum Dominum accusationis jacula dirigere, quem venerat excusare. Breviter, tantùm in sua processit audacia, & effecit, ut duos Legatos destinari peteret, hujus rei cognitores & Judices, obtinuitq; eosdem ipsos duos à circumvento, & fraudis ignaro Pontifice, quos corruperat. Veniunt ergo Legati Wormatiam: Henricus Archiepiscopus citatus comparet, nihil prætendere poterat pro se, quod admitterent Legati Judices. Igitur Henricum, laudabilem Virum ab Episcopatu amovent, Arnoldum substituunt. Dicebatur autem quòd Fridericus Imperator huic negotio assensum præbuerit, sed occultum. Venerabilis Vir Henricus tam manifesta perversitate turbatus, ipsos perversos Judices alloquitur in hunc modum: Si ad Sedem Apostolicam appellarem contra vestrum iniquum processum, Papa forsan ipse nihil ampliùs attentaret; & nihil mihi accresceret nisi labor corporis, amissio rerum, afflictio spiritûs & evisceratio mentis, & evacuatio gratiæ. Appello ergo ad Dominum JEsum Christum, tanquam ad judicem justissimum, vos ad ejus Tribunal citando. Ibi vobis coram summo Judice me responsurum promitto: non enim justè, nec secundùm Deum; sed mercede corrupti, sicut placuit, judicâstis. At illi citationem factam, quasi ludibrium, risu excipientes, cùm Tu præcesseris, inquiunt, nos sequemur.

De Judicio verò divino adversùs Cardinales Legatos Bernardum & Gregorium exhibito, hæc inferiùs idem Chunradus scribit: *Rem refero, fratres, omnibus illius sæculi notissimam, mors Venerabilis Henrici omnibus Annò 1154. innotuit; pervenit etiam ad aures illorum Cardinalium, qui ab Episcopatu eum amoventes, se promiserant secuturos: & ludentes ad invicem dixerunt, Ecce præcessit, suo tempore nos sequemur. Et ecce transiit tempus breve, & ambo una die moriuntur.*

Chunradi mentientis impostura detegitur, & refellitur.

At Chunradum apertissimi mendacii & imposturæ arguit Baronius. Constat enim ex certissimis monumentis dictos duos Cardinales Legatos protractissimô tempore supervixisse Henrico. Et quidem Bernardum Presbyterum Cardinalem S. Clementis quod attinet, non solùm is, post breve tempus à Chunrado præscriptum, diutissimè vixisse reperitur; sed & aliis Legationibus (ut mox dicemus) in Germaniâ perfunctus, ex quatuor Literis Imperatoris ad Eum, & Ejus vicissim ad Imperatorem datis, convincitur. Idipsum pariter confirmat Radevicus, ejusdem temporis Scriptor non ignobilis, qui Appendicem ad Othonem Frisingensem apposuit. Suspicionem quoque falsitatis haud mediocrem affert: quòd res tanta prætermissa noscatur ab omnibus illius ævi Scriptoribus, narretur verò post sæculum integrum ab Auctore parùm fido, & recentiori. Nec est, quòd alius ab isto Bernardus Presbyter Cardinalis titulo S. Clementis inveniatur in Actis Romanorum Pontificum, qui his temporibus floruerunt, in quibus omnium Nomina recensentur, nisi unus Bernardus, de quo hìc agimus.

Sed ex ipso Henrici obitûs Anno, qui fuit Christi 1154. commentum Chunradi luculenter deprehenditur, exploratum liquidem est tum ex Menologio Cassinensi, tum ex aliis monumentis veteribus, atque Scriptoribus, Bernardum non Anno 1154. ut Chunradus comminiscitur, diem suum obiisse; sed ab eo Anno viginti duobus

bus supervixisse, atque adeò vitam suam usque ad Annum Salutis 1176. protraxisse. Sufflandum igitur hoc mendacium est, & enarratio Chunradi de provocatione ad Tribunal divinum ingesta, inter aniles fabulas releganda: jam ad rem.

Secundâ Legatione Bernardus sub Hadriano IV. Pontifice ad eundem Fridericum Cæsarem Bisuntii tunc agentem, cum Rolando Cancellario functus est Anno 1156. in cujus Legationis Actibus hi duo Legati divitiis, maturitate, doctrinâ, & gravitate insignes, majori super alios Cardinales Auctoritate prædití fuisse memorantur. Qui cùm Imperatorem acrioribus, quàm par erat, verbis, & Scriptis offendissent, ignominiosè tractati, non sine vitæ periculô, re infectâ Romam redire sunt jussi.

Mittitur secundò ad Fridericum Cæsarem, & ab eo indignè habetur.

Bernardus paulò post reditum suum è Germania, ab Hadriano IV. ex Presbytero Cardinali S. Clementis, Episcopus Portuensis renunciatus est.

Ab Hadriano IV. Episcopus Portuensis creatur.

Anno 1159. partes Alexandri III. legitimi Pontificis contra Schismaticum Octavianum secutus, cum aliis Cardinalibus ad Fridericum Imperatorem pro eodem Alexandro doctissimè scripsit: & eundem Alexandrum in Gallias profugum comitatus, ab eo unus ex iis Cardinalibus designatus est, qui causam suam in Conventu Divionensi contra Fridericum, & Antipapam pertractarent. Cùm autem de pace inter Romanum Pontificem, & Cæsarem stabiliendâ iterum ageretur, cum Hubaldo Episcopo Ostiensi, & Guillelmo titulô Eudoxiæ, Cardinalibus, Papiam cum pacis conditionibus ab eodem Alexandro legatus est: sed re infectâ cum sociis rediit ad Urbem. Non longè pòst, Anno scilicet, (ex Ughellio, & Menologio Casinensi) 1176. VIII. Idus Novembris rebus humanis excessit, sepultusque est in Ecclesia Lateranensi.

Ejus Obitus.

Ubi ejus etiamnum marmori incisa memoria habetur, ex qua res ejus gestæ, & obitûs Annus colliguntur. A nonnullis Doctus, dives, sed infelix ob Legationes non ubique prosperas aut voto correspondentes, appellatus.

Ejus mentionem faciunt Otho Frisingensis lib. I. vitæ Friderici I. c. 9. Radevicus c. 8. 9. & 10. Baronius ad annum 1153. Chronicon Moguntinense. Frizon. in Gall. Purp. Aubery in vitâ. Angelus Manriquez in Annal. Cisterc. Onuphrius. Ughellius. Ciacon. Oldoin. & Alii.

ANNO 1159.

SEDENTE ALEXANDRO III. PONTIF. MAX.

De

CHUNRADO BAVARO.

S.R.E. CARDINALE.

CHUNRADUS de Wittelesbach, Germanus, Comes Palati- XL.
nus Rheni, ex Bavariæ Ducibus originem trahens, Friderici I. cognomento Ænobardi, Cæsaris propinquus, alius à Conrado itidem Bavaro, de quo nos suprà numerô 36. egimus. Is ob eminentem literarum scientiam, Virtutis merita, &

Episcopus Cardinalis Sabinensis ab Alexandro III. creatur.

& præcipuè fidelitatem in Sacram Sedem, ex Archiepiscopo Moguntino, & Salisburgensis Cathedræ Administro Episcopus Cardinalis Sabinensis ab Alexandro III. Romano Pontifice in Sacro Consistorio denominatus, & inauguratus est. Fuit hic uterinus frater Othonis, qui Philippum Suevum, Friderici Ænobardi filium, post Henrici VI. obitum, Imperatorem designatum Bambergæ in seditione occidit.

Auctore Friderico Imper. Archiepisc. Moguntinus designatur: sed mox ab eôdem pellitur.

Post Arnoldi de Seleshofen Archiepiscopi Moguntini, qui Henricum Prædecessorem suum dolô de sede deturbaverat, cædem; & Rodulphi à Cleobelauch Rheimigiæ Ducis repentinum obitum, Anno Salutis 1160. Canonicorum suffragiis in ejus locum (Friderico Ænobardo Auctore) in Schismate contra Christianum Comitem à Buche intrusum, & ab eodem Cæsare pulsum, designatus, vix bienniô Ecclesiam illam, ob varios exortos tumultus, pacificè obtinuit. Nam & ipse ab eodem Cæsare sede suâ, quòd in Schismate Romanæ Ecclesiæ (reprobato Victore IV. quem Imperator susceperat) Alexandro III. adhæsisset, ejectus, ad eundem Alexandrum, in Gallia tunc Senonense Concilium agitantem, confugiens, ab eo in præmium fidelitatis Cardinalis titulo St. Marcelli primò; mox retentô prioris Ecclesiæ Moguntinæ titulô, Episcopus Sabinensis pronunciatus est. Ita ut Alexandri III. temporibus hic unus Chunradus trium insignium Episcopatuum honoribus fulgeret, Moguntinô videlicet, Sabinensi, & Salisburgensi, ut in pluribus ab eo firmatis Diplomatibus videre licet. Soranæ etiam Ecclesiæ Administrator ascitus est, ut refert Chronicon S. Mariæ de Ceccano his verbis: *Hoc Anno 1167. Episcopatus Sora concessus est Chunrado, qui fuerat Archiepiscopus Moguntinæ Civitatis.* Primus omnium Cardinalium notatus est, qui plurimis simul præesset Ecclesiis, & quidem amplissimis: novô, nec unquam anteà auditô, vel usitatô exemplô. Post Ipsum verò, ubi collibuisset Romanis Pontificibus, cœpit transire in mores, frustrà iis, qui de Conscientia tractatus edidêre; aut multiplicitatem Beneficiorum damnavêre, obloquentibus.

Plurimorum Episcopatuû honoribus præficitur, more hactenus insitatò

Pulsò Chunradò, Christianus de Buche in sedem Moguntinam intruditur.

Fugatô itaque Chunradô, Cæsar Christianum Comitem de Buche, Thuringum, Imperialis Aulæ Cancellarium, Virum cæterà prudentem & egregium, anteà, (ut diximus,) à se pulsum, Moguntiam revocavit: qui Cæsaris, & Victoris IV. Pseudopontificis partes secutus, cum eo in Italiam venit, ubi propè Tusculum Cæsarianis Dux datus, collatis signis ingenti strage duodecim millia Romanorum cecidit, castra diripuit, ac fugientes reliquos ad Urbis usque mœnia persecutus est. At paulò post Ipse, nôn sine porrecti veneni suspicione, decimo tertio Episcopatûs sui Anno propè Urbem interiit Anno Salutis 1175.

Romanos luculentâ clade afficit, & moritur.

Chunradus Sedem Moguntinam repetit.

Chunradus, sublatô è vivis æmulô, amissam sedem Moguntinam, Cæsari reconciliatus, iterùm recepit; & fœdus Alexandrum inter & Fridericum Venetiis initum sua subscriptione firmavit. Lucium III. Romanum Pontificem Veronam usque comitatus, petitâ licentiâ in Germaniam reversus est, ubi graves cum Clero (quem multis exactionibus premebat) inimicitias habens, capitis discrimen

men exortâ seditione vix evitavit. Rebus verò pacatis, insigne Cœnobium, Divo Benedicto nuncupatum, propriis expensis in Salisburgensi Diœcesi extruxit; & S. Vigilii Carinthiæ Apostoli, ac Ecclesiæ Salisburgensis quondam Episcopi sacrum corpus, diu ignotum, conquisitum, & inventum festiva solemnitate publicæ fidelium venerationi exposuit. Celeberrima sub eo Bibliotheca, Moguntiæ ingenti sumptu constructa, casu exortô incendiô, in cineres abiit cum Ecclesia Majori, quam ipse paulò antè immensis opibus inchoaverat

Clero ob exactiones invisus.

S. Vigilii corpus publicæ Venerationi exponit.

Cœlestini III. jussu præclara Legatione functus est in Syria, ut eloquentiâ suâ, & ope Principes illos, ac Regni Proceres in fide non nihil nutantes, in spem erigeret, atque ad terram Sanctam è Saracenorum manibus vindicandam animaret. Legatione cum fructu expletâ, dum iter in Germaniam adornaret, à Pontifice subsistere jussus, Leonem Armenum, armis Christianorum mirè faventem, in signum gratitudinis regio diademate coronavit. Henrici VI. Imp. morte (quem Uxor adulteriis ejus offensa Anno Salutis 1197. Messanæ venenô sustulerat) trans Mare nunciatâ, abruptis negotiis, in Germaniam, intestinis tum bellis ob Othonis IV. & Philippi Suevi Æmulorum dissensiones, fœdè agitatam properavit. Ibi allapsus, cùm Othonis Imperatoris designati partes (in quem etiam Pontifex inclinabat) sequeretur: ab eodem, cum magno Nobilium Germanorum comitatu, in Hungariam Legatus est missus, ut duos Hungariæ Regis fratres, capitali inter se odiô collisos in gratiam redigeret; & ad ferendum Othoni adversùs Philippum auxilium incenderet. Id quod egregiè, conciliatis Principibus, præstitit.

A Cœlestino III. in Syria mittitur: & Leonem Armenum coronat.

Redux in Germaniam, ad componendos Hungaros destinatur.

Tot præclaris operibus insignis, senioque, confectus, dum medicorum consiliô, qui aëris mutationem valetudinis ergò suadebant, in Bavariam concessisset, ingravescente sensim malo, vita mortali functus est Anno Salutis nostræ 1202. Cineres ejus Moguntiam delati, magnificô in Cathedrali Ecclesia Sarcophagô conditi fuêre.

Valetudinis ergò in Bavariam delatus, ibidem Moritur.

Nonnulla cùm Philosophica, tum Historica conscripsisse perhibetur, quæ tamen in conflagratione Bibliothecæ Moguntinæ periisse putantur. Eidem etiam quidam minùs periti attribuunt *Chronicon Rerum Moguntinarum*: impressum Basileæ Anno Christi 1569. Sed illud alterius esse Chunradi Episcopi, qui centum circiter post Chunradum Cardinalem annis vixerat, extra controversiam est. Consulatur super hoc Ludovicus Morerius in Magno suo Dictionario historico.

Scripta Ejus.

Ejus meminerunt Henricus Canisius Tomo 2. Antiq. Lectionum. Chronicon Moguntinense. Ciaconius in Vitis. Ughellius Tom. I. Ital. Sacr. Nauclerus. Albertus Cranzius. Oldoinus. Morerius. & Alii.

ANNO 1159.

SEDENTE ALEXANDRO III. PONTIF. MAXIMO.

De

S. GALDINO MEDIOLANENSI S.R.E. CARDINALE.

XLI. *Variis dignitatibus ac denique purpurà ornatur*

SAnctus GALDINUS Mediolanensis, ex Nobili Salarum gente oriundus, à pueritia Sacrarum Litterarum studiis deditus, eò denique eruditionis pervenit, ut cum doctissimis quibusque ævô suô doctrinæ laude certaret; virtutibus intereà, non minùs, quàm litteris pollens. Hinc amplissimas gradatim Honorum dignitates assecutus, Canonicus primùm Mediolanensis, mox Archidiaconus ejusdem Ecclesiæ, demùm Alberti Pirovani Mediolanensium Archiepiscopi Cancellarius, & Suffraganeus effectus est. Exinde, longiùs progrediente virtutum ejus famâ, ab Alexandro III. Cardinalis Presbyter titulo S. Sabinæ ad duas domos; mox defuncto Alberto, Mediolanensium Archipræsul, & in Gallia Cis-Alpina Sedis Apostolicæ Legatus renunciatus est.

Mediolanum ab Imperatore Ænobardò dirutum instaurat. *Ordinem Humiliatorum confirmat.* *Alexandriâ Urbem in gratiam Alexandri III. condit.* *Alia ejus egregia gesta referuntur.*

Hic primus omnium, expugnatum dirutumque à Friderico Ænobardo Mediolanum, felicissimis auspiciis instauravit; collectis undique dispersis Civibus, atque in Patriam, delinito Cæsare, reductis. Ordinem Humiliatorum, paulò antè ab aliquibus Nobilibus Mediolanensibus (singulari Dei instinctu ad id inductis) sub Annum 1162. institutum; & à Joanne de Meda sub Divi Benedicti Regulâ propagatum, cognovit, laudavit, & confirmavit. Omnibus Galliæ Cis-Alpinæ Urbibus applaudentibus, apud Roveretum propè Tanaram fluvium Alexandriam, inclytam, amplam, munitamque Urbem in honorem Alexandri III. Pontificis Maximi & Optimi à fundamentis extruxit. Ticinum, quòd Imperatoris Ænobardi partes, neglectò spretoque Romano Pontifice, secutum fuerat, interdictò subegit. Laudensibus gratificaturus, Episcopum petitum concessit. Omnes Italiæ Præsules ab Ænobardo Cæsare contra jus, in Ecclesiæ contemptum electos, inhabiles declaravit, exauctoratosque rejecit. Sancti Bassani Episcopi Laudensis venerandum corpus ex veteri ad novam Urbem, insigni celebritate, transtulit. Papienses cum Episcopo (quòd cum Friderico Ænobardo contra Alexandrum Legitimum Pontificem collusissent, nec moniti à Schismate temperâssent) pecuniâ mulctavit; Episcopum verò, mali auctorem, palliô & cruce privavit. Pro Alexandro III. contrà Schismaticos, eorumque fautores, & asseclas ad sanguinem usque decertans, persecutiones, ærumnas, & exilium potiùs elegit, *quàm habitare in Tabernaculis peccatorum*, ut ait Baronius. Denique pacem inter Imperatorem Fridericum, & Urbem Mediolanensem, sublatis dissensionum caussis, feliciter componens, Clero decorem, Populo tranquillitatem, Deoque honorem asseruit. His, atque aliis præclarè gestis, cùm integrô ferè decenniô Ecclesiam Mediolanensem,

tem, summa laude, administrâsset; senio, labore, assiduoque litterarum studio confectus, dum ex suggestu adversùs Catharorum hæresim ardentissimo motu perorâsset, ruptâ repentè venâ sanctissimam animam, ad Aram quasi victima procumbens, Deo in manus consignavit Anno ab incarnato Verbo 1178. Panvinius, nescio quo ductus fundamento, in Chronologia Ecclesiastica scribit S.Galdinum annos dumtaxat quinque Ecclesiæ Mediolanensi præfuisse. Sed hac in re tabulis publicis, & actis Ecclesiæ Mediolanensis fides potiùs habenda, quàm privato Scriptori.

Concionatorio munere perfungens, Sanctè moritur.

Ejus corpus in Æde S. Theclæ sacrâ conditum primò; exinde processu temporis translatum, in Basilica majori honestiore loco reconditum est. Ipse autem Miraculis, operibus, & Scriptis illustris, ab Alexandro III. (cujus Innocentiam mirificè, quoad vixit, propugnaverat) in Sanctorum numerum relatus, ab universali Ecclesia quotannis decimô quartô Kal. Maji recolitur. Quâ die Martyrologium Romanum de eô hæc habet: *Mediolani S. Galdini Episcopi, qui concione adversùs Hæreticos expleta, spiritum Deo reddidit.*

Ob crebra miracula ab Alexandro III. in Divorum Catalogum refertur.

Ejus mentionem faciunt Acta Mediolanensia. Martyrologium Romanum. Diploma Canonizationis Alexandri III. Baronius in Notis ad Martyr. Rom. Joannes de Deis. Philippus Ferrar. Ciaconius in Vitâ. Oldoinus in addit. ad Ciac.

ANNO 1159.

SEDENTE ALEXANDRO III. PONTIF. MAX.

De

THEODEVINO NURSINO
S.R.E. CARDINALE.

THEODEVINUS, patriâ Nursinus, ex nobili familia *de Attis* procreatus, adhuc Juvenis, Magni Patriarchæ Benedicti Regulam professus est in Cœnobio Mantuano Anno Salutis 1124. Diversus ab eo, cujus suprà numero 29. mentionem ingessimus. Presbyter Cardinalis S. Vitalis titulo Vestinæ primò; mox Episcopus Portuensis ab Alexandro III. Senonis in Gallia tum agente, circà Annum Christi 1164. renunciatus, ob præstantem doctrinam, animi fortitudinem, rerumque agendarum peritiam Legatus à latere unà cum Alberto Presbytero Cardinale S. Laurentii in Luciná, paris animi, & meriti Viro, in Angliam, Scotiam, Hiberniam, finitimasque Insulas missus est, ad res Ecclesiasticas, quæ tum ex cæde Divo Thomæ Cantuariensi Archiepiscopo recèns illatâ; tum ex violatâ ubique locorum immunitate Clericorum, summopere perturbatæ erant, componendas; Præcipuè verò ad Henrici II. Angliæ Regis causam cognoscendam, quem fama tam atrocis necis, si non auctorem, certè complicem divulgaverat. Hos autem Nuncios, priusquàm decretam Legationem inirent, Pontifex Sacramenti religione adstrinxit; ne quid aliud, quàm in mandatis haberent, se inscio aut inconsulto pertractarent, darentque diligen-

XLII.

Cardinalis S. Vitalis, & Episcop. Portuensis ab Alexandro III. renunciatur.

Legatus in Angliam variis de causis destinatur.

ligentem operam, ut ante omnia Henricum in jus vocatum, auditumque pro rerum qualitate, vel innoxium absolverent; vel pœnâ convenienti, si reum judicâssent, afficerent. Néve ultrà præfinitos terminos aliquam in Regno moram traherent, nisi pacis ineundæ, aut concordiæ stabiliendæ causâ.

Angliæ Regi viriliter respondent.

Excepit Nuncios Rex Angliæ dignô Rege apparatu, & honore: utque illos in suam contra Clerum sententiam (nondum perceptâ Legationis causâ) pertraheret, lenibus primùm verbis; deinde minis, cùm lenitate nihil proficeret, usus, tale meruit ab iis responsum audire: *Si tuis, ô Rex, suasionibus non assentimur, noli mirari: Pro Christo enim Legatione fungimur, nihil pensi habentes vitam, quam pro ejus causâ fundere parati sumus. De tali namque Curia huc missi venimus Judices, quæ novit in negotio Salutis & Imperatoribus imperare, & Regibus jura dare. Decretum nobis omninò est, ne latum quidem unguem à Justitia, cujus modò Ministri sumus, deflectere.*

Rex perterritus Judicio Legatorum se submittit.

Henricus tanta dicendi libertate magis perterritus, quàm offensus, cùm animadverteret cum viris sibi negotium esse, & quidem ineluctabile, à minis temperandum ratus, jussit causam Legationis expromere. Qua percepta multùm in exordio tergiversari, contraque moliri; denique, cùm quidquid opponeret, Legatis integrum (nisi ventilatâ priùs judicialiter causâ) non esse cognosceret, saniora secutus, eorum se judicio, ac sententiæ ultrò submisit. Libet rem totam ex ipsa Legatorum scripta Relatione, quæ extat inter Epistolas Alexandri III. in Codice Vaticano, enarrare: quam ex Originali refert Baronius Tomo XII. Annalium his ferè verbis: *Ante*

Relatio totius rei gestæ ex Baronio, affertur.

omnia Dominus Rex, & Legati Sedis Apostolicæ convenerunt apud Gornam die Martis antè Rogationes: ubi invicem recepti sunt in osculo pacis. Insequenti die se contulerunt Saviniacum, ubi Archiepiscopus Rothomagensis, & cuncti Episcopi cum Proceribus Regni convenerant. Cùmque de pace diu tractatum, nec tamen quidquam solidi statutum esset, quoniam Rex ad mandatum eorum jurare absolutè renuit, cum indignatione in hæc verba discessit: Redeo, inquit, in Hiberniam, ubi multa mihi negotia pertractanda supersunt. Vos autem in pace ite per terram meam, ubi vobis placuerit, & agite legationem, sicut vobis injunctum est. Sic ab eis discessit. Tunc Cardinales Legati habitô arctiori consiliô, revocârunt Episcopos Lexoviensem, Pictaviensem, & Saresberiensem, per quos denique laboratum est, ut feriâ sextâ sequenti Rex, & Cardinales apud Abrincas convenirent. Conciliô ibi celebratô, adeò pacificè inter eos conventum est, ut Rex, quidquid ex parte Cardinalium ei propositum esset, benignè susciperet, & conficeret. Sed quia Rex filium suum adesse voluit, ut quod Pater promitteret, ille etiam asseveraret, terminus agenda rei dilatus est usque ad sequentem Dominicam ante Ascensionem Domini.

Tunc in publico conventu Rex manu sua tactis sacrosanctis Evangeliis juravit, se neque mandâsse, neque voluisse, ut Archiepiscopus Cantuariensis interficeretur: & quòd auditâ ejus morte plùs inde doluerit, quàm lætatus fuerit. Addidit insuper ex propria voluntate, se de morte Patris, vel matris suæ nunquam tantùm doluisse. Juravit etiam, quòd quantamcunque satisfactionem, & pœnitentiam ei Cardinales injungerent, ipsam plenariè suscepturus, & executurus sit. Dicebat porrò coram omnibus, se quidem intelligere, quòd causa mortis Archiepiscopi esset, quia quidquid factum sit, sui intuitu factum sit.

sit. Non quòd Ipse mandaverit: Sed quòd amici, & familiares turbationem vultûs sui videntes, & dolorem cordis intrinsecum cognoscentes, suaq; sæpè querula verba de Archiepiscopo audientes, arbitrati sint obsequium se ipsi præstare, si injuriam suam illatâ Archiepiscopo nece ulcisci pararent. Mortem autem absque sua conscientia patratam esse: Hæc Rex. Addidit deinde se, his non obstantibus, cum omni humilitate, & devotione, ad omnia, quæ Legati juberent, paratum & expositum esse velle.

Tunc Nunciatum ei à Legatis primò, ut alat ducentos milites per annum integrum sumptibus suis, unicuique militum dando trecentos aureos. Eosq; sic stipendiatos mittat in Terram Sanctam Hierosolymorum contra Paganos, secundùm dispositionem Templariorum. *Pænitentia Regi reo à Legatis injuncta per articulos enarratur.*

II. Ut prava statuta de Clarendona, contra immunitatem Ecclesiasticam pugnantia (ubi vulgata sunt) & omnes malas consuetudines, diebus suis in Ecclesias Dei inductas penitùs tollat, & revocet. Si qua autem essent mala consuetudines ante tempora sua introducta, illas juxta mandatum Domini Papæ, & Religiosorum Virorum consilium vel temperet, vel tollat.

III. Ut Ecclesiæ Cantuariensi omnem integritatem suam in terris, aliisq; rebus restituat, eo modo, quo præfata Ecclesia gaudebat anno, antequàm Archiepiscopus iram Regis incurreret: & omnes, quibus Archiepiscopi intuitu offensus esset, ad pacem & amorem susciperet, eosq; in plenitudinem possessionum suarum restitueret.

IV. Ut si necesse fuerit, & Dominus Papa mandaverit, proficisatur in Hispaniam ad liberandam Terram illam à Paganis. Injunxerunt etiam, (secretò tamen) jejunia & eleemosynas, & alia quadam pia opera, quæ ad communem audientiam non pervenerunt.

Ad hæc omnia Rex benignissimè assensum præbuit, ita ut coram omnibus dixerit: Ecce Domini Legati, corpus meum in manu vestra est, scitote pro certò, quod quidquid jusseritis, seu proficiscendi Hierosolymas, sive Romam, sive ad Sanctum Jacobum Compostellæ, vel quidquid id sit, paratus sim obtemperare vobis. Hæc autem tanta humilitate & pietatis sensu edixit, ut omnes qui aderant, compunctum & humiliatum Regem videntes, à lacrymis temperare non potuerint.

His expletis, ne quid ad boni consummationem deesset, deduxerunt eum Legati sponte volentem extra Ostium Ecclesiæ: ubi flexis genibus, non tamen exutis vestibus regiis, nec verberibus appositis, absolutus, & in Ecclesiam introductus, fidelium communioni restitutus est. Hactenùs Relatio, cui concordes sunt litteræ Legatorum de hac re ad Archiepiscopum Ravennatem, atque alios datæ. Ad perpetuam verò rei memoriam omnia, quæ hoc in negotio Legati decreverant, Regi ipsi, scriptis consignata, porrecta sunt; & in Concilio apud Abrincas in Anglia celebrato confirmata. Porrò Legati (Ecclesiâ Cantuariensi, quæ nece Divi Thomæ polluta fuerat, expiatâ) Romam ad Alexandrum, Regiis muneribus donati, rediêre.

Theodevinus paulò pòst Venetias profectus, Unus ex septem Cardinalibus fuit ab Alexandro de industria è Collegio selectis ad excipiendam Friderici I. Cæsaris obedientiam, & Schismatis abjurationem, qua ritè edita, consuetis cæremoniis Imperatorem, laxato Anathemate, expiavit, & ad fidelium communionem admisit. Pari Auctoritate Lucii III. Electioni interfuit, Eumque Vero- *Fridericum Cæsarem ab Anathemate absolvit.*

nam ad Concilium profectus, ex imperio Papæ sententiam Patrum pro Expeditione sacra adversùs Sarracenos promulgavit. Ubi inopinato morbo correptus, post Urbani III. Assumptionem, Anno Salutis Dominicæ 1186. è vivis excessit: Sepultus in Ecclesia S. Georgii in Braida prope Portam Civitatis ejusdem. Vir verè magnus, pius, doctus, & constans: cui contigit duo coronata capita, Fridericum Cæsarem, & Henricum Angliæ Regem censuris innodatos exsolvere, & expiare.

Ejus obitus.

Ejus meminêre Sigebertus in Chronicô. Arnoldus Wion in Lignô Vitæ. Aubery in Vitâ. Menologium Cassinense. Baronius Tom. 12. Annal. Ughellius in Ital. sacra. Aliique.

ANNO 1159.

SEDENTE ALEXANDRO III. PONT. MAX.

De

MAGISTRO LABORANTE.
S.R.E. CARDINALE.

XLIII.

Ab Alexandro III. Cardinalium Collegio adscribitur.

MAGISTER Laborans (hoc solo nomine à Scriptoribus proditus, & Orbi cognitus) patriâ Romanus, ob exquisitam scientiarum omnium cognitionem, ab Alexandro III. in numerum Purpuratorum relatus, titulum primò Cardinalis Diaconi S. Mariæ in Porticu; mox Presbyteri S. Mariæ Transtyberim promeruit: coætaneis suis ferè omnibus in eâdem dignitate constitutis, ut annorum numero major, sic doctrinæ varietate superior: multis eapropter, magnisque Legationibus, durante provectissimâ vitâ, nobilitatus, quarum hîc ego unam dumtaxat, alteramvé strictim attingam. Primam gessit in Longobardia Anno à Christo nato supra millesimum, centesimum, septuagesimo octavo; ut gentem illam fœdissimo Schismate seductam, infectamque, ad debitam Ecclesiæ obedientiam reduceret; exindeque resipiscere volentem (sublatô, cui subjacebant, interdictô) ritu solemni, & consueto expiaret. Secundam obiit post fœdus Venetum, inter Pontificem Alexandrum, & Ænobardum Cæsarem initum, ut ejus conditiones, publicâ præconis voce, per omnes & singulas Italiæ Urbes divulgandas curaret. Tertiam sub Urbano III. in iisdem Regionibus, ut collapsos Clericorum mores, concubinatu maximè deformatos, ad avitam honestatis regulam componeret. Quæ omnia summâ ipsum laude, atque industriâ præstitisse, Auctores clari affirmant. Interfuit etiam celeberrimæ festivitati, qua Alexander Pontifex mellifluum Abbatem Claravallensem Bernardum die 7. Februarii Anno nostræ Salutis 1161. & rursùm die secunda ejusdem mensis Anno 1173. Thomam Cantuariensem Londini in Anglia à Sicariis pro Ecclesiastica immunitate occisum Sanctorum Cœtui adscripsit.

Varias Legationes strenuè obit.

Interest Canonizationibus Sanctorû Bernardi Abbatis Claravallensis & Thomæ Cantuariensis.

Fuit de cætero Cardinalis Laborans Vir excelsi, & acuti ingenii,

nii, literis omnibus, Philosophicis, Theologicis, Historicis, Juridicis apprimè excultus, ut complura ejus ad posteros transmissa monumenta clarè demonstrant. Inter quæ maximè eminent: *Nonnulla ingenii ejus monumenta recensentur.*

Collectio Canonum, & Decretorum compilatio elaboratissima, ad Petrum Præsulem Pampilonæ data.

Rursùm insigne Opus Tripartitum *De Verâ Libertate*, Hugoni Archiepiscopo Panhormitano inscriptum.

Aliud item memorabile Opus Quatripartitum *De Justi, & Justitia rationibus*, ad Majonem Bariensem, Magnum Siciliæ Ammiratum, Virum doctissimum.

Epistolas duas prolixas, graves, & doctas ad Vivianum Thomasinum Cardinalem S.Stephani in Cœliomonte, Primam *De Appellationibus.* Alteram *adversùs impuros Sabellianos*, rursum reviviscentes, quos acriter, & nervosè perstringit.

Rebus humanis excessit Romæ circa Salutis Annum 1192. Octogenariò major, Cardinalatûs sui Anno trigesimo tertio. Regnante Clemente hujus nominis Tertio. *Senio confectus, Romæ decedit.*

Ejus mentionem faciunt Baronius Tomo 12. Annal. Antonius Beatillus in Histor. Bariensi. Nomenclator Cardinalium. Aubery in Vita. Panvinius in Hist. Pontif. Ciaconius in Vita. Ughellius in Italia Sacra. & Alii.

ANNO 1159.

SEDENTE ALEXANDRO III. PONTIF. MAXIMO.

De

HERBERTO BOSSEHAMO
S. R. E. CARDINALE.

HERBERTUS Bossehamus, nomen à Vico Bosseham, unde prodiit, accepit: honestis, sed non admodùm opulentis parentibus in Comitatu Southsaxiæ in Angliâ natus. Liberalibus disciplinis, juxtà ac Sacris Literis insigniter eruditus, doctoralique Laureâ ornatus, Theologiam pariter ac Phylosophiam Oxonii pluribus annis, magno Auditorum accursu, & plausu, publicè docuit. Vir ingenio subtilis, eloquio facundus, Poëta elegans, Rhetor disertus, Philosophus acutus, Theologus profundus, Divini humanique Juris consultissimus, (ut inquit Joannes Pitsæus,) omnes Angliæ, Galliæ, Germaniæque Scholas Academicas, eruditâ curiositate, perlustravit. XLIV. *Vir in omni literarum genere versatus.*

In Angliam redux, Sancto Thomæ Cantuariensem Archipræsuli, conspirantium factione paulòpòst enecto, à secretis & epistolis fuit: cujus vitam, res gestas, agonem, & martyrium eleganti stylô omnium accuratissimè conscripsit; eò quidem veraciùs, quò magi rerum conscius, & testis oculatus extitit. In exilium ab Henrico II. Anglorum Rege ejectus, atque etiam ab insequentibus Sicariis ad necem conquisitus, superatis itinerum insidiis, Romam contendit. Ubi, protegente Deo, allapsus, ab Alexandro III. homi- *S. Thomæ Cantuariensi à secretis, & epistolis fecit.*

 nis

In exilium pulsus Româ migrat, ubi Cardinalis creatur. nis innocentiam exploratam habente, in laborum præmium Sacræ Romanæ Ecclesiæ Presbyter Cardinalis primò; deinde à Lucio III. Alexandri Successore, Archiepiscopus Beneventanus renunciatus, adeptas dignitates multiplici probitatis, & sapientiæ fulgore irradiavit: ac denique mortem, virtutum cumulo pretiosam, sub Urbano III. circa Salutis Annum 1186. feliciter oppetiit; plurima doctrinæ suæ monumenta posteris relinquens nimirum: *Obitus Ejus, & Scripta.*

De gestis S.Thomæ Cantuariensis Librum unum.
Defensorium Animæ.
De suis Peregrinationibus Librum unum.
De Errorum veterum Inventoribus.
Epistolarum Volumen.
Et alia quædam, quæ ad nostram notitiam non pervenerunt.

Ejus cum laude meminit Stephanus Langthonus Cardinalis Anglus lib.4. Vita S. Thomæ Cantuariens. Joannes Pitsaus de Illustr. Angliæ Scriptor. Turring. de Script. Cardinalibus. Marius Vipera in Chronologia Episc. Benevent. & Alii.

ANNO 1159.

SEDENTE ALEXANDRO III. PONT. MAXIMO.

De

HENRICO CLUNIACENSI
S.R.E. CARDINALE.

XLV. HENRICUS, natione Gallus, in Castro Marsico juxta Cluniacum nobiles sortitus natales, monasticum habitum in Clarâ-Valle adhuc puer suscepit à Roberto Abbate secundo, Viro famâ sanctitatis conspicuo. Sub cujus moderamine tantos brevì in literis, & virtutibus fecit progressus, ut adultam in Juvene perfectionem omnes admirarentur. Eapropter quarto Religionis; ætatis verò undetrigesimo transacto anno, Abbas Altæcumbæ in Sabaudia, ipso Roberto suadente, eximiasque Juvenis dotes commendante, electus est. Deinde progressu temporis, post S.Gerardum, Sextum Claræ vallis Abbatem (qui Igniaci ob fidei constantiam martyrio affectus est) votis omnium Claævallensium in Abbatem assumptus, tantâ gratiâ, & Auctoritate tum in Ordine; tum apud Principes exteros, ac præcipuè Francorum, & Anglorum Reges excelluit, quantâ nemo alius Claræ vallensium à Beato Bernardo fuisse legitur. Alter enim Bernardus ob morum, vitæque similitudinem suo tempore & dictus, & habitus est. Splendebant in eo jugi gratiâ virtutes illæ omnes, quæ hominem religiosum condecent, condecorant, & undique perfectum reddunt. *Abbas primò Altæcumbæ in Sabaudia, deindeClaræ vallensis eligitur.*

Legatus mittitur adversus Albigenses. Tolosam Profectus cum Petro Legato Cardinali S.Chrysogoni, & Episcopis Pictaviensi, & Barthonensi Anno Salutis 1178. ad Hæreticos Albigenses convincendos, multùm iis suâ doctrinâ, & concioni-

cionibus negotii fecit, auctorque fuit, ut coëuntibus in unùm fidelibus, turmatim à finibus occupatis proturbarentur. Qua de re præclara extat Henrici ipsius Epistola apud Rogerium Hovedenum, Rerum Anglicarum Scriptorem eximium. Oblata amplissima Sacerdotia, Episcopatum nempe Tolosanum, ac totius Ordinis Cisterciensis Generalatum, electus licèt, religiosò contemptu constantissimè respuit: multis propterea laudum encomiis tum à Petro Cellensi, tum ab aliis, magni nominis Viris, celebratus. *Oblatas Dignitates respuit.*

Sacrum Divi Bernardi corpus, ab Alexandro III. Pontif. Max. jam jam inter Cœlites adscripti, convocatis undique Episcopis, & Abbatibus curavit honorificentissimè elevari; & propè Aram Beatæ Mariæ in Ecclesia Claravallensi collocari: ut Author est Chrysostomus Henriquez. *Corpus S. Bernardi Abbatis elevatum, nobiliore loco collocat.*

Interim ab Alexandro III. Virtutes ejus perspectas habente, ad Concilium Lateranense per litteras vocatus, qua decuit modestiâ comparuit, ubi Patrum instantiâ, reluctans licèt, Episcopus Albanensis secundâ Concilii die, in Idus Martias incidente, Anno Salutis 1179. approbante Pontifice, declaratus, ritu solemni consecratur. Exinde Legatus à latere cum plena potestate ad Provincias Transmontanas propulsandorum causâ Hæreticorum missus, ea occasione Archiepiscopos Lugdunensem, & Narbonensem, tanquàm inutiles, dissolutos, & in multis reprehensibiles, in spiritu vehementi (ut acta loquuntur) deposuit; Abbates plurimos, diversosque Ecclesiarum Antistites, ab officio exorbitantes, qua erat libertate, increpuit, atque correxit. Castrum munitissimum Hæreticorum) quod *Vallis* vocabatur) admotis machinis expugnatum, expurgavit. Claravallense Cœnobium, diligenti in mores Incolarum factâ inquisitione, visitavit, ordinavit, & pretiosis muneribus cumulavit. *Cardinalis Episcopus Albanensis ab Alexandro III. in Concilio Lateranensi creatur.* *Legatus constitutus multa præclara peragit.*

Alexandro inter hæc vitâ functo, Romam rediit, & Lucium III. quem in Petri Cathedrâ sedentem invenit, sequutus, cum eo Veronam se contulit; ubi Anno Salutis 1185. celebratô jam conciliô, graviter ægrotanti & decedenti affuit; nec multò pòst cum ejusdem Successore Urbano III. Ferrariam delatus, & inopinato ibidem morbo decumbenti, ac cum morte luctanti postremùm pietatis officium impendit. Cùmque omnes, qui tum aderant, Cardinales Henrici famâ allecti, ipsum in summum Ecclesiæ Caput poposcissent, atque etiam datis, collectisque votis Pontificem acclamassent, ingemiscens Vir Sanctus, eligentium vota pluribus improbavit; & ne dissensioni, aut Schismati, (ob nonnullorum absentiam Cardinalium,) occasionem præberet, invictô animô, rarôque exemplô Pontificatum ultrò delatum rejecit, auctorque fuit, ut Gregorius VIII. Vir litteris, & virtutibus clarus, in sui locum (restauratis ægrè comitiis) sufficeretur: à quo mox Legationem ad Fridericum cognomento Ænobardum accipiens, eundem sacrâ suâ eloquentiâ demulsum eò adegit, ut Clementi Tertio, Gregorii Successori, reconciliatus, non modò obedientiam, sed & Ecclesiæ diu conturbatæ exoptatam aliquando pacem concesserit. Quibus confectis Fridericus cum sexaginta octo Viris primatibus Signô Crucis in Infideles ab Henrico Legato insignitus, ductô in hostes exercitu, memorabili Victoriâ potitus est. *Lucio III. & Urbano III. morientibus postrema pietatis officia impendit.* *Summum Pontificatum oblatum declinat.* *Clementi III Fridericum Cæsarem reconciliat.*

 His

Pacem inter Galliæ & Angliæ Reges, aliosq; Principes procurat.

His peractis animum adjecit, ut dissentientes inter se Galliæ, & Angliæ Reges amicitiæ fœdere conjungeret: id quod ei strenuè laboranti ex voto pariter & sententia Pontificis processit. Non tamen diuturna hæc Regum sancita conjunctio fuit, utpote turbata, occasione excommunicationis, ab ipso in Richardum Comitem, Ecclesiæ contemptorem, latæ. Ejusdem Clementis III. jussu in Belgium, novâ insignitus Legatione, processit, ad pacem inter Ecclesiam Atrebatensem & Flandriæ Comitem stabiliendam, quam, firmissimis in medium adductis rationibus, feliciter perfecit.

Atrebati Sanctè moritur.

Tot itineribus, legationibus, arduisque laboribus consumptus Atrebati in morbum incidit, quem letalem ex altiori instinctu cognoscens, ad Aram Divi Andreæ in Templum deferri voluit. Eò delatus, & Ecclesiæ mysteriis ritè expiatus, horâ migrationis prædictâ, placidissimè Deo cumulatam meritis animam in manus consignavit die xiv. Julii Anno reparatæ Salutis 1188. Corpus ejus Atrebatô (pro ut ipse supremis tabulis paulò antè jusserat) Claramvallem delatum, ibidem inter Sanctos Bernardum, & Malachiam ab Episcopo Lingolniensi repositum, hâc marmori insculptâ memoriâ celebratum est.

Ejus Epitaphium.

Subjacet huic lapidi quondam notissimus Orbi
Abbas Henricus Romanò Cardine fulgens:
Lubrica qui vani contempsit gaudia mundi,
Terra membra dedit, Cælis animamq; remisit.

Orator egregius.

Vir doctissimus fuit Henricus, maximâ præcipuè pollens dicendi facultate, Conciones plurimas, easque non vulgares habuit coram Romanis Pontificibus Alexandro III. Urbano III. Gregorio VIII. Clemente III. Friderico I. Ænobardo, ac Regibus Galliæ, & Angliæ, ultra eas tum ad Ordinis Alumnos, tum ad Populum concreditum recitatas. Leodii ad suam prædicationem contra Simoniacos, & Concubinarios institutam, die una Clerici numero novem suprà sexaginta, conscientiæ stimulis adacti, Præbendas suas ultrò in manus ejus resignârunt.

Scripsit inter alia egregia Opera (quæ MM.SS. in Bibliotheca Vaticana etiamnum extant) Orationem adversùs Hæreticos Albigenses doctissimam, & elegantem, quam refert, & laudat Annalium Ecclesiasticorum Parens Cardinalis Baronius Tomo 12.

Elogium ejus apud Andream Saussay.

Hujus Sanctissimi Viri notabilem mentionem facit literatissimus Episcopus Andreas Saussay die xiv. Julii in Martytologiô Gallicanô his verbis: *Obiit hodiè piissima memoria Henricus Cardinalis, Legatus Apostolicæ Sedis contra Hæreticos Albigenses, præcoq; Crucis contra Mahumetanos, vir miræ sanctitatis & humilitatis, zeliq; planè Apostolici. Ob quæ merita cùm Paranymphus pacis Atrebati, orans ante Altare S. Andreæ Apostoli placidâ morte obdormivisset, corpus ejus ad Claramvallem, cujus Abbas fuerat, revectum inter Sanctos Malachiam, & Bernardum honorificè tumulatum est.*

Ejus mentionem faciunt præ primis Auctor magni exordii Ordinis Cisterciensis. Cæsarius Monachus Heisterbacensis in Libro Miraculorum. Chrisostomus Henriquez in Fasciculô Sanctorum Ordinis Cisterciensis. Petrus Frizonius in Galliâ purpuratâ. Gaspar Jongellinus in Purpurâ Divi Bernardi. Baronius Tom. 12. Annal. Robertus Hovedenus in Annal. Anglic. Ferdinandus Ughellius Tomo I. Italiæ sacra. Aubery in Vitâ. Kalendarium Cisterciense. Joannes Cyrejus Abbas in Catalogô Sanctorum ejusdem Ordinis. Aliique.

ANNO

ANNO 1181.

SEDENTE LUCIO III. PONTIF. MAXIMO.

De

PANDULPHO MASCA.
S.R.E. CARDINALE.

PANDULPHUS Mafca, Patriâ Pifanus, à Califto II. Romano Pontifice Subdiaconus Sacri Palatii Apoftolici ordinatus Anno Salutis 1120. hanc dignitatem tenuit ufque ad Annum 1182. quo tempore Lucius III. Eundem ob fummam literarum cognitionem in numerum Presbyterorum Cardinalium titulo duodecim Apoftolorum retulit. Eique paulò pòft in confortio Ægidii Epifcopi Mutinenfis provinciam transferendi corpus B. Floriani Martyris in Poloniam demandavit. De qua memorabili Translatione in Vita Lucii III. Pontificis Maximi ita fcribit Auguftinus Oldoinus : *Cafimirus Poloniæ Princeps Romam Legatos ad Lucium expedivit, ad corpus alicujus Sancti obtinendum, quorum precibus motus Pontifex, dum Sacrarium, quod plura Sanctorum Martyrum corpora continebat, ingreffus, quis ibi quiefcentium Divorum in Poloniam ire vellet ? fcifcitatus fuiffet ; ex tumbâ, in qua corpus Beati Floriani conditum erat, manus protenfa apparuit, feq; donari velle Polonis, eò indiciò demonftravit : quo miraculo divinitus admonitus Lucius Pontifex facrum Pignus Poloniæ obtulit.* Cujus transferendi munus Pandulpho, atque Ægidio commifit, qui VI. Kalendas Novembris Anno noftræ Salutis 1184. à Duce Cafimiro, & Gedeone Epifcopo Cracovienfi, cunctifque Statuum Ordinibus, ad feptimum ufque lapidem illis obviàm prodeuntibus perquàm honorificè fufcepti ; omniumque officiorum genere exculti funt, ut tradunt Regni Poloniæ Annales. Cœleftini item III. juffu, Legationis munere functus eft Genuæ, tum ut difcordias civiles eâ in Urbe exortas compefceret ; tum ut pacem Pifanos inter & Genuenfes initam, fua authoritate firmaret. Legatus exinde ab Innocentio III. Cœleftini Succeffore, miffus in Tufciam, fœdera Civitatum Hetruriæ, quæ inconfultâ Sede Apoftolicâ in Ecclefiæ Romanæ præjudicium pacta fuerant, diffolvit ; atque ex eo maximè capite irrita declaravit, quòd Ducatus Tufciæ ad Jus, & Dominium Ecclefiæ Romanæ pertineret. Legatione etiam functum in Anglia, Godewinus in Catalogo Epifcoporum Novicenfium, & Matthæus Weftmonafterienfis contendunt, fed errare eos certò conftat, quòd Pandulphum noftrum (nominis fimilitudine decepti) confundant cum alio Pandulpho, qui ex S. R. E. Legato Epifcopus deinde renunciatus eft Novicenfis.

XLVI.

Cardinalis à Lucio III. P. creatus, Corpus S. Floriani Martyris in Poloniam transfert.

Variis Legationibus perfungitur.

Interfuit Pandulphus Cardinalis quatuor Summorum Pontificum creationibus, Urbani fcilicet, Clementis, Cœleftini, & Innocentii, quorum quilibet hôc nomine Tertius extitit. Affuitque examini, & canonizationi S. Joannis Gualberti Fundatoris Monachorum Vallis-umbrofæ : quorum congregatio fuam Anno Domini 1030.

Quatuor Summorum Pontificum Electionibus & Canonizationi B. Joannis Gualberti interest.

1030. (Sedente in Petri Solio Joanne XIX.) originem habuisse memoratur. Eo enim Anno prima ejusdem Ordinis comitia celebrata sunt, in quibus ipse B. Joannes, Fundator, patriâ Florentinus, Vir Sanctissimus, Abbas Generalis creatus est. Is adhuc Juvenis fraternam cædem ulturus, magnâ armatorum manu stipatus, ad Oppidum S. Miniatis processit, ubi casu fratricidam obvium habens, cum ille perterritus veniam in Christi nomine supplex petiisset, vindictâ positâ illæsum dimisit. Exinde proximum Templum oraturus ingressus, Christi è cruce pendentis imaginem, referre sibi ob illud factum inclinatô capite gratias, tum ipse, tum socii, qui præsentes aderant, clarè conspexêre. Quo prodigio attonitus, erogatis in pauperes facultatibus, Monasticam vitam sub Divi Benedicti Regulâ in loco, qui *Vallis Umbrosa* dicitur, juxtà Apennium instituit, quam Alexander II. & Gregorius VII. approbatam confirmârunt. Demùm seniô, & Sanctis operibus gravis, triduanoque Angelorum obsequio dignatus, apud Passinianum (ubi summâ veneratione in hanc usque diem colitur) quarto Idus Julii Anno Salutis 1074. ad Superos migravit. Quem cùm inter Sanctos à Gregorio VII. relatum vulgo non satis constaret, Cælestinus III. innumeris coruscantem miraculis, adhibitô ad id Pandulphô Cardinali, jam jam Cælitibus adscriptum divulgavit; confirmavitque, ut Auctor est in Chronico Bernardus monachus; & S. Antoninus in Historia p. 2. tit. 6. c. 23.

Synopsis Vitæ S. Joannis Gualberti.

Scripsit Pandulphus summorum Pontificum vitas à S. Petro Apostolorum Principe, ad suam usque ætatem, hoc est, usque ad Innocentium III. Atque harum quasdam partim composuit ipse, partim ex Damaso, Anastasio, & Petro Guillermo excerpsit. Hoc Pandulphi Opus nondum editum, manuque exaratum extare in Bibliotheca Vaticana numero 226. & 3762. refert Constantinus Cajetanus Abbas S. Barontii in Commentariis ad Gelasii II. Vitam. Justo etiam Volumine conscripsit res à Pisanis domi, forisque præclarè gestas: quod quidem Opus, licèt à multis diligenti studiô perquisitum, nusquam tamen inventum, in tenebris etiamnum latitat. Porrò de Pandulpho (quem Vaticanæ præsertim Bibliothecæ monumenta clarô *Magistri* titulô donant) Gelasii II. Romani Pontificis familiari, ac peregrinationis individuo comite, hoc scripsit Elogium Guillelmus Eisengrenius in Catalogo testium Veritatis ad Annum 1184. *Pandulphus Pisanus sacræ Paginæ Doctor, S. R. E. Subdiaconus Presbyter Cardinalis Sanctorum XII. Apostolorum, Vir admiratione omnium dignissimus, dicendi artifex, & Orator eloquens, Historicus celeberrimus, nec ulli Theologorum secundus.*

Pandulphi Cardinalis Scripta.

Laudatur ab Eisengrenio.

Quòd autem ad mortis ejus diem, vel annum spectat, longâ illum ætate confectum obiisse ex eò inprimis constat, quòd jam à Calisto II. Anno 1120. Subdiaconus ordinatus, vitam suam protraxerit usque ad Innocentii III. tempora, in cujus Diplomate, Veronensi Ecclesiæ S. Mariæ *de Clarea* Anno Salutis 1201. concessô, subscriptus invenitur. Post quem annum cùm nulla ampliùs ejus reperiatur memoria, credi potest mortalitatem exuisse propè centenariam, Anno redempti Orbis 1202.

Obitus Ejus incertus.

Eju

Ejus meminere Vossius lib. 2. de Historicis Latinis c. 53. Aubery in Vitâ. Constantinus Cajetanus in Notis ad Vitam Gelasii II. Eisengrenius in Catalogo Testium Veritatis. Didacus de Franchis in Vitâ S. Joannis Gualberti. Morerius. Panvinius. Ciaconius. & Alii.

ANNO 1181.

SEDENTE LUCIO III. PONTIF. MAX.

De

SOFREDO PISANO
S.R.E. CARDINALE.

XLVII.

Cardinalis primò S. Mariæ in Viâ latâ; deinde S. Priscæ renunciatur.

SOFREDUS, quem Ughellius cum Aliis Gualfredum de Cajetanis nominat, Pisanus, Henrici Comitis filius, & Villani Archiepiscopi Pisani nepos, vir multæ eruditionis & virtutis, Eugenii III. Pontificis Maximi Affinis, à Lucio III. Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Viâ latâ; mox à Cœlestino Tertio Presbyter Cardinalis S. Priscæ renunciatus est.

Variis Legationibus utiliter & strenuè perfungitur.

Anno Domini 1185. sub Urbano Tertio, cum Rolando Diacono Cardinale Legatione functus est in Longobardia, ad præposteros Clericorum mores emendandos, populique tumultuantis seditiones sopiendas. Quo Legationis munere ritè perfunctus, Romam rediit cum socio Rolando, sedente in Apostolico throno Clémente III. qua in Urbe commoratus reperitur usque ad assumptionem Innocentii III. à quo novô Legationis charactere insignitus, missus est Venetias, ut subsidium æris, & militis peteret pro recuperatione Terræ Sanctæ à Saladino Saracenorum Duce paulò antè occupatæ. Impetratô subsidiô illicò in Palæstinam profectus, redintegratis Christianorum copiis Barbarorum impunè grassantium impetum fortiter cohibuit; amissasque fidelium opes & Urbes magnâ ex parte recuperavit.

Laus ejus Specialis.

Sofredum Historiæ, & monumenta Ecclesiæ Pisanæ Virum prudentem, religiosum, doctum & eloquentem deprædicant. Eundemque Innocentius Tertius in Epistolis *Virum timoratum, scientiâ & honestate præclarum, opere & sermone potentem* appellat, quem inter alios Cardinales speciali dilectionis affectu prosecutus, collatô propriis manibus Crucis signaculô Defensorem Terræ Sanctæ constituit; atque unà cum Petro Capuano Legatum in Syriam (quæ per id tempus à Latinis capta fuerat) expedivit. Illuc proficiscenti Balduinus Imperator cum Clero, populo, Aulæque Proceribus obviàm factus, summo eum honore excepit, atque in principem S. Sophiæ Basilicam, sacris operaturum deduxit. Ubi constitutus, postquàm fidelem populum, accommodatâ in rem usus oratione, ad bellum adversùs Christi hostes prosequendum accendisset, aliquot egregias Constitutiones pro publica tranquillitate, mutuaque Civium pace conservanda promulgavit. Exinde progressus in Syriam, Christianorum exercitui, mox cum hostibus congressuro, auxilio adfuit, & consilio.

A Balduino Imperatore magnis honoribus excipitur.

 Eccle-

Petitur in Episcopum Ravennatensem, sed non conceditur.

Ecclesia interim Ravennas suô viduata Pastore absentem Sofredum in locum defuncti Archiepiscopi à Sede Apostolica postulavit, quem tamen Innocentius, licèt per Legatos sæpiùs interpellatus, non concessit, asserens: quòd Universalis Ecclesia tanti hominis operâ in maximis rerum motibus, absque detrimento carere non posset. Dum hæc Romæ aguntur, ipse in Expeditione Transmarinâ Patriarcha Hierosolymitanus designatus, honorem ultrò delatum ex humilitate rejecit: & licèt Eum frequenibus litteris Innocentius, ut illum admitteret, hortatus fuisset, nihilominùs in sententiâ persistens eò induci non potuit. Innocentii Litteræ ad eum tertiò datæ sic sonant: *Licèt propter evidentem Ecclesiæ Romanæ utilitatem, cujus te membrum magnum, & honorabile reputamus, grave sit nobis, & fratribus nostris valdè molestum, Te ad postulationem Regis, & Canonicorum Sancti Sepulchri Ecclesiæ Hierosolymitanæ concedere in Pastorem, utpote qui valdè necessarius Nobis existas, tanquam Vir nobilis & honestus, facundus & Litteratus; & tam in Temporalibus providus, quàm in Spiritualibus circumspectus &c. His non obstantibus hortamur Te in Domino, ut collatam dignitatem suscipias, & nequaquàm recuses.* Nihil verò apud obfirmatum animum proficientibus Litteris, Romam aliis impendendus negotiis, revocatus est. Cùmque Anno Domini 1208. die x. Kalendas Julii Philippus Imperator ab Othone Witelsbachio Comite Palatino, Bambergæ interemptus esset, Innocentius Sofredum, & Hugolinum Cardinales Legatos Francofordiam ad confirmandum in Imperio Othonem IV. mittit: qui solutis Comitiis cum utroque Legato Romam veniens, ab Innocentio Pontifice in Basilica Vaticana, certis legibus, Imperii Diadema solemni ritu accepit v. Idus Octobris Anno 1209. Coronationem ejus Cardinales aliquot, Imperii Proceres multi, Senatûs pars probârunt, reliquis reclamantibus, & loco Othonis Fridericum Siciliæ Regem postulantibus. Hinc triduò ipsâ in Urbe dira inter dissentientes exorta seditio est, quæ non nisi multorum cæde, & sanguine extingui potuit. Otho in imperio firmatus, ante coronationem hoc se fidei Sacramento obstrinxit: *quòd jura Ecclesiæ Romanæ, quoad viveret, sarta tecta tutturus; & contra quoslibet Adversarios, indictò etiam bellò, si necessitas exigat, defensurus esset. Quòd Electiones Prælatorum liberas esset permissurus; & appellationes ad Sedem Apostolicam non impediturus. Quòd Romano Pontifici in omnibus honorem debitum, obedientiamq; præstiturus; nihilq; contra ejus Auctoritatem, aut jura moturus esset.* Hæc quidem Otho coronandus sanctè juravit, sed post coronationem perjurus non servavit. Nam vix aliquot à suscepto Diademate elapsis mensibus, contra jus, & Sacramenti fidem Monte Flascone; Radicophano, multisque Ecclesiæ Romanæ Oppidis, & Regionibus occupatis, in Regnum Neapolitanum hostiliter movit, ut illud Friderico Secundo, adhuc Juveni, & sub tutoribus constituto eriperet, quem Romanus Pontifex (aliquot jam Urbibus, ac præcipuè Capuâ occupatis) crebris litteris, & Nunciis datæ fidei admonitum, cùm ab inceptis revocare non posset, anathemate notatum Imperiò privavit: Germaniæ Proceres per Sofredum Legatum hortatus, ut in exauctotati locum Othonis, novum Cæsarem per comitia deligerent.

Patriarchatum Hierosolymitanum oblatum recusat.

Philippus Imp. occiditur: Ottho IV. succedit, & coronatur. Tumultus Romæ excitatur.

Othonis Imperat. Juramentum.

Otho perjurus anathemate notatur.

Anno

Anno igitur 1210. Electores Francofordiæ, ad instantiam Sofredi Legati, congregati Fridericum Secundum Henrici VI. Filium, decimum septimum ætatis annum agentem, utriusque Siciliæ Regem, Sueviæ Ducem, Legati, Romanorumque rogatu, contra Othonem excommunicatum, absentem Imperatorem designant. Qui ex Siciliæ Regno, Romam primùm veniens, salutato Pontifice, eique in signum gratitudinis condonato, vel potiùs restituto Comitatu Fundano, in Germaniam profectus Anno Salutis 1210. à Theoderico Archiepiscopo Coloniensi, Aquisgrani Imperii insignia suscepit; quæ annorum quadraginta decursu, quibus regnavit, multis vitiis, & infamiæ notis dehonestavit. Otho depositus in Germaniam rediens, paternæ ditione consulturus, Innocentio Tertio omnia, quæ in Italia cœperat, recuperandi occasionem præbuit. Multa bella cum Principibus Germanis gessit, sed præcipuè cum Ludovico Septimo Francorum Rege, ejusque Filio Philippo Augusto, à quo novissimè ad Bovinas præliô victus vix fugâ evasit; Anno postmodùm 1218. Brunsvicæ, ubi septenniô privatus vixerat, inglorius obiit v. Kal. Maji.

Fridericus II. eligitur Imperator, & coronatur. Ejus Imperium diuturnum, sed multis vitiis infame.

Obitus Othonis IV. inglorius.

Sofredus è Germania Romam Anno Salutis 1210. rediens, altero à reditu Anno, multis Legationibus clarus excessit è vita Romæ, ubi etiam sepultus quiescit.

Sofredi mors & Scripta.

Scripsit Speculum humanæ caducitatis.
Orationes pro expeditione sacra.
Aliaque nonnulla, in lucem publicam hactenùs non producta.

Ejus meminere Ciaconius in Vita. Ferdinandus Ughellius in Italia sacra. Oldoinus in addit. ad Ciaconium. Gregorius Abbas Porsiniani Cœnobii in Etruriâ in Epistola ad Monachos suos de Canonizatione S. Joannis Gualberti. Aliiq.

ANNO 1181.

SEDENTE LUCIO III. PONTIF. MAX.

De

ADELARDO CATTANEO
S.R.E. CARDINALE.

ADELARDUS Cattaneus de Adelardis, nobili apud Veronenses familiâ natus, Canonicus extitit Sæcularis Ecclesiæ XLVIII.
Veronensis: Vir non minùs litterarum scientiâ, quàm vitæ puritate, animique integritate conspicuus; à Lucio Tertio Pontifice Maximo eapropter in Numerum Purpuratorum ad Titulum S. Marcelli cooptatus. Vigebant in eo omnes illæ Virtutum dotes, quæ in Ecclesiastico Principe, Optimo, Sapientissimo vel sperari possunt, vel requiri. Quibus cùm apud Reges & Principes; tum apud summos Pontifices maximâ valuit gratiâ, & auctoritate.

Multis Virtutibus conspicuus Cardinalis à Lucio III. creatur.

A Lucio Tertio ad ardua Ecclesiæ negotia primùm ascitus, deinde

Legatus in Oriente Acconem expugnat, fidem promovet. inde Clementis itidem Tertii jussu Legatione in Orientalibus Plagis perfunctus, omnium, ad quos devenerat, exspectationi cumulatissimè satisfecit. In Oriente agens, cum Philippo Francorum, & Richardo Anglorum Regibus, ac selectâ multorum nobilium Christianorum, cruce signatorum, alâ Civitatem Acconem ab Infidelibus occupatam, graviterque divexatam expugnavit; Ecclesias variis eorum superstitionibus pollutas expiavit;& ejectis impuris Paganorum Ministris, Altaria nova divino cultui erecta dedicavit; verosque Sacerdotes ad propaganda Christi dogmata substituit: ut narrat Rogerius Hovedenus in Historia Anglicana.

Absens in Episcopum Veronensem eligitur. Hæc in Oriente Adelardum agentem Veronensis Clerus post obitum Ripandi Episcopi, in Antistitem elegit, electionem laudante, & approbante Clemente Romano Pontifice. Igitur submissis Nunciis Veronam revocatus, & Episcopus salutatus commissum sibi munus plenâ fide, & integritate diutissimè administravit, Panvinio in Chronicis attestante. Siquidem Vir Deo dilectus, reformatis Clericorum, Populique moribus, ad sacra conversus, Ecclesiam Veronensem, Sanctorum Apostolorum cultui nuncupatam, *Multa egregia præstat.* consecravit. Fidelibus manus ad reparandam Sanctorum Firmini, & Rustici Ecclesiam porrigentibus, remissionem omnium noxarum de plenitudine Apostolici Thesauri piissimè indulsit. Deperditis mulieribus, quæ pudicitiam quibusvè obviis, animas verò Dæmonibus prostituebant, miseratione ductus, de viris, qui eas ducerent; *Lascivis mulieribus paternè consulit* & dotibus, quibus honestè locarentur, paternè providit: quo laudabili facto illud evicit, ut deinceps maritali frænô coërcitæ, à scelere impudicitiæ sibi temperarent; & proscriptâ infamiâ honestati consulerent laudatus propterea multis Innocentii Tertii Litteris, ex quibus, qualis ille fuerit, quantaque sapientia, integritate, & vitæ sanctimonia floruerit, satis intelligi potest.

Obitus ejus, & Scripta enarrantur. Panvinius in Chronico rerum Veronensium, Adelardum scribit è vivis excessisse Anno Salutis 1209. cujus opinioni libenter assentirer, nisi ex antiquo monumento, mense Novembri Anni 1211. edito, & ab Ughellio Tomo V. Italiæ Sacræ relato, certò scirem Adelardum Episcopatum Veronensem illo ipso Anno 1211. administrâsse. Quare cum laudato Ughellio dicendum arbitror, ipsum vel in Anni 1211. exitu; vel sequentis initiô diem supremum obiisse, Præsulatûs sui vigesimo quarto. Ejus cadaver in Basilica S. Zenonis, marmoreo tumulo inclusum, honorificè terræ mandatum est cum hoc Elogio:

ADELARDO S.R.E. CARDINALI AMPLISSIMO VIRO OPT.
VERONENSIUM ANTISTITI VIGILANTISSIMO,
VITÆ SANCTIMONIA, ET ERUDITIONE CLARISSIMO.

Scripsit plurima Opera, vernaculâ, & latinâ linguâ, ex quibus supersunt:

Sermones de Tempore.
De Sanctis.
Super Prophetas Commentaria.

Ejus meminere Panvinius in Chronicis. Rogerius Hovedenus in Hist. Anglic. Ughellius tom. 5. Ital. Sac. Baronius Tom. 12. Annal. Ciaconius in Vitâ.

ANNO

ANNO 1188.

Sedente Clemente III. Pont. Maximo.

De

Guidone de Pore
S. R. E. CARDINALE.

GUIDO de Pore, natione Gallus, Vir sanctus, & doctus, Abbas quintus decimus Cistercii, successit Petro in Ordinis regimine; nactus & ipse postea Successorem ejusdem nominis, & dignitatis Guidonem Juniorem, Archiepiscopum Rhemensem, cum quo à plerisque Historiæ ignaris malè confunditur, facem errori præferente Claudio Roberto in sua Gallia Christiana. Guido noster ob insignem vitæ sanctimoniam, omnium suffragiis, supremum totius Ordinis Cisterciensis Magistratum adeptus, quum facta diligenti in Ordinis statum inquisitione, à Deipara Virgine MARIA (cui à teneris annis in extremam usque ætatem mirè addictus fuerat) devotè sciscitaretur: *Num hic Ordo sibi, Filioq; JESU placeret & cordiq; esset?* responsum tale meruit à benigna Matre accipere: *Et sibi, & Filio placere plurimùm, cordiq; esse quàm maximè.* Hôc miraculô, & oraculô, ingenti gaudio perfusus Guido, confirmatusque, ut gratam aliquam Sacratissimæ Virgini vicem reponeret, sumptosissimum juxta àc nobilissimum Templum, ejusdem cultui dedicatum, erexit ac consecravit Anno ab Orbe redempto 1194. Ejus verò Præfecturam inter alia multa, & varia incrementa, duo præcipuè in Hispania, non contemnenda nobilitârunt: primò quòd eo Authore ad obedientiam reducti sint Calatravenses, seu veriùs Cistercio restituti, à quo tribus & viginti annis, non absque Ordinis injuriâ, defecerant; & Morimundo Cisterciensium Abbati subjecti, quibus (antiquatô veteri eorum ritu) novam vivendi normam, vestes, & cibos ad Deo dignè serviendum præscripsit. Deinde quòd Monialium Cisterciensium in Regnis Castellæ, & Legionis habitantium Institutum fuerit restitutum: eæque Virgines Abbatissæ Huelguensis imperio, ab ipso in Antistitem designatæ, fuerint subjectæ. XLIX.

Abbas Cisterciensis, & Ordinis Generalis effectus, Deiparæ Virginis alloquium meretur.

Eidem Virgini Sacratissimæ Templum exædificat, aliaq; memoranda operatur.

Philippus Galliarum Rex, antequàm in Syriam, bella pro Terræ Sanctæ recuperatione moturus, trajiceret; Guidonem ad se accersitum consuluit, ejusque precibus se, causamque suam, & Ecclesiæ enixè commendavit. Quare à Guidone, pro felici Regis successu, Monachis omnibus indictæ sunt preces, & Sacrificia, singulis Feriis Sextis cum Septem Psalmis, qui ad pœnitentiam pertinent, obeunda.

Philippus Galliæ Rex Ejus se precibus commendat.

Officium B. Mariæ Virginis, quod hactenùs à Singulis seorsim, ex Cistercii Instituto, recitabatur, deinceps ab omnibus simul junctis psalli præcepit: editâ desuper ad rei memoriam solemni Constitutione. Non multò pòst *idem Officium* alternatim in Choro, adhibitô etiam Organô, decantari jussit. Ab exactionibus, quibus Cistercium

Cultum Sacratissimæ Virginis in Ordine suo promovet, à qua identidè talionem recipit.

ftercium ultrà vires & æquùm diu vexabatur, miraculoso Deiparæ Virginis interventu, ad quam fide plenus confugerat,& appellaverat, liberavit.

Cardinalis primò S. Mariæ Trans-tyberim; mox Prænestinus; atque Legatus in Germaniam & Galliam renunciatur. Ejus varia gesta.

Inter hæc famâ virtutis, & eruditionis ejus Romam usque percrebrescente, à Clemente III. Presbyter Cardinalis titulo S. Mariæ Trans-tyberim; deinde ab Innocentio III. Episcopus Cardinalis Prænestinus renunciatus, in Germaniam, & Galliam Apostolicæ Sedis Legatus est missus, ad confirmandam Othonis IV. electionem, contra Philippum Sueviæ Ducem ab Imperii Principibus factam. Quæ autem Guido iis in Comitiis generalibus pro Othonis coronatione gesserit, perstringit breviter Abrahamus Bzovius his ferè verbis, *Porrò quid in Comitio egerit Guido Cardinalis Legatus, Innocentio per literas denunciavit: nimirùm quòd auditis, consideratis, & discussis partium controversiis, ex præscripto Apostolicæ Sedis, Regis Romanorum titulum (rejectô Philippô) Othoni electo coràm omnibus Imperii Principibus à Sede Apostolicâ delatum renunciaverit; atque omnes, qui contradicere præsumerent, anathematis fulmine perculerit.*

Hugonem Episcopum Leodiensem consecrat, & Clerum ibidem emendat.

Habemus autem ex Chronico Magno Belgico hunc ipsum Guidonem in iisdem comitiis consecrâsse venerabilem Hugonem hujus nominis secundum, Leodiensem Episcopum. Qua occasione etiam, coactâ Leodii Synodô, Clericos lapsos severioribus legibus, optimisque institutis à concubinatu, fœdâque fœminarum consuetudine coërcuit. Quemadmodùm refert ex parte Ægidius Bucherus infrà citandus. Posteà Coloniam digressus, optimam illic consuetudinem (teste Cæsario Heisterbacensi) instituit: eamque suô præceptô, ne deinceps infirmaretur, roboravit: nimirùm ut Populus omnis in Ecclesia constitutus, ad elevationem Sacrosanctæ Hostiæ ad sonitum campanulæ (quam hac de causa propè Altare affigi jussit) delictorum veniam pulsatô pectore peteret; & ad Calicis elevationem aliquantulùm prostratus jaceret: Ipsius Cæsarii verba ad notitiam hìc censui inserenda: *Tempore Schismatis* (inquit ille) *inter Philippum & Othonem, cùm Dominus Guido Cardinalis, aliquando Abbas Cisterciensis, missus fuisset Coloniam ad confirmandam electionem Othonis, bonam illic consuetudinem instituit: præcepit enim ut ad elevationem Hostiæ omnis populus in Ecclesia constitutus ad sonitum nolæ peccatorū veniam peteret, sicq; usq; ad Calicis benedictionem prostratus jaceret.* Quod quidem Institutum, ab omnibus probatum, usque modò in Ecclesia Dei perseverat. Mandavit insuper, ut quoties venerabile Altaris Sacramentum ad infirmum per plateas deferendum esset, Æditus Sacerdotem præcedens per nolam illud proderet: ut eo sonitu populus admonitus, transeuntem Christum de genu adoraret. Contigit laudabilis hæc constitutio circa Annum Salutis nostræ 1200. quam Deus insigni mox miraculô à Cæsario relatô, laudato, confirmavit.

Laudabile ejus Institutū Coloniæ factum commēdatur.

Leodii quæ salubriter statuerit? enarrantur.

Hæc Coloniæ Agrippinæ. Cæterùm Leodii similiter in transitu memorabile pietatis suæ vestigium reliquit, quod ex Placentino, Auctore Leodiensi, Aubertus Miræus refert ipsius verbis: *Temporibus Hugonis II. Episcopi, venit Leodium Guido Abbas, Pontificis Maximi Legatus, qui multa ibidem Ecclesiæ utilia statuit; ac præsertim in Sacerdotum, atque Canonicorum luxuriantium petulantiam multa fortiter asseruit. Vocatis*

nam-

namque Collegiorum Præpositis aliquos cautiones Auctoritate Pontificis Maximi promulgavit: Ne scilicet Canonici horis diurnis, pariter & nocturnis à Templo abessent: Ne vagabundi per domos, & plateas tempore divini Officii discurrerent: Ne mulierum consortio, & strepitu impediti, minùs Instituto suo satisfacerent: Ne Canonici in minoribus constituti, in tractatibus Capitulorum alicujus Auctoritatis haberentur, donec Sacris initiarentur: Ne Archidiaconi, nisi Diaconi essent, stipendiò, honore, atque Auctoritate gauderent: Ne Comatuli, sive calamistrò comam rotantes, priusquàm coronam in capite gestarent, immunitate Ecclesiasticâ gauderent: Ne plura ambientes Sacerdotia in Collegiis tolerentur. Hæc Guidonis statuta Imperator posteà Fridericus II. æmulatus, præcepit in Collegio Namurcensi SS. Petri & Albani, quod ipse dotaverat, pariter observari. Et nonnulla alia adjiciens, hôc modò vitiis Ecclesiasticorum prospexit. Atquæ hæc ex Placentino Miræus. Cæterùm Guidonis omnes Constitutiones, & Ordinationes, si quis curiosiùs legere desiderat, adeat Ægidium Bucherum in notis ad Historiam de Episcopis Leodiensibus.

Tandem multis operibus, & sanctitate conspicuus, Gandavi ex peste decessit XIII. Kal. Junii Anno reparatæ Salutis 1202. Alii tamen (sed non absque erroris suspicione) ejus obitum ad annum 1206. transferunt. Cistercium Gandavô delatus, sepulturam in Majori Templo accepit, Titulo *Beati* in Calendario Cisterciensi nobilitatus. Scripsit nonnulla insignia, & pia Opuscula, Cistercii in Bibliotheca inter MM.SS. asservata. Fuit hic Vir, quòd raro evenit, sine oris tristitia Sanctus, semper suavis, comis, atque serenus, ita procul à livore, ira, & omni contentione, ut multis felle, adinstar columbæ, carere videretur. *Sanctus ejus Obitus & Scripta referuntur.*

Ejus memoriam celebrant Calendarium Cisterciense, Angelus Manriquez Tomo 1. & 3. Annalium Cisterciens. Joseph Maria Suaresius de Episc. Prænest. Cæsarius Heisterbacensis. Aubertus Miræus. Hippolytus Marraccius in Purpura Mariana. Ciacouius in Vitâ. & Alii.

ANNO 1191.

SEDENTE COELESTINO III. PONT. MAX.

De

HUGONE SEU HUGUTIONE ROMANO S.R.E. CARDINALE.

HUGO, sive Hugutio, Romanus de Regione Arenulæ litterarum cognitione cum quolibet ævi sui doctissimo faciè comparandus: à Cœlestino III. in Sacrum Collegium assumptus, Presbyter Cardinalis SS. Silvestri & Martini in Montibus titulo Equitii renunciatus est. Hunc patriâ Vincentinum ex Bobonum familiâ inter Romanos nobilissimâ (quæ Orbi Christiano ipsum Cœlestinum III. Romanum Pontificem, alios- L. *Cardinalis titulo Equitii à Cœlestino III. renunciatur.*

que

que præclaros utriusque Status Viros dederat) progenitum fuisse, contendunt clari Auctores Ciaconius, & Caracciolus.

Panvinius quasi subdubitans, Hugutionis cognomen, genus, & patriam silentio præterit; imò in Serie S.R.E. Cardinalium à Cœlestino creatorum Nicolaum Diaconum S. Mariæ in Cosmedin patriâ Romanum, gente Bobonem, & Cœlestini Nepotem clarè pronuntiat; Hugutionis verò nostri nudum dumtaxat nomen, & titulum Equitii (suppressis genere, patriâ, & Cœlestini cognatione) exprimit. Neque enim hujusmodi cognationem præteriisset, aut subticuisset, si Hugutionem aliquâ propinquitate, vel proximâ, vel remotâ Cœlestino Pontifici conjunctum fuisse censuisset.

Ob doctrinæ præstantiam Judex causarum arduarum constituitur ab Innocentio.

Ad hunc humani divinique Juris peritissimum, longeque doctissimum Cœlestinus, & Innocentius III. exortas quascunque controversias, litigia, & causas arduas, ut illas cognosceret, dirimeret, decideretque referre, & rejicere consueverunt. Grassatores nonnulli, qui sacrilegas manus Episcopo Herbipolensi injecerant, facti pœnitentes Romam venerunt ad exorandam ab Innocentio Pontifice tanti sceleris veniam, quos ille non admissos eâ lege ad Hugutionem causarum Judicem remisit, ut probè examinatos, pœnâ noxæ pari afficeret. Hugutio quæstioni admotos, reosque inventos, condonatâ vitâ, hanc in eos sententiam pronunciavit: ut in pœnam sacrilegi facinoris per Urbis vias, ac plateas, aperto capite, nudis pedibus, subuculâ tantùm induti, reste à collo pendente certis hebdomadæ diebus procederent. Vetuitque, ne arma imposterùm sumere, deferre, aut tractare, nisi contra Saracenos Ecclesiæ hostes, præsumerent; nevé ad secundas nuptias, si viduos esse contingeret, inconsultâ Sede Apostolicâ, transitum facerent.

Pœnam statuit in Interfectores Episcopi Herbipolensis.

Ecclesiam SS. Silvestri & Martini in Montibus exornat.

Marmoreos umbones erexit Hugutio in Titulô Ecclesiæ suæ, quos alii tamen restauràsse, vel ornàsse tantùm, hac inscriptione ducti, credunt:

Hugutio sumens à Cardine nomen honoris,
Presbyter hac Sponsæ dedit ornamenta decoris,
Tempus habes operis venientis Salvatoris
Annum millenum priorum conjunge ducentis.

Excitat Christi fideles adversùs Miramolinum, Mahometanorum Tyrannum.

Cùm Innocentius III. Anno Salutis 1211. cognovisset Miramolinum, maximum; & potentissimum Mahometanorum Regem ingenti Classe in Hispaniam trajecisse, Hugutioni provinciam demandavit publicandi edictum, quo Christiani omnes, qui bello impediti non essent, & arma ferre possent, ad extinguendum tantum incendium concitarentur. Eo permoti convenerunt multa millia tum Gallorum, tum Germanorum cruce signatorum, Hispanis bello lacessitis opem allaturi. Ubi verò adventum suum Hispanis minùs gratum, & non necessarium senserunt, positis armis ad sua in patriam remeârunt. Horum regressu Miramolinus elatior factus, trecentis & quinquaginta pugnatorum millibus utriusque Hispaniæ Oras hostilem in morem invadens, & Arelatum usque, atque Avenionem pertingens, incendiis, cædibus, rapinis, atque populationibus omnia complevit. Qua calamitate perciti tres Hispaniæ Reges, Alphonsus IX. Castellæ, Petrus II. Aragoniæ, & Sanctius Navarræ, con-

Miramolinus ingenti 350000. Virorum exercitu Hispaniã hostiliter invadit, & depopulatur.

conjunctis copiis in Montibus Marianis cum Hoste communi Saracenô die XVI. Julii Anno Salutis 1212. magnô animô congressi, ducentis hostium millibus cæsis, præter innumeros utriusque sexûs captivos, & opimam auri, argenti, equorum & camelorum, aliarumque pretiosarum rerum prædam, miram, maximeque memorabilem Victoriam adepti sunt. Ex Christianis (mirum dictu!) viginti quinque dumtaxat desiderati. Intra septa Miramolini fuerunt centum quadraginta concubinæ cum pedissequis, thesaurus ingens, triginta Reges Agareni, tria millia camelorum ferreis catenis invicem conglobata, lixarum turba innumera, commeatus armorum, ciborumque copia immensa. Festivus hic dies Victoriæ miraculô partæ, *Triumphus Crucis*, appellatus, quotannis in Hispania summâ populi lætitiâ celebratur die decimâ sextâ Julii ad æternam rei memoriam, divinique Numinis honorem.

HUGO Cardinalis, qui ob eminentem utriusque juris cognitionem, *Primus Glossator Decretorum* nuncupari meruit, mortalitatem exuit Romæ, regnante Innocentio III. circà Salutis Annum 1213. Ejus corpus in Basilica SS. Silvestri & Martini, quorum gerebat Titulum, tumulatum est. *Obitus ejus & Scripta.*

Scripsit omnium primus Glossam in Decreta, &c. aliaque multa ad Jurisprudentiam spectantia.

Ejus mentionem faciunt Ciaconius in Vitâ. Antonius Caracciolus in Vitâ B. Cajetani Toienai. Panvinius in Chronicis. Floravantes Martinellus. Chronicon Hirsaugiense ad annum 1204. Aliique nonnulli.

ANNO 1191.

SEDENTE COELESTINO III. PONTIF. MAXIMO.

De

JOANNE CAMPANO
S.R.E. CARDINALE.

JOANNES Campanus, patriâ Salernitanus, Monachus Cassinensis ob doctrinæ, morumque præstantiam à Cœlestino III. in Sacrum Cardinalium Senatum adscitus, Titulum S. Stephani in Cœlio monte obtinuit. Cœlestini jussu Germaniam adiit Sedis Apostolicæ Legatus, ad componendas graves quasdam controversias in detrimentum Romanæ Ecclesiæ exortas, & immunitati Ecclesiasticæ repugnantes: iis feliciter compositis Romam reversus, sublatô è vivis Cœlestinô, à decem præcipuis Cardinalibus Romanus Pontifex electus, & proclamatus est. Ille ad evitandum Schisma (quod jam jam, obloquentibus factiosis Cardinalibus, gliscere cœperat) electioni suæ liberè cedens, cum iisdem Cardinalibus, qui ipsum Romanum Pontificem designaverant, Lothario Diacono SS. Sergii & Bacchi Cardinali, Viro integerrimo, doctissimoque (qui posteà Innocentius hujus nominis Tertius appellatus est) suffragium dedit. Innocentius in Pontificem assumptus grati- LI. *A Cælestino III. Cardinalis in Cælio monte creatur, & in Germaniam legatur. Pontificatû sibi delatum, in Lotharium Cardinalem Diaconum transfert.*

Variis Legationibus strenuè perfungitur.

tudinis ergò variis eum beneficiis, dignitatibus, & Legationibus auctum misit primò in Regnum Neapolitanum unà cum Gerardo Diacono Cardinali S. Hadriani, ut Regni illius Civitates omnes, ac Principes in Marcualdum Romanæ Ecclesiæ infensissimum hostem concitaret. Hôc officiô perfunctus, relictâ Neapoli transiit in Regnum Siciliæ, ut Insulam res novas molientem, sub interdicti pœnâ, in ordinem redigeret, atque in obedientia contineret, tum quòd supremo jure ad Ecclesiam spectaret, tum quòd ex testamento Constantiæ Augustæ, Fridericus Rex tutelæ Apostolicæ commendatus esset. Qua in Legatione, singulari fidelitatis specimine, Virum se maximè probum, fortem, & Ecclesiasticum præbens suâ industriâ effecit, ut Comes Lamestensis, Magister Justitiæ palàm emissô juramentô spoponderit, se semper Romanæ Ecclesiæ imperiis pariturum.

Avaritiæ notâ inuritur ab Hoveduno Historico Anglicano.

In Scotiam exinde, Angliam, Hiberniam, aliasque adjacentes Insulas ad cognoscendas Ecclesiarum causas, Legatus missus, munere suo strenuè quidem, sed non absque turpi avaritiæ nota perfunctus proditur à Rogerio Hoveduno in Historia Anglicana. *Siquidem ibi allapsus* (sunt verba Rogerii) *non manducavit carnem, vinum & siceram non bibit, nec aliquid, quod inebriare posset, sed aurum & argentum sitivit:* quo onustus, & inescatus Romam reversus est. Deploranda sanè complurium Ecclesiasticorum conditio, qui reliquis vitiis superatis, avaritiæ sordibus perliti, insanæ cupiditati pecuniæ, cum summo aliorum scandalo, suæque animæ detrimento, turpissimè succumbunt! Tanta hæc pestis est, ut viros nonnunquam etiam Religiosos, paupertatem, & mundi contemptum solemni sacramentô professos inficiat; & obloquentium vituperio expositos, despicabiles, vilesque reddat.

Fœdum in Anglia, & Hibernia abusum tollit.

Obitus Ejus.

Ad Joannem hunc in Anglia & Hibernia Legatum agentem complures Innocentius Pontifex dedit epistolas, monens inter cætera, ut fœdum illum in Hibernia vigentem abusum, latis etiam legibus, proscribat; quo filii & nepotes patribus, atque avis in Ecclesiasticis Beneficiis succedebant. Id quod egregiè præstitit, gravi in transgressores pœnâ denunciatâ. Fatô denique functus est Romæ, sedente in Petri Cathedrâ Innocentio III. circa Annum Redemptionis nostræ 1210. ibidemque sepultus. Vir cæteroquin pius, doctus, rerumque agendarum in paucis peritus.

Ejus meminêre Gregorius Abbas Passinianus de Canonizatione S. Joannis Gualberti. Rogerius Hovedunus in Annal. Anglic. Baronius, & Odericus Raynaldus in Ann. Ecclesiast. Panvinius in Chron. Ciaconius in Vitâ. Ughelius, & Oldoinus in additionibus ad Ciaconium. Alii&.

ANNO

ANNO 1191.

SEDENTE COELESTINO III. PONTIF. MAXIMO.

De

ROFREDO DE INSULA S. R. E. CARDINALE.

ROFREDUS, dictus de Infula, natione Campanus, patriâ Arpinas, profellione Monachus, dignitate Abbas LII. Caffinenfis. Vir ævô fuô doctiffimus, utpote in omni litteraturâ, prophanâ & Ecclefiafticâ mirè excultus. Quem Ciaconius brevi quidem, fed nervosô, & eleganti elogiô pofteritati in hæc verba commendat: *Fuit Rofredus ingentis animi, alti confilii, admirandæq; fapientia, & fortitudinis vir.* Ob hafce pulcherrimas animi dotes à Cœleftino III. Anno Salutis 1193. purpurâ, & titulô Presbyteri Cardinalis SS. Marcelli, & Petri donatus, Henricum VI. Cæfarem cum uxore Conftantia Caffinum Religionis, & voti causâ adeuntem, omnibus humanitatis, & obfequii officiis excepit; Eundemque Caffinô in Germaniam redeuntem nobili comitatu Tridentum ufque profecutus eft. Sumpto deinde ipfius Henrici inftructiffimo exercitu, Italiam formidandus repetiit, aggreffurus Tancredum Siciliæ Regem, aliosque Jurium Cœnobii Caffinenfis invafores & ufurpatores, quos acie devictos, fuisque finibus ejectos retrocedere coëgit. Aliquot poft annos cùm bellum iterum, movente Tancredô, recrudefceret; novo confcripto milite, & veteri redintegrato Regis audaciam cum complicibus, commifsô prœliô compefcuit; ac præter alia Cœnobii fui Caftella recuperata, Germanenfium etiam Urbem è Diopuldi Ufurpatoris manibus eripuit: quam firmo mœnium foffarumque ambitu circumdatam, hoftibus deinceps, fi fortè negotium faceffcrent, formidabilem reddidit. Fractarum, Caftri novi, & Fragellarum Oppida recuperavit; Arcem Janulæ muris, ac turribus adversùs hoftium infultus circumvallavit. Soram aliaque Romanæ ditionis loca, ab iniquo Tyrannorum dominatu vindicata, Sedi Apoftolicæ magnâ fui nominis gloriâ reftituit. Quare tum à Cœleftino, tum ab Innocentio III. Romanis Pontificibus quamplurima, & maxima beneficia in vicem gratitudinis, & præmii pro bonô Monafterii Caffinenfis obtinuit, & illud in primis: ut Ufurpatores facultatum Cœnobii (ubicunque demùm terrarum effent) ex plenitudine conceffi privilegii, interdictô fubjicere, & anathemate percutere poffet.

LII.

Vir doctiffimus à Cœleftino Tertio Cardinalis renunciatur.

Caffini Henricum Imper. cum Uxore fummis honoribus excipit.

Tancredum Siciliæ Regê acie vincit; aliaq; memorabilia præftat.

Maximis donis, beneficiis, ac Privilegiis cùm à Pontifice, tum à Cæfare afficitur.

Henrico Augufto accceptiffimus fuit, cujus fummam erga fe, totumque Caffinenfe Sodalitium benevolentiam, ac regiam liberalitatem, evidentiffimis amicitiæ fignis, non femel expertus eft. Nam ut munera pretiofiffima, quibus Imperator Cœnobium infigniter auxit, miffa faciam; donata funt ei plura inclyta Oppida & Caftra, inter quæ eminent Antinum, Rocca Guillelmi, Malvetum, Rocca Albani, & Vandræ. Decretum quoque, ac fancitum ab eodem Cæ-

ſare in Rofredi favorem eſt, ut Principes Viri per Italiam, quicunque ipſum quoquô pactô læſiſſent, fruſtrà de reditu in gratiam tentarent; aut favorem ullum ſperarent, niſi Rofredo deprecatore apud eundem niterentur.

Ab Innocentio III. ob non correctam Monachorũ diſſolutam vitam reprehenditur.

Ad hunc Innocentius III. frequentes litteras dedit, quæ in ejus Regiſtro extant: in quarum unâ duriùs eum reprehendit, quòd monaſtici Ordinis Diſciplinam in Cœnobio Caſſinate plùs æquô relaxari permitteret, hortaturque ad collapſæ regularis obſervantiæ reſtitutionem. Verba Innocentii hæc ſunt: *Super hoc tu non videris alienus à culpa, qui, cùm tibi ſit ipſius Eccleſia cura commiſſa, culpam negligis corrigere ſubditorum; quia juxtà verbum Sapientis, ubi non eſt gubernator, populus corruit, Paſtoris incuriam diſſolutione ovium accuſante.* His ſtimulis incitatus, cùm Cœnobium Divi Pauli propè Urbem inſigne & magnificum, ejuſdem Innocentii juſſu, ſedulò viſitâſſet; puriore monaſtici cultûs obſervantiâ, & frequentiore Sodalium numerô multò perfectius, celebriuſque reddidit. Legationis munere ex eadem cauſâ functus eſt in Regno Siciliæ, ut nimirùm primævum ſanctitatis florem, qui in Monaſteriis nonnullis paſſim emarcuerat, ſuâ induſtriâ revocare; nimiamque Religioſorum diſſolutionem, ac libertatem, qui è Clauſtrorum ſeptis impunè evagabantur, ad normam Regulæ adſtringere ſatageret. E Sicilia profectus in Arragoniam, à Petro II. recèns in Regem Arragoniæ inunctô, & coronato Sacramentum fidelitatis pontificio nomine excepit, quod erat tale:

Correctus ipſe alios corrigit.

A Petro II. Arragoniæ Rege Juramentum fidelitatis ſuſcipit.

Ego Petrus Rex Arragonum profiteor, & polliceor, quòd ſemper ero fidelis, & obediens Domino Papa Innocentio, ejusq; Catholicis Succeſſoribus, & Eccleſia Romana: Regnumq; meum in ipſius obedientia fideliter conſervabo, defendenſurus fidem Catholicam; & Hæreticam pravitatem perſecuturus; ac jura Eccleſia cum omni libertate & immunitate Eccleſiaſtica tuiturus; nec non in omni terra mea poteſtati ſubjecta pacem, & juſtitiam ſervaturus: Sic me Deus adjuvet, & hac ſancta Dei Evangelia.

Obitus Ejus.

Tandem cùm Cœnobio Caſſinenſi, magnâ regiminis laude, præfuiſſet annis viginti, & menſibus undecim, è vita ereptus eſt tertio Kalendas Junii, Anno reparatæ Salutis 1209. ſepultus Caſſini. Cui communibus votis ſubrogatus eſt Petrus cognomentô Comes, pariter Campanus, qui & ipſe ob vitæ meritum & ſapientiæ laudem ab Innocentio III. renunciatus Cardinalis Othonem IV. Imperatorem Caſſinum inviſentem, quo decuit honore & munificentiâ excepit: à quo, ne unquam ex poſſeſſione Oppidorum (Rofredi induſtriâ Caſſinenſi Cœnobio aſſertorum) Monachi expellerentur, privilegium obtinuit. Petrus anno regiminis ſecundo diem ſupremum obiit Caſſini circa Annum Domini 1211.

Ei in Præfecturâ Caſſinenſi ſuccedit Petrus cognomento Comes, Vir egregius.

Rofredi Cardinalis memoriam celebrant Arnoldus Wion in Lignô vitæ. Ciaconius in Vitâ. Marcus Antonius Scipio in Elogiis Abbatum Caſſinenſium. Tabularium Caſſinenſe. Aliiq; pauci.

ANNO

ANNO 1191.

SEDENTE COELESTINO III. PONT. MAXIMO.

De

JOANNE COLUMNA S. R. E. CARDINALE.

JOANNES, cognomento de S.Paulo, ex illustri Columnensium familiâ, Patre Eduardo Romæ genitus, Vir scientiâ litterarum, & dicendi facundiâ clarus; at puritate vitæ, animique integritate longè clarior, suique rigorosissimus censor, ac vehemens castigator, à Cœlestino Tertio (cui meritorum intuitu charissimus erat) sacrâ Purpuræ dignitate ornatus, Presbyter fuit primò Titulo S.Priscæ; deinde Episcopus, Innocentio Tertio favente, Ecclesiæ Sabinensis. LIII.

A Cœlestino III. Presbyter Cardinalis S. Priscæ; deinde ab Innocentio III. Cardinalis Episcopus Sabinensis renunciatur.

Legatione in Agro Piceno cum Hugutione Cardinali, ejusdem Innocentii jussu, cùm fungeretur, Marcualdo infensissimo Ecclesiæ hosti, admonito priùs, nec resipiscenti sacrorum usum interdixit; eôque pulsô, Provinciam illam, iniquô dominatu liberatam, Romanæ Ecclesiæ asseruit. In Gallia ad Philippum Regem, qui sine causâ Ingelbergam Uxorem, Daniæ Regis filiam, prætextu Sanguinis propinquitatis, thorô ejecerat, legatione functus, sacrorum interdictionem minitatus est, nisi, dimissâ mox adulterâ, malè repudiatam conjugem reciperet. Reginæ verò justissimum dolorem, ex hoc repudio conceptum, luculentâ epistolâ, consolationis plenâ, mitigavit, & absterlit.

Legatus Apostolicus constitutus, Principes exorbitantes censuris terret, & in ordinem redigit.

In Germania ad Imperii Principes, & in Sicilia, post Constantiæ Augustæ obitum, variis egregiè perfunctus legationibus, magnam sui Nominis famam apud posteros excitavit. S. Franciscum Seraphici Ordinis Auctorem tenerrimô mentis affectu, quoad vixit, excoluit. Ejusque præclarum Ordinem per Orbem sparsum (cujus primus, & mirus Protector fuit) omnibus, quibus potuit, charitatis officiis, & obsequiis prosecutus est. Cumque Divus Franciscus Regulæ, quam pro suis jam jam concinnaverat, approbationem ab Innocentio Tertio efflagitaret; Innocentius verò, quorundam instinctu, suspicionem subesse ratus, confirmationem anxiè differret, dubium omne, ac contradictionem è medio sustulit Joannes: *qui divinô Spiritu inflammatus*, ut inquit S.Bonaventura, *summo Pontifici & fratribus suis dixit. Si petitionem pauperis hujus tanquam nimis arduam, novamq; refellimus, cùm petat sibi confirmari formam Evangelica vita, cavendum est nobis, ne in Christi Evangelium peccemus. Nam si quis intra Evangelica perfectionis observantiam, & votum ipsius dicat contineri aliquid novum; aut irrationabile; vel impossibile ad servandum, contrà Christum Evangelii Auctorem blasphemare convincitur.* Hujusce Joannis laudem idem S.Bonaventura celebravit his verbis: *Aderat autem inter Cardinales Vir venerandus Dominus Joannes de S. Paulo, Episcopus Sabinensis, omnis sanctitatis amator, & adjutor pauperum Christi.*

S. Franciscũ Seraphicum, ejusq; Ordinem mirò amore & cultu prosequitur.

A. S. Bonavẽtura singulari encomio celebratur.

 Præ-

Prædicto Joanni, jam jam Episcopo Sabinensi renunciato Innocentius Pontifex omnia jura ejus Ecclesiæ restituit, quæ Conradi Prædecessoris (de quô suprà numerô 40.) longâ absentiâ vel ablata, vel labefactata fuerant. Cœlestinus verò III. tanti Joannis virtutes fecit, ut illum Cardinalibus omnibus, morti licet proximus, anteferre non dubitaverit. Rogerium in hanc rem apud Baronium audiamus: *Dominus Papa Cœlestinus ante Natale Domini paulatim cœpit agrotare, & convocatis coram se Cardinalibus universis præcepit, ut tractarent de Successore eligendo. Ipse autem nitebatur modis omnibus, ut Dominus Joannes de S. Paulo Presbyter Cardinalis tituli S. Priscæ ei succederet in Papatu, de cujus sapientia, sanctitate, & justitia plurimùm confidebat. Adeò enim ipsum præ cæteris diligebat, quòd illum loca sui constituerat ad omne officium suum exequendum, nisi in Consecratione Episcoporum, quod pertinebat ad officium Episcopi Ostiensis Cardinalis. Præterea præfatus Papa obtulit, quòd ipse seipsum deponeret à Papatu, si Cardinales consentirent in electionem præfati Joannis à S. Paulo. Sed omnes Cardinales una voce responderunt, inauditum esse, summum Pontificem se ipsum deponere.* Ex quibus laus magna utique Joanni nostro accrescit, qui tam præclarum de se Judicium à moriente sanctissimo Pontifice præ cæteris meruit obtinere.

A Cœlestino III. morti proximo in Successorem proponitur.

Affuit Joannes Canonizationi Joannis Gualberti Monachorum Vallis-Umbrosæ Institutoris, cujus supra, numerô 46. in vitâ Pandulphi Pisani mentionem fecimus. Ipse verò sanctis operibus illustris mortalitem posuit extremis Innocentii Tertii temporibus Anno redempti Orbis 1215.

Canonizationi S. Joannis Gualberti interest.

Piè moritur.

Ejus meminere Baronius in Annal. Rogerius Hovedenus in Annal. Anglic. Lucas Waddingus Tom. 1. Annal. Min. Ciaconius in Vita. Aliiq.

ANNO 1191.

SEDENTE COELESTINO III. PONTIF. MAX.

De

PETRO CAPUANO
S.R.E. CARDINALE.

LIV. PETRUS Capuanus, Amalphitanus, Theologiæ Magister insignis, Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Via-lata primùm à Cœlestino Tertio, posteà Presbyter Cardinalis titulo S. Marcelli ab Innocentio Tertio, Cœlestini Successore, creatus claruit scientia, virtutibus, & legationibus multis, quarum primam obivit ultimis Cœlestini temporibus in Regno Siciliæ; alteram ad Philippum II. Galliæ Regem, ut malè contractum ejus cum Moraviæ Ducis filia (quam legitimo thoro superinduxerat) conjugium dissolveret; & districtis Ecclesiæ censuris Regem ad recipiendam Ingelbergam Reginam compelleret: utque cruce signatas fidelium copias pro Terræ sanctæ recuperatione congregaret; ac demùm pacem Francos inter & Anglos conciliaret. Petrus, ut erat Vir rerum agendarum peritissimus, consiliô manuque promptus, rem Chri

Cardinalis renunciatus, multis Legationibus pro bono Ecclesiæ perfungitur.

Christianam adeò felici successu promovit, ut brevissimo tempore maxima fidelium multitudo arreptis armis adversùs Saracenos concurrerit. Ne verò concursus ille à Rege Galliæ cum Anglo diffidente, quovis pacto impediretur, compulsus est Philippus ad quinquennium cum Anglorum Rege inducias pacisci. Extant hac de re binæ Innocentii Litteræ tum ad Petrum Legatum, tum ad Philippum Regem Anno 1199. datæ, quibus pactas ad quinquennium inducias approbat, & confirmat: Ipsiusque Petri fidem, sinceritatem, sollicitudinemque plurimùm commendat: & Regem Francorum, ut easdem sanctè observet, hortatur.

Divione Burgundiæ Metropoli Petrus Concilium primò celebravit contra conjugium Philippi Regis cum introductâ Pelice initum. At cùm tutò in Philippi ditione rem tantam agitari non posse probè cognosceret, atque etiam pertimesceret, Viennam se contulit, ubi restauratô priori Conciliô Interdicti sententiâ Gallias percussit: de quo Rigordus illius temporis Scriptor hæc habet: *Anno 1199 mense Decembri in Festo S. Nicolai convocatum est Concilium apud Divionem à Petro Cardinale omnium Episcoporum, Abbatum & Priorum totius Regni. Sed quia contra Regem Franciæ Regnum sub Interdicto ponere moliebatur, à Nunciis Regis ad Romanam Sedem est appellatum. Ipse tamen Cardinalis Appellationi non deferens* (idipsum jusserat Pontifex, ut ejus perhibent acta) *in eodem loco astantibus Episcopis universis sententiam protulit, sed usque ad vigesimum post Nativitatem Domini diem non esse publicandam præcepit.* Transactis autem viginti à Nativitate diebus, totum Regnum Regis Francorum interdicto subjecit, quo audito, Rex in furias actus, Episcopos omnes, qui Interdicto consenserant, injuriis affectos à propriis Sedibus deturbavit, qui tamen non multò pòst delinitô Regis animô revocati, pristinæ sunt dignitati restituti, vigente nihilominùs in Regno Galliæ interdictô. Ita Rigordus, à quo non dissentiunt S. Antoninus in Chronico, & Jacobus Meyerus in Annalibus Flandriæ. Cur autem solius Divionensis Synodi mentionem fecerit Rigordus, ea fortasse non incongruè ratio reddi posset, quòd Viennensis Synodi Acta, Divionensis potiùs supplementum, quàm novum Concilium videri potuerint.

Divione Concilium celebrat contra Philippum Galliæ Regẽ ob repudiatam Uxorem, Ejusq. Regnũ interdicto supponit.

In Cyprum deinde primò, & exinde in Syriam cum cruce signatis Petrus Apostolico jussu delatus multos in ea Insula abusus inolitos sustulit, ac bellum Pelusii Pisanos inter & Ianuenses accensum extinxit. Ejus operâ Sacrum Divi Andreæ Apostoli corpus Constantinopoli Amalphim translatum est: Petrus enim Legationis munere perfunctus in Orientalibus Plagis, patriam suam tanto munere decorare voluit.

In Cypro Legatus multa egregia operatur.

Sacrũ Divi Andreæ Apost. Corpus Amalphim Constatinop. transfert.

In Polonia quoque atque Boëmia Legatione functus reperitur, ubi habitis Synodis corruptelas plurimas, quæ in detrimentum Religionis Christianæ introductæ fuerant, sustulit: & Sacerdotibus concubinas, (quibus tum passim fœdò exemplò utebantur) sub gravissimarum interminatione pœnarum interdixit: statuit pariter, ut profani homines publicè in Templo; seu in facie Ecclesiæ, matrimonio jungerentur: quam constitutionem posteà Concilium Tridentinum approbans, Universali Ecclesiæ observandam præscripsit.

Legatus in Polonia salubria Decreta pro Cleri reformatione edit.

Petrum

In Agro Pisano Romam redux Bonis spoliatur.

Petrum ex hac Legatione redeuntem Guillelmus Pallavicinus in agro Placentino aggressus, bonis omnibus spoliavit. Qua de re cùm Legatus apud Consules Placentinos fuisset conquestus, Guillelmo quasi colludentes nihil id curâre sunt visi. Eapropter Innocentius Pontifex indignatus, Placentiam interdicto supposuit; Episcopum verò Placentinum Ravennati subjecit, & ob eam rem Legatum in Galliam Cisalpinam Gregorium Diaconum Cardinalem misit, qui à Placentinis satisfactionem Legato præstandam exigeret.

In honorem B. V. Mariæ, Hospitale condit, & dotat.

Eximio in Virginem Deiparam amore ardens, Domum Pauperum in Civitate Amalphitana sub Titulo *Sanctæ Mariæ de Hospitali* construxit; eamque largis admodum muneribus & proventibus dotatam, sub cura, regimine, & protectione cruciferorum constituit: in qua languentes, ac debiles, aliique id genus calamitosi homines utriusque sexûs temporalium solatio destituti, misericorditer alerentur, & salutiferis fruerentur auxiliis. Hanc ipsam domum deinde moriturus, prædiis & possessionibus ditatam, pauperum Christi obsequiis perpetuò mancipavit.

Ejus singulare encomium affertur.

Extat in ea nobile monumentum; in quo Petrus Cardinalis, tum ob generis splendorem; tum ob legationes strenuè gestas; tum ob egregias animi dotes summis laudibus extollitur: est autem tale: *Petrus S. R. E. Cardinalis, Tituli S. Marcelli Presbyter genere, scientiâ, moribus, virtutibus, legationibus, & vita honestate, in Romana Ecclesia, veluti Lucifer inter astra nitebat.*

Ejus obitûs dies certus asseritur.

Anno Dominicæ Incarnationis 1209. subscriptione sua firmavit Innocentii Tertii Diploma, datum die xi. Augusti Abbati Monasterii S. Mariæ de monte Virginis: quod fideliter transcripsit sua in Historia Vincentius Verax. Ex quo erroris aperti convincuntur ii, qui cum Floravante Martinello Petri obitum ad octavum Maij diem Anni 1209. referunt. Non enim nisi post undecimam diem Augusti Anno 1209. Petrus Romæ extinctus putandus est: Ita Inscriptiones, & monumenta, ad perpetuam honoris ejus memoriam erecta, clarè evincunt, & indicant.

Quæ scripsit.

Scripsit, teste Cortesio, egregia in Jus Pontificium commentaria, & Orationem insignem, qua Angliæ, & Galliæ Reges ad bellum Asiaticum capessendum, odiaque internecina deponenda, præter omnium spem, adducti sunt.

Ejus meminère Odericus Raynaldus in Annalibus Martinus Polonus in Chronico. Hippolytus Marraccius in Purpura Mariana. Floravantes Martinellus in addit. ad Ciacon. Paulus Cortesius de Script. doctis Cardinal. Ciaconius in Vita. Ughellius. Oldoinus. & Alii.

ANNO

ANNO 1191.

SEDENTE COELESTINO III. PONT. MAX.

De

ALBERTO LOTHARINGIÆ DUCE, ET MARTYRE, S.R.E. CARDINALE.

ALBERTUS Godefridi III. Lotharingiæ, & Brabantiæ Ducis ex Margaritha Limburgica filius, atque Henrici IV. Brabantiæ, & Lotharingiæ Ducis frater germanus, Archidiaconus Ecclesiæ Leodiensis in ipso Juventutis flore designatus, cùm virtutibus omnibus, quæ Principem Ecclesiasticum quàm maximè condecorant, morum integritate, prudentiâ, charitate, & pietate vigeret; litterisque insuper cùm sacris, tum prophanis, ac præcipuè dicendi copiâ præstaret, Anno salutis 1191. (viduatâ Pastore Ecclesiâ Leodiensi) saniori Canonicorum suffragio, cum Principum vicinorum consensu, ac Cleri Populique acclamatione electus est Episcopus Leodiensis contra Lotharium Ecclesiæ Bonnensis Præpositum, cui Cæsar Henricus hujus nominis sextus; & Balduinus Haynonensis Comes maximoperè favebant, ejusque partes (improbato, & ejecto Alberto) usque ad sanguinis effusionem pertinaci studio tuebantur. LV.

Omnigenæ Virtutis decore insignis, invito Cæsare Episcopus Leodiensis eligitur.

Albertus, intrusô per vim Lothariô, ad evitandam Cæsaris iram, cum fidissimis amicorum, peregrinô indutus habitu, Romanum iter clam aggressus, periculis omnibus, vitæque insidiis, quibus undique impetebatur, elusis (præponens Dei, & Ecclesiæ causam, suique muneris, & officii libertatem) Romæ, Deo protegente, allapsus est Anno 1192. Ubi, licèt Juvenis, tantâ prudentiâ, facundiâ, morumque gravitate tutatus est electionis suæ causam apud Cœlestinum III. ut is perpensis rationum ejus momentis, jus ab Alberto stare comperiens, & declarans, Lotharium ut illegitimum, & intrusum publicis tabulis rejecerit; Albertúmque mitrâ ornatum, suaque in sede confirmatum inter Diaconos Cardinales festivis cæremoniis adnumeraverit. Leodium Româ redeuntem annulo aureo, duabus magni pretii mitris, aliisque opimis muneribus donavit; utque salvus, & incolumis suam repeteret sedem, literis commendatitiis ad Brunonem Archiepiscopum Coloniensem, & Wilhelmum Rhemensem, aliosque Germaniæ Proceres datis, peramanter prosecutus est. Henricus Cæsar, intellectâ Alberti confirmatione, in furorem actus, omni eum studio persequi; & (ut illius ævi Scriptores loquuntur) in transversum agere annisus est. Albertus Româ digressus, rectâ se Rhemos in Galliam contulit: Ubi à Wilhelmo Rhemorum Præsule summâ lætitiâ, & honore exceptus; omnibusque humanitatis, & benevolentiæ signis excultus, ad mentem Pontificis, in Episcopum Leodiensem consecratus est. Quibus intellectis Henricus citatis equis Leodium devectus, furenti simi-

Romam, Cæsaris iram declinaturus confugit: ubi à Cœlestino III. ejus Electionem confirmante, Cardinalis renunciatur, ac muneribus afficitur.

A Wilhelmo Archiep: Rhemensi in Episcopum Leodiensem consecratur.

P lis

lis, ædes in primis Clericorum, qui Alberto favebant, hoſtiliter invehi, expilari, incendi, evertique juſſit: deinde ſubmiſſis Rhemos ſatellitibus necis inferendæ causâ, Albertum piiſſimum Principem, acerrimumque Eccleſiaſticæ Libertatis propugnatorem, ad aram conſiſtentem tredecim vulneribus confoſſum, immani crudelitate interemit. Albertus inter moriendum, ad exemplum Redemptoris, pro inimicis deprecans, ad ſuperos, martyrii laureâ decoratus, evolavit die 24. Novembris Anno reparatæ Salutis 1193.

A Sicariis, ab Henricò ſubmiſſis Rhemis in Eccleſiâ interimitur.

Die ſubſequenti Civitas tota luctu plena, & lacrymis madens confluxit ad Eccleſiam, ut Alberto innocenti, optimo, & ſanctiſſimo Principi extrema pietatis obſequia perſolveret. Maximâ funeris pompâ elatus, inque medio Eccleſiæ depoſitus, poſterûm memoriæ hoc meruit elogio commendari:

Solemnibus inferiis ſepelitur.

Legia *me legit; electum* Roma *probavit;*
Rhemis *ſacravit; ſacratum martyrizavit.*

Ejus Epitaphium.

Eccleſia Rhemenſis in Catalogo Mortuorum Albertum Epiſcopum, & Martyrem his celebrat verbis: *Obiit Albertus Leodienſis Epiſcopus piæ recordationis vir, auctoritate Apoſtolica Rhemis à Domino Wilhelmo Archiepiſcopo in Presbyterum ordinatus, & in Epiſcopum conſecratus: novem ſeptimanis, & duobus à conſecratione diebus elapſis, propè muros Civitatis Rhemenſis ab Allemannis traditoribus gladiis, ac cultellis interfectus.* Martyrologium Bruxellenſe eidem hoc contexuit encomium: *Apud Civitatem Rhemenſem Albertus Epiſcopus Leodienſis, Vir miræ ſanctitatis, frater Henrici Magni Lotharingiæ, & Brabantiæ Ducis, ob cuſtodiam Eccleſiaſticæ libertatis, de mandato Henrici Imperatoris interemptus occubuit.* In Sacrario Eccleſiæ Cathedralis S. Lamberti Leodienſis hæc extant exarata: *Sanctus Albertus Pontifex Leodienſis, & Martyr à Cæleſtino III. Papa. S.R.E. Cardinalis Diaconus Romæ conſecratus eſt, & impoſita capiti ejus mitra inter Purpuratos Patres juſſus conſidere Anno 1193 quo & Rhemis ob libertatem Eccleſiaſticam occiſus eſt.* Ejuſdem meminit etiam Martyrologium Romanum his verbis: *Rhemis S. Alberti Epiſcopi Leodienſis, ac Martyris, qui pro tuenda Eccleſiaſtica libertate necatus eſt.* Poſt conſummatum Martyrium ſtatim ſignis ſtupendis clarere cœpit, quorum nonnulla publicis tabulis evulgavit Ægidius Aureæ Vallis in vita ejuſdem. Præter vitæ ſanctitatem inſigni etiam floruiſſe doctrina, communis Auctorum, qui de illo ſcripſêre, ſententia eſt.

In variis Martyrologiis Poſterorum memoriæ commendatur.

Plurimis claret miraculis.

Quadringentos ampliùs annos ſacrum Alberti Martyris corpus jacuit humatum in Eccleſia Rhemenſi, nullo publico monumento, aut erecto ſepulchro honoratum, licèt multis in dies ſplendeſceret miraculis. Unde inſtante poſtmodùm Alberto Pio & Iſabellâ Auſtriæ, Belgii Principibus, die 4. Novembris Anni 1613. celebri pompa Rhemis Bruxellas translatum, in Ædibus ſacrarum Virginum Diſcalceatarum S. Thereſiæ honorificè conditum eſt, ſacra Lipſana ſui cognominis, & ſanguine juncti Martyris propriis humeris devehente Alberto Archiduce: & glorioſum funus comitantibus cum Clero populoque Guidone Bentivolo, Belgii Legato Apoſtolico, S.R.E. Cardinale aliiſque Principibus. De hac translatione Catalogus Epiſcoporum Leodienſium paucis loquitur in hæc verba: *S. Albertus S.R.E. Cardinalis, & Martyr, vir animo fortis, & in*

Sacrum ejus corpus ab Alberto Auſtriaco Rhemis Bruxellas transfertur & honorificè conditur.

adver-

adversis constantissimus, Ecclesiastica libertatis, pro qua etiam mortem oppetiit Anno 1193. defensor magnanimus, Rhemis Bruxellas, curante Alberto Archiduce Austriæ, & Belgii Principe, translatus est Anno 1613. cælestibus signis nobilis. Eodem Alberto Pio Belgarum Principe instante, & supplicante, Paulus V. Pontifex Maximus Albertum Episcopum Leodiensem inter Martyres vindicatos adscribens, Apostolico Diplomate colendum honore digno præcepit.

Henricus VI. Imperator, visis cœlestibus signis, ad Alberti tumulum patratis, facti pœnitens ad cor rediit; atque in resipiscentiæ argumentum duas nobilissimas Aras Leodii in principe Basilica erigi; amplissimoque stipendio dotari curavit, ut eo pietatis opere per interventum S. Martyris admisso scelere expiatus, veniam à Deo consequeretur. *Henricus VI. Imp. errorem suum agnoscens, cineres ejus singulari cultu prosequitur.*

S. Alberti Martyris præter allegata Martyrologia mentionem faciunt Antonius Sanderus in Elogiis. Petrus Frizonius in Gall. Purp. Odericus Raynaldus in Annal. Ecclesiast. Tom. 13. Chronicon Magnum Belgicum. Aubertus Miraus in Vitis Belgiæ Princip. Thomas Cantipratanus. Ægidius Aureæ Vallis de Episcop. Leodiensibus. Ferdin. Ughellius & Oldoinus in addit. ad Ciaconium. Aliiq.

ANNO 1198.

SEDENTE INNOCENTIO III. PONTIF. MAXIMO.

De

LEONE BRANCALEONE
S.R.E. CARDINALE.

LEO Brancaleo Romanus, non minùs litterarum scientiâ, quàm generis nobilitate clarus, ex Canonico Regulari Congregationis S. Fridani Lucensis, Diaconus primò Cardinalis S. Luciæ in Septisolio; deinde Presbyter Cardinalis S. Crucis in Hierusalem ab Innocentio III. creatus, ob summam rerum agendarum peritiam Apostolicæ Sedis Legatus in Germaniam ac præcipuè Saxoniam cum Hugolino Anagnino Episcopo Ostiensi, Viro doctissimo (qui posteà Romanam Sedem adeptus Ecclesiam Catholicam sub nomine Gregorii IX. Anno Salutis 1227. egregiè illustravit) missus, pacem inibi seditionibus, bellis, & Schismate turbatam, maximo Reipublicæ Christianæ emolumento conciliavit: teste Conrado Abbate Urspergensi in Chronico ad Annum 1206. LVI. *Cardinalis ab Innocentio III. renunciatus, ac in Germaniam cum Hugolino Card. legatus missus pacem procurat.*

De his Legatis Innocentius Pontifex ad Germaniæ Principes, cùm Ecclesiasticos, tum Sæculares, plenas paternæ solicitudinis, & pietatis litteras scripsit, quibus, ut acta loquuntur, *Animi sensus illustrat, paternum suggerit consilium, legatosq; suos, uti viros probos, doctrinâ & prudentiâ conspicuos* plurimùm iis commendat. Hi enim Philippum Augustum Cæsarem, jam jam ad bonam frugem utcunque reversum Ecclesiæ vinculo, quo innexus fuerat, jussu Innocentii solverunt; Brunonem Archiepiscopum Coloniensem carcere exemerunt; atque Othonem IV. cum Philippo Imperii æmulo certis conditioni- *Ab Innocentio Ambo ob morum doctrinaq; præstantiam Germania Principibus commendantur.*

Philippum Cæsarem anathemate; & Brunonem Archiep. Coloniensem carcere solvunt.

bus conciliârunt. Rem narrat Vaticanus Libellus m.s. his ferè verbis, *Innocentius Legatis injunxit, ut in fidelium communionem admitterent Philippum ea lege, ut præstitò prius juramentò Brunonem Archiepiscopum Coloniensem, quem captivum detinebat, carcere laxaret : & ad ineundam cum Othone æmulo suo pacem descenderet.* Cæteris quidem, nulla interposita tergiversatione, assensit Philippus, sed Brunonem Archiepiscopum liberare se posse negavit: ne, si id faceret, Adolphi, aliorumq; Principum (quorum operâ secundò Aquisgrani imperiali diademate fuerat redimitus) indignationem & odia incurreret.

Falsa quorundam de iis relatio rejicitur.

Narrant aliqui (malevolentiâ, non veritate ducti) Legatos à Philippo muneribus corruptos, relicto in vinculis Brunone, ipsum anathemate absolvisse; deinde ad Othonem profectos, majori, atque par erat, verborum acrimoniâ, ut de pace cum Philippo transigeret, commonuisse: quibus ille, fraudis haud ignarus, subjecerit : *præclarè rem agi, si Apostolica imperia fuissent executi:* ac mox litteras Innocentii in medium productas iis, ut legerent, obtrusisse, in quibus de Philippo absolvendo, pacificandoque, ac Brunone liberando sermo erat. Tum in iras efferatum, ipsos jam jam confusos proditi muneris arguisse ; ac ut se protinùs è conspectu subducerent, præcepisse. Eos proinde metu perculsos è vestigio ad Philippum rediisse; significasseque errore se lapsos, nec tenere ejus absolutionem, nisi Brunonem è vinculis eximeret; ac Philippum eâ de causâ libertati Brunonem reddidisse.

Vera ex Innocentii Litteris adstruitur.

Verùm relata hæc calumniæ suspicione non carent, cùm de Legatorum lapsu nec Innocentius, nec quisquam alius ex Antiquioribus mentionem ullam faciat. Imò Pontifex ipse hoc præcipuè Legatis dat laudi, quòd despectis muneribus commissum sibi munus strenuè adimpleverint; & in executione mandatorum Justitiæ ac integritati studuerint. Ipsum Pontificem audiamus : *Largitori,* inquit, *omnium gratiarum grates referimus copiosas, quòd tantam vobis tribuerit gratia largitatem, ut injunctum vobis legationis officium, onus non mediocre continentis, prudenter & honestè gesseritis, sicut laudabile vobis testimonium perhibetur, & ipse rerum protestatur effectus. Licèt autem hoc propter Deum principaliter procuraveritis, quia tamen & propter nos specialiter vos id egisse minimè dubitamus, præter retributionem divinam, nostram quoque gratiam fiducialiter exspectetis, præsertim cùm pro certò sciamus, vos manus vestras ab omni turpi munere penitùs excussisse.* Hæc Innocentius, cui utique, tanquam rerum maximè gnaro, fides potiùs adhibenda, quàm cuipiam alteri Scriptorum, præsertim suspectorum, aut malevolorum. Hi ergo Legati solutis anathemate Philippo; & carcere Brunone, pacis fœdera inter duos Reges (habitô priùs Quintolingeburgi, Saxoniæ oppido, Conventu) eâ lege inierunt, ut Otho Philippi filiam in uxorem duceret, dispensatione super quarto consanguinitatis gradu, à Sede Apostolica, obtentâ: Otho verò Imperii titulis, vivente Philippo, abstineret.

Philippus, & Otho certis conditionibus conciliantur.

Eundem Brancaleonem Innocentius in Hungariam, atque Bulgariam legavit, ut Coloioannem Bulgarorum Principem Romani Pontificis nomine, regiô diademate insigniret, eundemque vexillô, in quo signum crucis, & claves geminæ præferebantur, donaret.

At

At dum Legatus per Hungariam iter haberet, à Rege & Regni Principibus magnis quidem honoribus exceptus est. Sed cùm ad Regni limites pervenisset, transitum in Bulgariam ei Rex Hungarorum interclusit. Urebat enim ipsum, teste Bonfiniô, collati Bulgaro honoris dolor, cum quo apertas tum inimicitias gerebat. Quam injuriam Legato illatam cùm accepisset Innocentius, nonnihil commotus, has ad Hungarum monitorias protinùs dedit: *Heu! Fili charissime, ubi est regalis clementia! ubi religio Christiana! ubi specialis devotio! quam ad nos, & Romanam Ecclesiam prædicaris habere? mutatus est color optimus, & aurum in scoriam est conversum. Parcat igitur eis Deus, qui animam tuam tam pravo consilio seduxerunt, volentibus inter Regnum, & Sacerdotium discordiam seminare. Sed nos pro certò speramus, quòd aut per te ipsum jam errata correxeris, aut ad commonitionem nostram taliter emendaturus sis, ut injuria transeat in honorem, & offensa in gratiam revertatur.* Et non multis interjectis: *Benigniùs Tibi scribimus, quàm instans materia postularet, ne quis fortè litteras nostras inspiciens existimaret Apostolicæ Sedis favorem Tibi esse subtractum, quod utique utilitati, ac honori tuo non expediret; quia multa gesta sunt, & geruntur etiamnùm in Regno tuo, quæ si ducantur ad limam, correctionem expeterent graviorem, non solùm de voto tuo, captione fraterna, & electionibus Prælatorum, verùm etiam multis aliis, quæ ne nimiùm perturberis, ad præsens duximus supprimenda. Provideas ergo Tibi, ne in eam Te difficultatem inducas, de qua non valeas tam facilè expediri.* Strigoniensis Ecclesiæ suffraganeis deinde mandavit, ut Regem quoquo modo ad saniora capessenda consilia, & ad resarciendam Legato injuriam inducere niterentur: quod & factum, nam admonitus Rex, liberum Legato in Bulgariam transitum concessit. In hac legatione Brancaleo titulum Primatis Archiepiscopo Trinoviano ex Indulto Apostolico, concessit. Similiter tum Beletodiensi; tum aliis duobus Archiepiscopis, quos ex plenitudine Auctoritatis Apostolicæ ordinaverat, consueta pallia juxtà formam ab Innocentio præscriptam dedit. Quibus peractis, Regem Bulgarorum, ut dictum anteà, festiva celebritate, in conspectu totius Populi, Regnique Procerum, Sceptro, purpura, ac regio diademate ornavit. Hæc de Legationibus Brancaleonis, Viri, (ut Auctores illius temporis loquuntur) integerrimi, prudentissimi, sapientissimi.

Legatur in Hungariam, ubi quæ ei acciderint, & quæ gesserit, enarrantur.

Littera Innocentii III. ad Hungariæ Regem monitoria.

Nonnullos Archiepiscopos ordinat, & Palliis donat.

Regem Bulgarorum coronat.

Sancto Francisco Seraphico, ejusque sacræ familiæ, quoad vixit, mirè addictus fuit; illud præcipuè curans, ne quovis modo Minores alicubi molestiis, despectu, aut injuriis afficerentur; dictus propterea *Zelator Ordinis; defensor Virtutis; Christi pauperum Pater & Patronus.* Antequàm ab Urbe, Legationum in se decretarum causa discederet: Illum Franciscus die quadam pro more suo accessit, salutem & prospera in Germaniam eunti precaturus. Brancaleo adventu Viri sancti multùm lætatus rogavit, ne per dies aliquot moram apud se trahere gravaretur; vel ob id maximè, quòd inundantes aquæ, cœlique inclementia itinerantem in via facilè retardare possent. Renuenti Francisco, & causanti *non decere pauperes Christi vitam agere Principum, nec in nobilium Aulis, aut ædibus commorari ne quas semel Dei causa abdicâssent delicias, sectari rursum, amplectiq; viderentur:* reposuit Cardinalis, non alio se cum titulo, atque pauperis admissurum

S. Franciscû ejusq; Ordinem mirè amat, colit, & defendit.

S. Franciscus ut apud se diverteret, ac pernoctaret, exoratus, malè à Dæmone vapulat.

ſurum; locaturumque non in propriis ædibus, ſed in vicina, percommoda, & minimè ſplendida Turri propè Urbis muros, à turbis & domeſticis remotâ: in qua binos, aut ternos dies, vel corporis, vel animi quieti indulgere; atque adeò Deo, & ſaluti liberè vacare poſſet. Urſit Cardinalis preces Frater Angelus Tancredi Reatinus, unus ex Sociis Franciſci, Vir doctrinâ & ſanctitatis opinione celebris, qui Brancaleoni à confeſſionibus, & ſacro famulatu erat, obſecrans Franciſcum, ne pium Principem, cujus innumera, & magna eſſent in univerſum ſodalitium merita, ulteriori reluctatione contriſtare pergeret. Exoratus Vir ſanctus ægrè tandem in unam noctem conſenſit, dumque remotis arbitris, inclinata jam die in vaſta Turri novem habente teſtudines & concamerata cubilia (cujus noſtris hiſce temporibus nec veſtigia ſuperſunt) ſeorſim à Socio, nudo in aſſere dormiret; irruentibus ex improvisò dæmoniis, crudeliſſimè ab iis vapulavit, qui ſemivivo relicto, altùm cachinnantes, in auras abierunt. Franciſcus membratim dedolatus, è ſtrato conſurgens ſocium advocat, reique geſtæ ſeriem tremulis verbis edocet, in fine ſubjungens: *Credo equidem, Frater, Dæmones, qui ex limitata ſua potentia nihil in nos poſſunt, niſi quantùm ſuperna providentia permittit, aut diſponit, ideò in me hac nocte tam crudeliter deſævijſſe, quia non bonam ſpem manſio mea in Curia Magnatum præfert. Fratres mei, qui domi rerum penuriâ preſſi, in locis pauperculis commorantur, audientes me cum Purpuratis degere; ſuſpicabuntur forſitan mundanis me negotiis implicari, efferri honoribus, rapi ambitione, & deliciis abundare. Tutius ea propter judico, eum, qui aliis in exemplum, & vitæ normam ponitur, fugere curas, & Curias Potentum; & humiliter inter humiles in locis converſari humilibus: ut ſuſtinentes penuriam, fortes efficiat ſimilia ſuſtinendò.* Manè igitur cùm ſalutem, & grates pro diverſorio Cardinali dixiſſet, ab Aula diſceſſit ad cellam Aſſiſium.

S. Franciſci de ſe Judicium.

Brancaleonis Obitus & Scripta.

Brancaleo poſteà completis cum laude Legationibus, conſtructiſque variis ſacris ædificiis, dierum plenus è vita exceſſit Romæ Anno à Chriſto nato 1228.

Scripſit complures Epiſtolas, & Diplomata. Cumque Cardinalis Hugolinus, qui poſteà Gregorius Papa IX. renunciatus eſt, Decretales Epiſtolas ſimul collectas quinque libris digeſſiſſet, Brancaleonis, & Raymundi de Pennaforti opera, & adminiculo uſus commemoratur.

Ejus mèntionem faciunt S. Bonaventura in Vita S. Franciſci. Conradus Abbas Urſpergenſis in Chronico. Innocentii III. Epiſtola. Odericus Raynaldus Tomo 13. Annal. Aubery in Vita. Lucas Waddingus in Annal. Minorum ad Annum 1223. Ughellius in Ital. ſacra. Ciacon. in Vita. Bzovius Tomo 13. Annal. Panvinius. & Alii.

ANNO

ANNO 1198.

SEDENTE INNOCENTIO III. PONTIF. MAXIMO.

De

NICOLAO DE ROMANIS
S.R.E. CARDINALE.

NICOLAUS de Romanis, litteris & vitæ integritate conspicuus, Innocentio III. Pontifici Maximo ab Epistolis, & sacrificiis septenniô fuit. Anno Salutis 1205. ab eodem Purpurâ, & Episcopatu Tusculano donatus, aliquot pôst annis in Angliam, summâ cum potestate, legatus est. Ubi magno honore exceptus, dissensiones gravissimas, quæ tum inter Regnum, & Sacerdotium vigebant, suâ industriâ sustulit; ac pacem ab omnibus expetitam, certâ legum conditione, stabilivit. LVII.

Cardinalis creatus, in Angliam Legatus destinatur.

Joannes Anglorum Rex domesticis ea tempestate, ob subtractam Pontifici, & Ecclesiæ obedientiam, seditionibus vexatus, ut se iis faciliùs extricaret, ante Aram Ecclesiæ principem, inspectante Populo ac Clero, Diadema suum, ac Regnum Romano Pontifici vectigale constituit; editôque desuper solemni juramentô, Legato illud in manus consignavit: tradito in fidem regio Diplomate, aureis sigillis obsignato. Extant hujus concessionis etiamnum publica & Archetypa in Mole Hadriani Romæ monumenta, quibus *Regni donatio, Regis juramentum, Restitutio beneficiario jure, obligatio, & prima solutio annua, cum mille marcharum sterlingorum pensione, continentur.*

Joannes Angliæ Rex Romano Pontifici Regnum suum vectigale constituit.

Joannis Regis regias litteras hac de re conceptas, ex Romano Innocentii III. Registro & Archetypo ab Alphonso Ciaconio ad unguem fidelissimè desumptas, curioso Lectori ad notitiam hìc subjicere, operæ pretium credidi. Sunt autem tales:

Regia in hunc finem litteræ ex Ciaconio recitantur.

JOANNES DEI GRATIA REX ANGLIÆ, Dominus Hiberniæ, Dux Normanniæ, & Aquitaniæ, Comes Andegavensis &c. omnibus Christi fidelibus præsentem Chartam inspecturis salutem.

Universitati vestræ per hanc chartam nostram, sigillô nostrô munitam volumus esse notum, quia cùm Deum, & matrem nostram S. Ecclesiam offenderimus in multis, & proinde divinâ misericordiâ plurimùm indigere noscamur, neque quod dignè offerre pro satisfactione Deo debita facienda, nisi nos ipsos, & Regna nostra habeamus, volentes nos ipsos humiliare pro illo, qui se pro nobis humiliavit usque ad mortem, gratia sancti Spiritûs inspirante, non vi inducti, neque timore coacti, sed nostra bona spontanea voluntate: ac communi consilio Baronum nostrorum offerimus, & liberè concedimus, Deo, & sanctis Apostolis ejus Petro & Paulo, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ matri nostræ, ac Domino nostro Papæ Innocentio III. Ejusq; Catholicis Successoribus totum Regnum Angliæ, & totum Regnum Hiberniæ, cum omni jure, & pertinentiis suis, pro remissione peccatorum nostrorum, & totius generis nostri, tam pro vivis, quàm pro defunctis, & amodò illa à Deo, & Ecclesia Romana, tanquam feudatarius recipientes, & tenentes. Proinde in præsentia Domini Nicolai Cardi-

Cardinalis, & Legati DOMINI NOSTRI PAPÆ, fidelitatem prædicto Domino nostro Papæ Innocentio III. aliisq; Catholicis Successoribus, & Ecclesiæ Romanæ, secundùm subscriptam formam facimus, & juramus, & homagium ligium in præsentia Domini nostri Papæ, si coram eo esse poterimus, eidem facimus, Successores, & hæredes nostros in perpetuùm obligantes, ut simili modo Pontifici, qui pro tempore fuerit, & Ecclesiæ Romanæ, sine conditione, debeant fidelitatem præstare, & homagium cognoscere. Ad indicium autem hujus nostræ perpetuæ oblationis, & concessionis, volumus & statuimus, ut de propriis & specialibus redditibus prædictorum Regnorum nostrorum, pro omni servitio & obedientia, quam eis debemus, ultra denarium Beati Petri, Ecclesia Romana mille marchas sterlingorum percipiat annuatim, scilicet in Festo S. Michaëlis quingentas marchas; & in Paschate quingentas marchas, septingentas scilicet pro Regno Angliæ, & trecentas pro Regno Hiberniæ, salvis nostris, & Hæredum nostrorum justitiis, libertatibus, & regalibus. Quæ omnia sicuti supradicta sunt, rata esse volentes, perpetua atque firma, obligamus Nos, & Successores nostros non contravenire; & si Nos, vel aliquis nostrorum Successorum hoc attentare præsumpserit, quicunque ille fuerit, nisi ritè commonitus resipuerit, cadat à jure Regni. Et hæc charta oblationis, & concessionis nostræ semper firma permaneat. Hoc Instrumentum tribus propè sæculis cum effectu viguisse testantur Auctores.

Joannis Angliæ Regis Juramentum Romano Pontifici præstitum.

Sequitur Juramentum memoratæ fidelitatis ipsius Regis: *Ego Joannes Dei gratia Rex Angliæ, & Hiberniæ, ab hac hora in anteà fidelis ero, Deo, & Beato Petro, & Ecclesiæ Romanæ, ac Domino meo Papæ Innocentio III. ejusq; Successoribus Catholicè intrantibus, non ero in facto, dicto, consensu, vel consilio, ut vitam perdant, vel membra, aut mala captione capiantur. Eorum damnum si scivero, impediam; & emanere faciam, si potero; alioquin Eis, quàm citiùs potero, intimabo: vel tali Personæ dicam, quam credam Eis pro certò dicturam, consilium, quod mihi crediderit per se, vel per Nuncios, seu per literas Apostolicas secretum tenebo, & ad eorum damnum nulli pandam. Patrimonium B. Petri, & specialiter Regnum Angliæ, & Regnum Hiberniæ, ajdutor ero ad tuendum, & defendendum contra omnes homines, pro posse meo. Sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.* Quæ omnia suprascripto modo coram Nicolao Legato, duobus Archiepiscopis, & octo Regni Comitibus ad hoc vocatis, à Joanne Rege peracta fuisse anno salutis 1212. sacer archetypus liber Registrorum ipsius Innocentii, Romæ etiamnum asservatus, indicat. Quorum etiam meminit Matthæus Westmonasteriensis ad annum 1213.

Nicolaus Angliæ Ecclesiis Episcopos præficit. Londini Conventu agens Interdicti sententiam tollit. Alias Legationes jussu Honorii III. obit.

Hisce ritè peractis, Nicolaus Legatus vacantibus in Anglia Ecclesiis Præsules præfecit; ex quo non levis dissensio orta cum Stephano Cantuariensi Archiepiscopo, qui hæc acerbè ferens coactô Suffraganeorum suorum conciliô, missa legatione, ne id faceret, prohibere conatus est, sed in cassum. Adunato deinde Londini apud S. Paulum, Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum, Priorum, Comitum, aliorumque Optimatum conventu, Apostolicæ Sedis jussa peragens, interdicti latam ante sex annos sententiam, cunctis exultantibus, solemni ritu Anno Domini 1214. sustulit. Sub Honorio III. in Angliam iterum Legatus missus, bellum sacrum adversùs Sarracenos egregiè promovit. Legatione quoque functus est in Prussia,

Prussia; & apud Fridericum Imperatorem sub eodem Honorio III. qui litteras Nicolao Legato scripsit, ut à Friderico in Urbem ad excipiendas Imperiales infulas contendente declarationem peteret, & impetraret, Siciliæ scilicet Regnum Imperio non esse connexum; ac novæ fidelitatis Sacramenta ab eodem, & à Magnatibus Imperii exigeret, antequàm Romam Fridericus perveniret. Quæ omnia Legatus plena fide, non reluctante Friderico, peregit.

Maxima fuit S. Dominico Patriarchæ familiaritate conjunctus, Honoriique jussu cum duobus aliis Cardinalibus Moniales in Urbe, nimia vitæ licentia corruptas, reformavit; & sub arctam vivendi formulam redegit: quod præstitit studiô, & operâ S. Dominici, qui Monasterium S. Syxti de novo erexit, illudque (regulari priùs in illo observantia instituta) perantiquâ, & miraculis gloriôsâ Beatæ Virginis Imagine donavit. Quam ipsemet Nicolaus pietatis ergò propriis humeris, maximo hominum comitatu stipatus, illùc devexit circa Salutis Annum 1219. Historiam hujus translationis qui legere desiderat, adeat Ciaconium in Vita Nicolai, Martinellum Floravantem, & Mariam Franciscum Turrigium.

Romæ Moniales dissolutas, Divi Dominici operâ, in ordinem redegit.

Nicolaus hic, *quem doctissimum virum, pacis, & salutis Angelum, hominibusq; gratum: præq; aliis à se dilectum* Honorius Pontifex appellat in Diplomate, mortalitatem exuit Anno Salutis 1219. Successorem in Ecclesia Tusculana nactus alium Nicolaum, Monachum Cassinensem, quem plerique Nominis, & Tituli similitudine decepti, imperitè cum hoc nostro confundunt.

Laus Ejus & obitus.

Ejus meminère Matthæus Parisius in Hist. Anglic. Westmonasteriensis. Odericus Raynaldus in Annal. Tom. 13. Alphonsus Ferdin. in Concer. Prædicat. Ughellius Tom. 1. Italiæ Sacræ. Ciaconius. & Alii.

ANNO 1198.

SEDENTE INNOCENTIO III. PONTIF. MAXIMO.

De

ROGERIO GERMANO
S. R. E. CARDINALE.

LVIII.

ROGERIUS natione Germanus, cujus cognomen, & patriam nullus Auctorum hactenùs prodidit, ob exquisitam Juris utriusque cognitionem ab Innocentio III. Presbyter Cardinalis S. Anastasiæ renunciatus, legatione in Sicilia ad Fridericum Imperatorem, Siciliæ tum Regem, cui gratissimus erat, perfunctus est.

Cardinalis ab Innocentio III. creatus, variis Legationibus fungitur.

Vigebant eo tempore gravissima in Dania bella, originem ex intestinis Clericorum discordiis trahentia, quæ religione potiùs, quàm armis sopiri posse arbitratus Danorum Rex, Legationem ad Clerum in ordinem redigendum petiit ab Innocentio. Idem efflagitabant tum Sueciæ, tum Boëmiæ Reges ad temperandum Ecclesiarum Septentrionalium statum. Pontifex justis tantorum Principum

votis gratificaturus, Legatos eò destinavit Rogerium, & Crescentium, Cardinales, qui discussis Clericorum causis, sublatisque discordiarum fomentis, Sacerdotium facilè cum Regibus pacificârunt. Quibus peractis, Romam non sine laude repetierunt.

Ejus obitus & Scripta.

Plura de Rogerio Cardinale apud Auctores Ecclesiasticos non inveniuntur, nisi quòd asseratur *Vir doctrinâ, & virtutibus splendens*. Ejus Opera MM.SS. asservabantur olim (teste Ughellio) in Bibliotheca Reverendissimi Domini de Ruinis, nunc verò industriâ Ducis Complutensium, apud Sedem Pontificiam quondam pro Rege Catholico Oratoris, translata sunt in Hispaniam. Gregorius Abbas de Monte Sacro in Dedicatoria suorum Operum ad Thomam Cardinalem S.Sabinæ, Rogerium nostrum, *Magistrum scientiâ clarissimum* deprædicat. Qui postquàm plurium summorum Pontificum Diplomata sua subscriptione firmâsset, lucis usuram amisit Anno à partu Virginis 1213.

Ejus mentionem faciunt Ciaconius in Vita. Gregorius Abbas de Monte Sacro. Ferdinandus Ughellius Tom. 1. Ital. Sacr. Oldoinus in addit. ad Ciaconium.

ANNO 1198.

SEDENTE INNOCENTIO III. PONT. MAXIMO.

De

PETRO MORANO

S. R. E. CARDINALE.

LIX.

Cardinalis S. Angeli ab Innocentio III. creatur.

PETRUS Moranus, sive de Mora Beneventanus, Vir magnæ scientiæ, & probatissimæ vitæ, ex Subdiacono Apostolico, Sacræ Romanæ Ecclesiæ Diaconus Cardinalis S. Angeli ab Innocentio Tertio creatus, Eidem quoad vixit, ab epistolis scribendis, & Diplomatibus expediendis magna cum laude fuit. Is adhuc extrà Purpuram constitutus, *Epistolarum Decretalium Librum Innocentii III.* ejusdem nomine, accuratô studiô, summâque diligentiâ collegit; quem ad commodum Lectorum in certos Titulos, Paragraphos, & Capita (variorum Argumentorum habita ratione) digestum, ordinatissimè, ac utilissimè distinxit.

Colligit Librum Decretalium Innocentii III.

Perperàm à nonnullis cũ alio Petro Cardinali confunditur.

Scribit Ciaconius Petrum hunc, Innocentii jussu, Legatione in Gallia functum fuisse. Ciaconium secutus Floravantes Martinellus idem asserit. At utrumque à veritate deviâsse colligitur ex sententia probatissimorum Auctorum Panvinii, Aubery, & Marii Viperæ, asserentium alium Petrum à nostro, ex nobili Familia *Collis Vaccini* Beneventana, Diaconum Cardinalem Sanctæ Mariæ in Aquiro, non Sancti Angeli, Innocentii jussu, in Galliis partes Apostolici Legati egisse. Confirmant sententiam nostram plura Pontificia Diplomata, in Vaticano asservata, quæ rescripsit in sua Historia Comitum Tolosæ Guillelmus Catel, ex quorum subscriptionibus apertè convincitur Legatum Galliarum sub Innocentio fuisse Petrum Collis Vaccini, Diaconum Cardinalem S.Mariæ in Aquiro, non verò Petrum Mora-

Moranum Diaconum Cardinalem S. Angeli, de quo hic agimus:

Sed quidquid sit de Petro Legato (cujus hic ego rationem non habeo) constat tamen sub eodem Innocentio III. floruisse etiam Petrum Moranum Diaconum Cardinalem S. Angeli. Patet hoc tum ex Panvinio; tum ex Innocentii ipsius Diplomate, dato XI. Kalend. Maji Anno reparatæ Salutis 1205. ad Albertum Eugubinum Episcopum, cui subscripsit Petrus Moranus his verbis: *Petrus S. Angeli Diaconus Cardinalis.* Mortem oppetiit Petrus Romæ Anno Salutis 1213. in Volumine Decretalium Innocentii, *Vir solida virtutis, & doctrina* appellatus. *Obitus ejus & laus.*

Ejus meminére Ciaconius in Vita. Floravantes Martinellus in additionibus ad Ciaconium. Panvinius de Rom. Pontificibus. Chronicon Archiepiscoporum Benevent. Guillelmus Cartel in hist. Comitum Tolosæ. Aubery in Vita. & Alii.

ANNO 1198.

SEDENTE INNOCENTIO III. PONTIF. MAX.

De

JACOBO GUALLA DE BICHERIIS S.R.E. CARDINALE.

JACOBUS Gualla de Bicheriis, Patria Vercellensis, Canonicus Regularis Monasterii in Cœlo-Aureo Papiæ, eximius Juris Cæsarei & Pontificii Doctor, suorum præcellentium meritorum, ac virtutum suffragiô ad Cathedram Vercellensem evectus, Ecclesiam illam, magnâ sui nominis famâ, & concrediti populi emolumentô, duodecim annorum intervallô sanctissimè, juxta ac integerrimè rexit; ut docent Tabulæ Vercellenses à Joanne Stephano Ferrerio de Episcopis Vercellensibus relatæ: cui denique (ob rerum peritiam, & eruditionis eminentiam gravioribus universalis Ecclesiæ curis destinatus, quò liberiùs iis vacare posset) nuncium remisit, ab Innocentio III. eapropter Presbyteris Cardinalibus titulo SS. Martini & Sylvestri adscriptus. LX. *Episcopus primo Vercellensis, deinde Cardinalis creatur.*

Vercellis nobile, magnificum, ac sumptuosum Templum, Divo Andreæ Apostolo dicatum, unà cum insigni Monasterio, ære suô à fundamentis construxit; illudque magnis proventibus auctum, Canonicis Regularibus inhabitandum concessit: in quo, teste Ciaconio, magni pretii aurea, & argentea ornamenta, multasque Sanctorum Reliquias pretiosis thecis inclusas locavit; inter has gladium, quo S. Thomas Archiepiscopus Cantuariensis pro libertate Ecclesiastica cæsus memoratur. *Vercellis præter nobile Templum, Monasteriũ condit, illudq; variis donis, & proventibus auget.*

Cùm perversa Albigensium Hæresis (quæ duo rerum omnium Principia, *bonum unum*, *alterum malum* adstruebat; universalem carnis resurrectionem negabat; fabulosam animarum transmigrationem credebat; Baptismum, & Eucharistiam rejiciebat, aliaque id genus nefanda deliria docebat) in dies magis magisque in Aquitania serpere cœpisset: Innocentius Tertius ad eam comprimendam *Impia Hæresis Albigensis doctrina.*

Q 2 Petrum

Petrum Monachum Cisterciensem de Castronovo, Abbatem Fontis-Frigidi, virum zelô & doctrinâ conspicuum eò miserat, omnes RegniPrælatos,&Nobiles,ut ei assisterent,hortatus.Petro ab Hæreticis intercepto,& ob fidei constantiam in partes crudelissimè dissectô, Guallam hunc nostrum, *Virum prudentiâ, doctrinâ, & vitæ integritate* (ut ipse Innocentius loquitur) *clarum; insignem Jurisconsultum, ac maximum fidei zelatorem* in Gallias destinavit; eique septem Abbates in consortio quinque Monachorum Cistercientium, omnes doctrinâ & sanctitate conspicuos adjunxit, quibus munus prædicandæ Crucis contra pestiferos Albigenses, ac præcipuè Comitem Tolosanum, maximum eorum fautorem injunxit: scriptis propterea tum Regi Galliæ, tum Regni Principibus litteris, ut eos tanquam fidei Catholicæ defensores suâ operâ adjuvarent, armaque sua in perfidos Ecclesiæ hostes destringerent, atque Urbes ab eis hactenùs occupatas, infectasque, rursùm in libertatem assererent. Ut verò majori illos conatu ad bellum Hæreticis inferendum accenderet, reclusô sacrô Ecclesiæ thesaurô, pugnantibus quibuscunque, aut opem ferentibus, remissionem omnium noxarum liberalissimè indulsit.

Ad eam opprimendam Gualla in Galliam legatur.

Legati igitur operâ, cùm verba & disputationes apud contumaces, & obduratos nihil proficerent, ingens Cruce signatorum exercitus coactus, qui armis egregiè instructus, hortante simul & præeunte Legatô, in hostium turmas factô animosô impetu Biterras, duodecim millibus Albigensium cœsis, in fidem recepit: Biterris Simon Montisfortii Comes, vir consiliô, & armis strenuus præfectus, hostium repetitos insultus crebriùs elusit. Atque ex hoc tam luculento vulnere Albigensium hæresis, utcunq; repressa, aliquandiù elanguit, licèt posteà reparatis viribus, & copiis (ut suô locô dicemus) rursùm acriùs in Christi fideles recruduerit.

Ejusdem Hæresis Sectatores luculentâ cæde afficit.

Extremis Innocentii III. vitæ annis Legatus in Anglia, longo ibidem tempore, rebus Ecclesiæ invigilans, permansit. Ad quem Honorius Tertius Innocentio suffectus, crebras, easque officiosas litteras dedit, quibus eum primò pluribus ob integrè navatam operam dilaudat; deinde in Legationis munere uti virum strenuum, prudentem, ac circumspectum confirmat; ac demùm eidem præcipit, ut Joannem Angliæ Regem, ad jussa pontificia torpentem, pro suscipienda Cruce in subsidium Terræ Sanctæ excitat. Rege verò paulò pòst è vivis erepto, filium ejus Henricum, aviti Sceptri hæredem regio diademate cinxit: cui adhuc impuberis curam Pontifex commisit mandando, ut Viros industrios, probos, ac fideles ad ejus institutionem, & regimen proveheret.

Legatus in Angliam destinatur; & quæ ibi gesserit?

Inter hæc cùm Clerus Anglicanus fœdo concubinatu (nil pensi habito Sacerdotii charactere) passim difflueret, coactâ Synodô acriter in ejusmodi delinquentes invectus est, statutisque pœnis enormem eorum licentiam pro viribus repressit; contumaces in jus vocatos exauctoravit, ac eorum beneficia viris dumtaxat probatis, & continentibus contulit. Romam ex Anglia redux cum Pelagio Albanensium Episcopo destinatur Legatus ad Fridericum Secundum Imperatorem, ut ipsum præstiti juramenti commoneret; à Simoniaca labe deterreret, ac deli-

Clerum Anglicanum reformat Exinde destinatur in Germaniam ad Fridericum II. Imp.

desidem ad subsidium Terræ sanctæ ferendum inflammaret. Rebus cum Cæsare ex voto compositis, mandante eodem Honorio Clerum Vercellensem, à probis moribus devium, multisque vitiis scatentem reformavit; atque in ordinem redegit. Ubi sanctis operibus incumbens, assiduis laboribus attritus, & morbo confectus, constitutô ex asse hærede Monasteriô S. Andreæ, à se Vercellis olim erectô, ad extrema pervenit: quare convocatis ad se Clericis, ultimam iis mentis suæ voluntatem aperuit, utque eam fideliter exequerentur cohortatus, sumptô æternitatis pharmacô placidissimè in Domino quievit Anno Salutis 1238. Ejus corpus Vercellis funeratum, condigno honore in Ecclesia S. Andreæ tumulatum fuit.

Clerum Vercellensem in ordinem redigit.

Obitus Ejus & Virtutes enarrantur.

Erat Jacobus Gualla vir numeris omnibus absolutus, animi magnitudine, mentis constantiâ, fidei sinceritate, & vitæ sanctimoniâ celebris; Juris utriusque interpres egregius, & immunitatis Ecclesiasticæ propugnator acerrimus, cujus tuendæ causâ non semel minas, persecutiones, & capitis discrimen præsentissimum adiit: quem Paulus Cortesius inter Cardinales eminenti doctrinâ præstantes referre non dubitavit, eò quòd Sermones in frequenti Cardinalium consessu habitos collegerit, & ediderit.

Ejus meminère S. Antoninus p. 3. tit. 19. c. 1. Paulus Cortesius de Cardinalibus Scriptoribus. Ciaconius in Vita. Nomenclator Cardinalium. Ughellius in addit. ad Ciaconium. Aubery in Vita. Augustinus Oldoinus in addit. ad Ciacon. Gabriel Penmottus in Historiâ Tripartita Canonic. Regul. aliique.

ANNO 1198.

SEDENTE INNOCENTIO III. PONTIF. MAX.

De

STEPHANO LANGTHONO.

S.R.E. CARDINALE.

STEPHANUS Langthonus, natione Anglus, vir eminentis scientiæ & virtutis, ex Cancellario Gymnasii Parisiensis, & Canonico sæculari Sanctæ Mariæ Urbis ejusdem, ab Innocentio Tertio, præclaris ejus dotibus capto, Purpuratorum Catalogo adscriptus est Anno Salutis 1212. Fuit Stephanus (Ciaconio teste) insignis Theologus, & Artium Magister, ac summus ætatis suæ Phylosophus, utpote qui utramque facultatem, maximo applausu & concursu, tum Parisiis, tum Londini pluribus annis publicè docuit. LXL

Mortuô Ubertô Archiepiscopo Cantuariensi, cùm Innocentius Pontifex præproperam Archiepiscopi electionem à Suffraganeis, & Monachis illegitimè factam improbâsset; irritamque ex jure sibi competente declarâsset, Stephanus hic Presbyter Cardinalis S. Chrysogoni, ex ritu à sacris Canonibus præscripto, Archiepiscopus creatus, & inauguratus est. Quo verò pacto res ipsa sit gesta, Acta Vaticana in hæc verba declarant: *Pontificem*, scilicet, *Romanum Mo-*

Ab Innocentio III. Cardinalis creatur.

Monachorum Conventui præcepisse, ut quindecim è suis habiles viros Romam mitterent; atque iis provinciam eligendi Archiepiscopi demandarent. Qui cùm Apostolica imperia excepissent, atq; Romæ comparuissent, utrâque electione Reginaldi, & Episcopi Norvvicensis rescissâ, quindecim illis Monachis imperavit, ut se præsente tertiam, & legitimam electionem celebrarent: quo facto cùm plura suffragia in Stephanum de Langthono, Presbyterum Cardinalem S Chrysogoni, Anglum genere, virum doctrinâ & virtutibus cumulatissimum (quem Innocentius eodem Anno è Cathedra Parisiensis Accademiæ ad Cardinalatum evexerat) concurrissent: eam electionem ab Innocentio mox confirmatam fuisse. Ingentibus etiam Stephanum laudibus exornat Parisius in Historia Aglicana, quamvis asserat prædictos Monachos, Stephani electores, præsenti anathematis metu, quem Pontifex coràm assistens intentabat, invitos atque obluctantes id comprobàsse. Sed id de quibusdam refractariis contingere potuit. Quapropter Innocentius ad Joannem Angliæ Regem scribens hæc habet: *Quoniam absque vi, & dolo Canonica fit electio de Persona idonea concorditer celebrata &c.*

Acta Vaticana ea de re afferuntur.

Graves ob ejus Electionem tumultus excitantur.

Tulêre graviter Joannis Anglorum Regis Oratores Stephani electionem, imò & Rex ipse, qui intuitu ejus graviores in iras excandescens, nulla ratione à Pontifice, ut eum admitteret, potuit persuaderi. Unde Innocentius, ad quem jus electum confirmandi spectabat, non attenta Regis contradictione, Archiepiscopum suis manibus decimo quinto Kalendas Julii Anno Salutis 1212. Viterbii consecravit; donatumque pallio in Angliam ad ineundam suæ Ecclesiæ possessionem misit. At Joanne pertinaciter resistente, & transitum Stephano oppositis etiam armis negante, Angliæ Regnum eò usq; interdicto subjecit Innocentius, donec pacificus Neoelecto Archiepiscopo ingressus concederetur. Admissus tandem Ecclesiam suam cum concredito sibi populo sanctissimè rexit usque ad Annum Salutis 1214. Rege verò, quorundam susuronum instinctu, ipsi iterum adversante, multæ Stephano pro Ecclesiastica Jurisdictione altercationes, jurgia, & vitæ discrimina subeunda erant, quibus, ut erat magnanimus, cùm minimè cederet, Rex Pandulphum Oratorem suum ad Innocentium Romam misit, qui tum Stephanum Archiepiscopum, tum Episcopos omnes Anglicanos in judicium vocatos (quasi exactione, & ablatorum restitutione, tempore interdicti, nimis rigidi, & avari, Regiæque libertatis oppressores fuissent) reos egit. Pontifex Pandulpho significat, se per Nicolaum Episcopum Tusculanum, Legati tum Apostolici partes in Anglia agentem, causam propositam ad jurium exigentiam ventilaturum; & quod æquitas postulare videretur, statuturum. Itaque industriâ Nicolai dissensiones omnes inter Regem, & Archiepiscopum certis conditionibus concordatæ; non tamen emoti Angliæ tumultus, quorum Auctorem cùm Rex identidem Stephanum suspicaretur, illum Romæ, ubi solemnes Episcoporum in Ecclesia Lateranensi conventus erant indicti, in crimen perduellionis vocavit. Quem Innocentius Pontifex Anno Domini 1215. Romam citatum, quæstionique admotum, ac pænè convictum damnavit. At paulò pòst veniam deposcentem, suaque haud vulgaria in Ecclesiam merita

Ab Joannis Angliæ Regis Oratore Romam in Jus vocatur; & reus agitur.

Ab Innocentio III. damnatur, sed veniam deposcens in gratiâ recipitur.

rita allegantem, temperato clementiâ rigore, in gratiam recepit; vetuit tamen, ne pedem in Angliam inferret, antequàm concordia Regem inter & Proceres coaluisset: qua subsecuta, summâ Cleri Populique lætitiâ à Rege pacato admissus, & in gratiam receptus est.

Ab eo tempore congressus publicos, Regni negotia, Aulam & Proceres, ne quà iterum impingeret, devitans totum se rebus Ecclesiasticis, contemplationi cœlestium, explicandis Scripturis, concionibus habendis, libris elucubrandis, aliisque id genus honestis occupationibus transcripsit. Tandem, postquàm Ecclesiam Cantuariensem annis ferè decem & septem integerrimè moderatus esset, fatis concessit Cantuariæ die secunda Julii, Salutis Anno 1229. Sepultus in Sacello S. Michaelis in Maximo Templo sub Altari prope gradus Australes, ubi nobile ejus monumentum, sed valde attritum, adhuc visitur.

Aulam deinceps regiam devitans, totum se rebus divinis, & conscribendis libris dedicat.

Ejus obitus.

Palatium Archiepiscopale, verè magnificum, ac Viro Principe dignum Cantuariæ ingenti sumptu ex integro propè construxit, magnamque pecuniæ vim tum in pauperes, tum in fabricam Horologii artificiosissimam contulit: aliaque non pœnitenda opera, visu & famâ dignissima, ad posterùm memoriam, & commodum excitavit.

Tribus, vel quatuor elapsis ab ejus obitu annis Henricus Stanfordius, Roffensis Ecclesiæ Præsul, vir notissimæ sanctitatis, & donô prophetiæ clarus, cùm aliquando in magna Cleri Populique frequentia è sacro suggestu verba faceret, ingenti fiducia palàm asseruit: Richardum Regem, Stephanum Archiepiscopum, & Sacerdotem, qui Stephano à sacris erat, uno eodemque die ab expiantibus purgatorii pœnis, quibus post mortem fidelium noxæ eluuntur, solutos & liberatos in cœlum emigrâsse. Quod Viri sanctissimi testimonium non utique vanum, dubium, aut temerarium, sed verax, certumque existimandum est. Neque enim verba sacra faciens, dubia pro certis, aut falsa pro veris populo denunciâsset, nisi ipsi (revelante Deo) de certitudine, & veritate constitisset. Stephani res præclarè gestas omnium accuratissimè descripsit Franciscus Godwinus Landawensis primò, posteà Herefordensis in Anglia Episcopus in serie Archiepiscôporum Cantuariensium. Sed cautè legendus, utpote in Romanos Pontifices sæpè sæpius nimiùm iniquus, ac propè maledicus.

Post obitum pœnas Purgatorii evadit Sancti cujusdam testimonio.

Scripsit Stephanus innumera ferè Opuscula, quorum hìc ego præcipuorum Catalogum ex Ciaconio, Oldoino, & aliis attexo: nimirùm Commentaria

Multiplicia ejus Scripta referuntur.

In Genesim.	In Jobum Libros 34.
Super Exodum.	In Tobiam.
Super Leviticum.	In Judith.
Super Numeros.	In Ester.
Super Deuteronomium.	In Psalterium.
Commentarios in Josue.	In Proverbia Salomonis.
In Judicum.	In Ecclesiasten.
In Regum Libros.	In Cantica Canticorum.
In Paralipomena libros duos.	In Ecclesiasticum Notulas.

Super

Super Esdram.
Super Isaiam.
Super Jeremiam.
Super Ezechielem.
Super Danielem.
Tropologiam in Prophetas.
Commentarios in Oseam.
In Joëlem.
In Amos.
In Abdiam.
In Jonam.
In Michæam.
In Nahum.
In Habacuc.
In Sophoniam.
In Aggæum.
In Zachariam.
In Malachiam.
Super Machabæos libros duos.
Super Epistolas Pauli libros 14.
Commentaria in Vetus & Novum Testamentum.
Concordiam utriusque Testamenti Lib. octo.
De verâ Pœnitentiâ.
Super Verba Adam ubi es?
De Similitudinibus.
Sermones Sexaginta.
Constitutiones Oxonienses.
De Sacerdot. Deum nescientibus.
Quæstiones Theologicas Paradoxa Philosophica.
Vitã S. Thomæ Cantuariensis l. 5.
Vitam Richardi Angliæ Regis.
De Factis Mahumeti.
Hexameron Carmine.
Benedictiones in Monte Ebali.
De Maledictionibus quoque.
De Christi Passione.
De Gestis ejusdem.
Añotationes Sacrorum Bibliorũ.
Repetitiones Lectionum.
Aliaque plurima tum sacra, tum prophana.

Mirùm quod nullam Ejus Bellarminus de Scriptoribus Eccles. mentionem faciat.

Et, quod omnium maximè memorabile existimo, Primus Sacrorum Auctorum totam Bibliam in Capitula, & numeros distinxit: Ordinemque ab eo constitutum omnes Ecclesiæ, quæ usquam jam inde ab eo tempore fuerunt, secutæ sunt. Nec satis mirari possum, nec causam assequi, cur unum hunc Auctorem, tot sacris libris, Commentariis, & elucubrationibus clarum doctissimus juxta ac accuratissimus Bellarminus in suo de Scriptoribus Ecclesiasticis libro omiserit? aut ejus vel nudam mentionem facere supersederit? Putandum non est versatissimi Viri scientiam Stephanum effugere potuisse, cùm omnium penè Scriptorum ore, & calamô celebretur. Quid igitur causæ tam luculentæ omissionis? dicant, qui nôrunt.

Laus Ejus ex Litteris Innocentii III.

Tillemannus Carthusianus in Tomis Allegoriarum nonnulla fragmenta hujus Auctoris, stylo non ingrata, edidit. Extant etiam frequentes litteræ Innocentii Tertii ad Stephanum, quibus eum, *Virum famâ, prudentiâ, scientiâ & doctrinâ pollentem* deprædicat.

Ejus meminère Ciaconius in Vita. Odericus Raynaldus tomo 13. Nomenclator Cardinalium. Gaspar Jongellinus in Purpura D. Bernardi. Sixtus Senensis in Bibliotheca. Bzovius ad Annum 1231. Aubery in Vita. MM.SS. Bibliothecæ Vaticanæ. Ughellius tomo 1. Italiæ sacræ. Godwinus in serie Episc. Cantuar. Matthæus Parisius in Hist. Anglic. Morerius in Dict. Magno Historico. & Alii plurimi.

ANNO

ANNO 1198.

SEDENTE INNOCENTIO III. PONTIF. MAXIMO.

De

RAYNERIO CAPOCIO
S.R.E. CARDINALE.

RAYNERIUS nobili Capociorum genere Viterbii in Italia natus, à primis vitæ suæ annis Monasticam Cistercienſium (Ughellius arbitratur S. Benedicti) Regulam professus, ob insignem morum innocentiam, litterarumq; eruditionem ex Abbate trium Fontium SS. Anastasii & Vicentii ab Innocentio Tertio circa Annum Domini 1213. Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Cosmedin renunciatus est. Maximâ cum S. Dominico Calaguritano (vitæ asperitate, rerum humanarum contemptu, verbique divini prædicatione ea tempestate insigni) familiaritate conjunctus; Ejusque Ordinis, in primordiô sæpe sæpiùs impugnati, strenuus contra quoscunque adversarios fautor, ac indefessus propugnator, durante vita extitit.

LXII. Ab Innocentio III. Cardinalis renunciatur.

S. Dominicô ejusq. Ordinem singulari favore prosequitur.

DEIparam Virginem Mariam singulari semper affectu, cultuque planè filiali prosecutus, ad ejusdem honorem & nominis gloriam provehendam, nobilissimum Viterbii extra mœnia Templum, nocturnâ visione admonitus, excitavit. Rem pluribus narrat Hyppolitus Marraccius in Purpura Mariana, cujus ego hìc adfero synopsim. Raynerio, dum aliquando Viterbii intempesta nocte ardentiùs oraret; ac cœlitùs immissô sopore altiùs indormiret, Matrona quædam longè decora, vultu lætitiam; incessu gravitatem; manu verò ardentem cereum præferens adstitit: quæ leniter apprehensâ Raynerii dexterâ visa est illum in proximum nemus deducere; suoque illo cereo arbusta quædam, certo ambitu contenta, exurere. Evigilans Raynerius, visumque memoriâ repetens, stupere primò, mirarique! deinde, cùm quid sibi visio vellet, minimè assequi, aut divinare posset, Anachoretam notissimum, ac proximè absentem (candore vitæ, & nomine Album) adire; somnium exponere; somniique mysterium ab eo expetere cœpit. Albus nihil cunctatus, Raynerio somnii significationem suô somniô in hæc verba aperuit: *Eadem nocte*, inquiens, *qua tu, Rayneri, & ego, illoq; ipso loco Virginem Deiparam coram aspexi, splendida, regioq; solio sublimatam, ac suadentem Tibi (nam mihi tum præsens adesse videbare) ut eò loci Templum, suo Nomini dicandum construeres.* Quocirca Raynerio somnii interpretationem petenti, facilis ac prompta fuit Albo responsio; Virginem scilicet sanctissimam omninò cupere, uti Templum ibidem excitatum suo Nomini sacrum faceret. Lætus oraculo Raynerius è Monte S. Martini (in quo Albi domicilium Viterbio proximum erat) properè locum sibi cœlitùs ostensum petit, ac nocturni incendii vestigia; & situm sacris ignibus virginea manu futuræ Ædi designatum conspicit. Ex templò manum construendo operi

Deipara Virginis honori insigne Templum excadificat.

Mirabilis hujus rei relatio ex Hyppolito Maraccio refertur.

Alia Eiusdē pietatis, opera referuntur.

admovet, perficitque: ac Româ deducto S. Dominico, Ordinis Prædicatorum Institutori, Templum cum Cœnobio ultrò in fidem, & habitationem committit. Præter hanc Ecclesiam, tres insuper alias in agro Viterbiensi suis sumptibus erexit, ac dotavit Raynerius, nominatim S. Petri de Castaneo; S. Mariæ de Paradyso, & S. Martini in Montibus, quarum primam & ultimam Cistercensium Alumnis, mediam Benedictinis, cum congruo utrobique ad victum, & vestitum proventu assignavit.

Variis legationibus perfungitur.

Sub Honorio III. Innocentii Successore, Legatus in Hetruriam missus, Viterbium primò Imperatori Friderico ereptum, Romanæ Ecclesiæ restituit; armisque tutatus est. A Gregorio posteà Nono Ecclesiastici exercitus Legatus, & Dux factus, montem Flasconem, Tusciam, & Sabinam (Pontifici rebelles,) brevi perdomitas, in fidem recepit. Legatus cum Stephano S. Callixti Cardinale ex Concilio Lugdunensi à Gregorio in Italiam adversùs Fridericum anathemate percussum, titulisque Imperii spoliatum missus, omnibus in locis privationis ejus sententiam promulgavit.

Sub eodem Pontifice Provinciæ Patrimonii, Ducatûs Spoletani, & Marchiæ Anconitanæ Legatus constitutus, Ducatum Spoletanum ab Invasoribus strenuè, nec sine hostium luculenta cæde, defendit. Quare à Bertholdo Conradi Ducis Spoletani filio, viribus Gonselini Dapiferi Imperatoris freto, quampluribus incommodis, insidiis, ac injuriis affectus est. Quorum edoctus Pontifex Bertholdum rebellem cum asseclis & fautoribus anathemate confixit; conscriptoque milite adversùs eum magnis itineribus, commissam temeritatem ulturus, properavit. Id cùm Fridericus Imperator (Pontifici jam jam reconciliatus) didicisset, supplex pro eo Pontifici factus, Bertholdi insolentiam pro meritis redarguit, ac ut errata, positis protinùs armis, corrigeret, veniamque à Clementia Apostolica exposceret, admonuit. Petiit ille, & obtinuit.

Episcopus Viterbiensis efficitur.

Sedem Viterbii vacantem Gregorius Pontifex Raynerio in præmium benè gestorum contulit, quam ille usque ad Annum Salutis 1244. integerrimo moderamine rexit; quo anno gravioribus pro Apostolica Sede negotiis implicitus, eo se munere abdicavit. Palatium habuit Viterbii sumptuosissimum (ubi nunc Monasterium Visitationis est) in quo sub Annum Domini 1240. Fridericum Imperatorem cum Proceribus Germaniæ splendidissimè excepit, nonnullisque diebus detentum, publicis spectaculis, venationibus, ac epulis officiosissimè recreavit. In Hetruria denique Patrimonii Apostolici Rector constitutus, post multos morborum assultus, obiit sanctissimè regnante Innocentio IV. circa Salutis Annum 1252. ut habet vetustum Calendarium Monasterii S. Cerbonii, Ordinis Cistercensis Diœcesis Lucanæ. Viterbii in Ecclesia *S. Mariæ ad Gradus* Ordinis Prædicatorum, à se munificentissimè exædificata, Sacri ejus cineres quiescunt, ubi nobilis hæc in Sacello ad lævam Aræ mamaximæ posita Inscriptio etiamnum legitur.

Fridericum Imperatorē splendidè excipit, lauteq́; habet.

Piè in Domino moritur.

RAYNE-

RAYNERIO CAPOCIO VITERBIENSI, TITULI S. MARIÆ IN COSMEDIN DIACONO CARDINALI, ÆDIS HUJUS COELITUS DEMONSTRATÆ RELIGIOSISSIMO FUNDATORI, FAMILIÆQUE PRÆDICATORUM PIISSIMO LARGITORI, FRATRES AD BENEFICII MEMORIAM SEMPITERNAM AMPLISSIMO BENEFACTORI, MERITO ANTE DIGNIOREM ARAM CONDITO NUNCUPARUNT. ANNO SALUTIS 1252. *Ejus Epitaphium & Scripta.*

Plura versu & prosâ edidit Opuscula, ex quibus duo illi Hymni, *Cælorum Candor* &c. & *Plange, Turba pauperum* &c. de S. Francisco conscripti, ad usum Franciscanorum desumpti, in eorum Ecclesiis hodiedùm recitantur.

Philippus Mornæus, Calvini assecla, nonnullas calumnias in insignem hunc virum, sicut & in Innocentium III. qui eum purpurâ donavit, ex quorundam mendaciis exscripsit: quas Gretserus examinatas, pro more suo, optimè diluit: cum quo libenter, & verè dicam, Innocentium, & Capocium excelsiores longè esse, quàm ut ab ulla cujusquam petulantis, & mendacis hominis lingua, calamoque tangi possint. *Philippi Mornai in Capocium calumniæ ridentur.*

Ejus meminere Petrus Corret. in Chronico Episcop. Viterbiens. Antoninus Sanderus in Elogiis. Hyppolitus Marraccius in Purp Mariana. Bzovius ad An. 1223. Ciaconius in Vita. Nomenclator Cardinalium. Franciscus Maria Turrigius. de Script. Cardin. Gaspar Jongell. in Purp. Divi Bernardi. Sebastianus de Olmedo in Chronico Ordinis Prædicat. Aliique.

ANNO 1198.

SEDENTE INNOCENTIO III. PONTIF. MAX.

De

ROMANO BONAVENTURA S.R.E. CARDINALE.

ROMANUS Bonaventura Romæ nobilibus parentibus ortus, litterarum eminentiâ clarus, ab Innocentio Tertio sacro Purpuratorom Catalogo adscriptus, Titulum primò S. Angeli; deinde sub Gregorio Nono, Honorii Tertii Successore, Episcopatum Portuensem, & S. Ruffinæ adeptus, varias legationes pro fidei, & Ecclesiæ negotiis summa cum laude obivit: ab Honorio siquidem Tertio sub Annum 1225. in Gallias Legatus missus, contra Albigenses hæreticos, Nuptias & Sacramenta detestantes, de peccato originali malè sentientes, Ecclesiam Sanctam, *Matrem fornicationum* appellantes, aliaque id genus satanica dogmata disseminantes, sacram militiam concitavit. Fautores eorum Principes Fuxi, Comites S. Ægidii, ac præcipuè Raymundum Comitem Tolosanum repetito anathemate percussit. LXIII. *Cardinalis creatus variis Legationibus perfungitur. Impium Albigensium dogma, & Sectatores ejus damnat.*

Interfuit Magno Concilio Parisiis adversùs hæreticos Albigenses (præsente Rege Ludovico) celebrato; Regi: post impertitam Apostolicam benedictionem Crucis signum in Hæreticos mox expli-

explicandum imposuit. Raymundus Comes Tolosanus, Albigensium fautor præcipuus, auditô in se decreti belli nunciô, timore correptus, ad evitanda fidelium arma, imperio Pontificis se pariturum simulavit; porrectôque spe veniæ consequendæ supplici libellô, arma contraria in speciem deposuit. Verùm sublato paulò pòst è vivis Ludovico, eadem, excussô metu, in gratiam Albigensium repetens, palamque pro eorum defensione in campum adversùs fideles procedens rapinis, cædibus, sacrilegiis omnia miscere cœpit. Romanus ad opprimendam fœdifragi Comitis audaciam accurrens, districta jam jam in Anglos Francorum arma felici eventu convertit in Albigenses, quos justô præliô aggressus, memorabili strage confecit. Hac Victoria potitus, Bituricis Synodum contrà Raymundum, & asseclas indixit; quos, ut ad frugem reduceret, pacemque in Galliæ Regno stabiliret; certis eam conditionibus cum Raymundo Albigensium Paranympho pactis firmat, eandemque Tolosanis omnibus, ad mentem & obedientiam redituris offert. Conclusâ utrimque, & acceptatâ pace Raymundum anathemate solutum fidelium communioni restituit, ea tamen lege, ut Feriâ sextâ Majoris hebdomadæ Psalmodiæ funebri in principe Templo, nudis pedibus, aperto capite, cilicio indutus, in sinceræ pœnitudinis argumentum adesset, Terrasque omnes fidelibus ereptas restitueret: quod & fecit.

Eosdem prælio aggreditur, cadit, vincit, & pacificat.

Raymundũ Comitem Tolosanum Albigensium Antesignanũ statutis pœnis in ordinem redigit.

Clerô deinde Gallicanô per censuras correctô, atque eliminatis abusibus & vitiis, quibus fœdè scatebat, in ordinem redactô, Romam reversus est: ubi ob Jurisprudentiam, quam optimè callebat, difficillimarum Quæstionum unde unde exorientium Judex ab Honorio III. designatus, magnam ex eo munere integerrimè administrato consecutus est laudem. Et ne merita tanti viri à Pontifice neglecta viderentur, eidem totius Campaniæ, & Maritimæ urbes in Præfecturam concessæ sunt.

Ab Honorio III. ob res præclarè gestas dignitatibus remuneratur.

Sub Gregorio IX. iterum legatione cùm in Gallia, tum in Anglia, ad stabiliendam inter discordes Regnorum illorum Reges concordiam perfunctus, rem brevi suâ industriâ ex voto confecit. Exinde Tolosam, atque Aurasiam digressus, utrobique celebratis Conciliis, corruptos Clericorum mores ad honestatis normam reduxit; abusus sustulit; ac præcipuè Inquisitores in suspectos de hæresi instituit. Inter hæc Episcopô Portuensi viam universæ carnis ingressô, Romanus rerum inscius, & absens in defuncti locum, Cleri Populique suffragiô, accedente Gregorii consensu, sufficitur. Ea dignitate auctus, vix interjectô unius anni spaciô, Romam ad Curiam, ut vices Apostolicas, absentis loco Pontificis, pleno cum titulo, & potestate gereret, revocatur; quod supremum munus pluribus annis adeò sanctè, incorrupteque administravit, ut à multis præcoci nimiùm voto (siquidem Gregorio superstitem esse contingeret) in Pontificem futurum expeteretur. Et sanè res ipsa nullo negotio processisset, nisi supervenientia fata, & ipsum & Gregorium uno propemodùm, eodemque tempore abstulissent; vanasque mortalium spes, & vota in ejus immaturo obitu elusissent.

Corruptos Clericorum mores ad honestatem reducit; abusus tollit. Episcopus Portuensis, & Urbis Romæ Vicarius constituitur, ac denique in futurum Pontificem expetitur.

Supremam denique à Gregorio Pontifice demandatam habuit lega-

legationem ad Romanos unà cum Joanne Columna S. Praxedis, & Stephano S. Mariæ Trans-tyberim Cardinalibus, quos, suo more, viriliter, facundè, ac nervosè allocutus, facilè ad obsequium, & obedientiam revocavit. Eo in munere gravi tentatus morbo, frustrà medicorum ope implorata, excessit è vita Romæ, sede Pontificia à Gregorii obitu vacante, anno scilicet Dominicæ Incarnationis 1241. cùm paulò antè Solis Eclypsis tam spissa apparuisset, qualis nunquam retrò antè fuisse memoratur. *Romanos ad obedientiam revocat.* *Obitus ejus.*

Ad Romanum plures dedit Epistolas Honorius III. quibus illum *Virum generis & morum nobilitate præclarum, industria & dexteritate conspicuum; Scientia & consilio insignem; prudentia & humanitate præditum, ac sibi præ cæteris fratribus merito suæ probitatis specialiter charum, & acceptum* nominat. Nec minori laude dignus pro tot, ac tantis exantlatis laboribus; quàm pro summa erga Ecclesias Portuensem, & S. Ruffinæ, in perquirendis earundem Ecclesiarum antiquis, & eò usque abstrusis monumentis, pietate & diligentiâ: qua Priscorum Pontificum Privilegia, placita, decisiones, decreta, & Diplomata collegit; atque ad æternam posteritatis memoriam Gregorianis Registris, unà cum ejusdem Gregorii confirmatione, inseri fecit Anno nostræ Salutis 1236. *Ab Honorio III. variis de causis laudatur.*

Ejus cum laude meminerunt Odericus Raynaldus in Annal. ad Annos 1225. & 1228. Bzovius ad annum 1235. Ughellius in serie Episcop. Portuens. Ciaconius in Vita. Andreas Victorellus, & Oldoinus in addit. ad Ciac. & Alii.

ANNO 1198.

SEDENTE INNOCENTIO III. PONTIF. MAX.

De

THOMA DE CAPUA
S.R.E. CARDINALE.

THOMAS de Capua, natione Campanus, vir magnæ eruditionis & probatissimæ conversationis, ab Innocentio III. Presbyter Cardinalis S. Sabinæ creatus, insignes aliquot legationes cum Raynaldo Episcopo Ostiensi egregiè obivit. Primam ad Viterbienses, cum Romanis ferali odio dissidentes, & decertantes, quos sublatâ dissidii causâ, certis legibus concordatos, Romanis amicos reddidit. Alteram ad Logobardorum Urbes, Friderico Cæsari rebelles, quæ quidem Cæsari, dum præsens esset, conciliatæ fidem, & obedientiam præstiterunt. Illo verò abeunte, ob Germanorum Ducum insolentiam, & ambitionem, continuasque exactiones, quibus penè ad incitas redigebantur, ad ingenium rediêrunt. Unde bellum, Legati operâ sopitum, rursùm inter eos recruduit; multisque extrema causa ruinæ fuit. LXIV. *Ab Innocentio III. Purpura adscriptus, variis Legationibus obeundis præficitur.*

Anno 1227. sub Gregorio IX. Thomas unà cum Joanne Episcopo Sabinensi tertia legatione functus est ad Germanos, ut ipsis ineundæ cum Ecclesia paci viam muniret. Pacem firmârunt Legati;

 & Fri-

In Germania Pontificio nomine pacem cum Friderico Cæsare init.

& Fridericus Imperator jurejurandô solemni se se obstrinxit, in iis omnibus articulis pariturum se Ecclesiæ Romanæ, ob quos è fidelium cœtu ejectus esset. Publicô quoque decretô sancivit eorum se omnium injurias voluntaria oblivione deleturum, qui bello inter ipsum & Ecclesiam exardescente, Ecclesiæ adhæsissent; nec unquam aliquam ab iis ultionem expetiturum; seque omnes ob id latas sententias revocaturum; neque Ecclesiæ deinceps jura aut ditiones invasurum. Alia insuper legatione functum fuisse apud eundem Fridericum unà cum Ottone de Alerano pro urgenda sacra expeditione in Sarracenos, scribit Ciaconius: cui non omnes consentiunt.

Deiparam Virginem miro cultu prosequitur.

Sanctissimam Dei Genitricem Mariam miro cultu, quoad vixit, prosecutus est. Et inter alia obsequiorum genera, quibus studium suum, & amorem in tam amabilem matrem orbi testatum fecit, edidit præclaros aliquot Hymnos, laudes & elogia tantæ Virginis continentes: inter quos eminet ille, cujus initium est, *Virgo parens gaude &c.* Scripsit etiam *Summam Artis dictaminis*: & Epistolam prolixam, & doctam Innocentii IV. nomine ad Fridericum Imperatorem; quem multis criminibus irretitum, jure merito Ecclesiâ depulsum obfirmatè demonstrat. In laudem quoque S. Francisci Minorum Institutoris duos Hymnos composuit, quorum initia hæc sunt: *In Cœlesti Collegio &c.* & *Decus morum, dux honorum &c*

ScriptaEjus.

Sanctâ morte decedit.

Sancto fine inter mortales esse desiit Anagniæ undecimo Kalendas Septembris, anno à partu Virginis 1243. defletus maximè à pauperibus, in quos sæpè sæpiùs magnam pecuniæ vim erogavit. Eandem liberalitatem etiam in Monasteria, præsertim Seraphica exercuisse perhibent Auctores Minorum.

Ejus meminère Panvinius de Pontif. Romanis. Aubery in Vita. Odericus Raynaldus in Ann. Ecclesiast. Hyppolitus Marraccius in Purpura Mariana. Nomenclator Cardinalium. Ciaconius in Vita. Gregorius Valent. in Hymnodia SS. Patrum. Ferdinandus Ughellius in Italia Sacra. & Alii.

ANNO 1198.

SEDENTE INNOCENTIO III. PONTIF. MAXIMO.

De

ROBERTO CURTONE
S.R.E. CARDINALE.

LXV.

Ab Innocentio III. Cardinalis renunciatur.

ROBERTUS Curtonus, egregiis in Anglia natalibus ortus, Oxonii primò politioribus litteris incubuit: ampliora deinde meditatus, Lutetiam Parisiorum, exindeque Romam divinis imbuendus Scripturis delatus; illic ob eminentem, qua pollebat, doctrinam Theologicæ facultatis Doctor; hìc verò ob mores candidissimos Presbyter Cardinalis in Cœlio monte, ab Innocentio III. renunciatus est.

Anno Domini 1212. in Gallias pro urgenda sacra Terræ sanctæ expeditione Legatus à latere missus, non modò Clero Gallicano, sed

& Regi

& Regi Francorum ejusque Primogenito Ludovico tanquam vir probus, doctus, ac utilis, gravissimis in hunc finem scriptis litteris, ab Innocentio commendatus est.

At ut Albigensium pestis, qua plurimi fidelium sensim corrumpebantur, radicitiùs evelleretur, ipse Robertus Legatus, qui colligendis in Terræ sanctæ subsidium Cruce-signatis operam navabat, contra Albigenses studium omne suum convertit; nonnullosque insignes famâ, & facundiâ Concionatores ad eam expeditionem ære conductos, fidelium animos jussit incendere. Ipse verò corpore, & cultu suspiciendus arreptô Crucis trophæô cum delecta pugnatorum manu in proximum Hæreticorum agmen forti fiducia irrumpens, ordines eorum primo impetu conturbavit; ac cæsis aliquot millibus, reliquos de fugâ sibi circumspicere coëgit. *Albigenses Hæreticos armis persequitur, & profligat.*

Intereà temporis cùm Archiepiscopus Burdegalensis, Parisiensis, & Andegavensis Episcopi, Marchiæ item, & Niverni Comites ad Syriacam expeditionem, magno & convenienti apparatu bellico instructi, se se accinxissent; ab Honorio Tertio, submissis nunciis, efflagitavêre, ut Robertum Cardinalem, virum navalis juxta ac terrestris militiæ peritissimum, ipsis proficiscentibus itineris comitem adjungeret: quibus Pontifex per litteras respondit, se ad eos Robertum non ad gerendum Ducis officium, sed ad divina oracula pro concione exponenda (cùm ad id sacrâ eloquentiâ plurimùm valeret) mittere; nec Legati munus, uti deposcebant, committere posse; cùm jam illud Pelagio viro gravi, ac strenuo demandâsset. Legatione tamen functus est posteà cum Romano Cardinali Episcopo Tusculano in Anglia duabus de causis: primò ut Regem Anglorum cum Gallis dissidentem, vel ad pacem, vel ad inducias ineundas induceret; deinde ut corruptos Cleri Anglicani mores, ad limam revocatos, castigaret; pristinoque decori restitueret: utrumque egregiè præstitit. *Frustra à Gallia Episcopis ad Expeditionē Syriacam expetitur.*

Ex Anglia deinde in Syriam cum auxiliaribus copiis ad ferendum fidelibus auxilium profectus, variis velitationibus cum Sarracenis gestis interfuit: nec multò pòst ex vulnere saucius, in suburbio Damiatæ, summo Christianorum mœrore, decessit Anno Salutis 1218. *Cū Sarracenis confligans ex vulnere saucius decedit.*

Scripsit eleganti methodo Summam Theologiæ. *Scripta ejus.*
De Salvatione Origenis.
Lecturas solemnes.
De Septem Septenis.
Aliaque non pauca.

Ejus mentionem faciunt Jacobus à Vitriaco in Historia Orientali libro 3. Godewinus de Card. Anglicis. Odericus Raynaldus in Annal. ad annum 1212. Nomenclator Cardin. Aubery in Vita. Balæus, Pitsæus de Script. Anglic. Ciacon. in Vita. Ughellius in Italia sacra. & Alii.

ANNO

ANNO 1198.

SEDENTE INNOCENTIO III. PONT. MAXIMO.

De

SIGEFRIDO EPPENSTEINIO
S. R. E. CARDINALE.

LXVI.

Archiepiscopus Moguntinus electus; sed mox ab æmulo pulsus, Romam proficiscitur, ubi ab Innocentio III. in Archiepiscopatu confirmatur, & Cardinalis creatur.

SIGEFRIDUS Eppensteinius, natione Germanus, illustri prosapiâ Baronum ab Eppenstein oriundus, Moguntinæ Ecclesiæ S. Petri Majoris Præpositus, post mortem Chunradi Cardinalis (cujus nos vitam suprà numero 40. descripsimus) circa Salutis Annum 1202. ob inculpatæ vitæ meritum, prudentiam, & doctrinam à saniore Capituli parte in Archiepiscopum Moguntinum electus, vi & armis à Lupoldo Wormaciensi Episcopo, (quem pars altera Capituli, muneribus & factione corrupta, schismaticô suffragiô, in Archiepiscopum designaverat) Philippi Francorum Regis auctoritate fretô expulsus, Coloniam ad Prænestinum Cardinalem, Pontificium ea tempestate Legatum se contulit; à quo summâ benevolentiâ exceptus, exhibitis electionis suæ tabulis, & approbatis, munus Consecrationis accepit. Exinde, Legati diplomate instructus, Romam profectus ab Innocentio III. palliô donatus, confirmatus, S. R. E. Presbyter Cardinalis titulo S. Sabinæ creatus est Anno Salutis 1206. Vivente tamen Philippo Rege, Lupoldi intrusi fautore, Moguntiam repetere, aut ibi tutò sedere non est ausus, licèt sæpius à Canonicis ad ineundam possessionem fuerit invitatus. Mortuo verò Philippo; & Lupoldo adversario ob sedis invasionem in exilium acto, Sigefridus à Clero, & Magistratu per litteras Moguntiam vocatus, ad Ecclesiam suam reversus est circa Annum Domini 1208. quam annis plurimis singulari prudentiâ, & integritate administravit.

Sublatis è vivis Adversariis ad sedem suam revertitur, eamq; laudabiliter moderatur.

Variis Legationibus perfungitur; qua occasione Fridericum II. Aquisgrani imperiali diademate coronat.

Legatus exinde Apostolicæ Sedis ab Innocentio III. ad diversas Nationes gravissimis de causis destinatus, multa præclara, & memorabilia operatus est. Insubriæ populos summâ dicendi arte adversùs Othonem IV. à fidelium communione segregatum, exauctoratumque concitavit. Civitates Insubriæ pontificia mandata despectui habentes, primò Sacris interdixit; deinde resipiscentes, solutô interdictô, in gratiam recepit. Aquisgrani Fridericum II. post Othonis obitum, regio diademate suis ipse manibus coronavit; Eundemque saluberrimis instructum legibus pro bono Ecclesiæ Romanæ, tot bellis hactenùs, ac dissentionibus divexatæ, ad amplectendam in Terræ sanctæ subsidium Crucem contra Sarracenos induxit; seque illi itineris comitem, & belli socium adjunxit.

Ab Innocentio III. Legatus in Orientem mittitur.

Pontifex rerum edoctus, dilaudatô Sigefridi pro Ecclesia zelô, eundem Legatum pro sacra Terræ sanctæ expeditione cum amplissimo Apostolicæ potestatis Diplomate constituit; in quo omnibus utriusque sexûs fidelibus contra Sarracenos prece, vel armis pugnantibus, aut quomodolibet rei Christianæ opem ferentibus, omnium

nium criminum toto vitæ decursu commissorum veniam (de quibus ritè apud Sacerdotem confessi essent) pœnarumque relaxationem plenissimè indulsit.

Sigefridus tali insignitus auctoritate, nullâ factâ morâ cum quibusdam Nobilibus Germanis Venetias contendit, ubi Classem bellicô apparatu, & milite instructam, rectaque in Syriam ad ferendum fidelibus auxilium navigantem conscendit. Damiatam secundis velis devectus, ibidem magnâ Christianorum lætitiâ in litus exoneratur. Ubi convocatas, adunatasque auxiliares fidelium copias sedulò explorat; in ordines distinguit; animat; paratasque in prælium esse jubet: Cumque eas hostibus & numerô, & viribus, & loci opportunitate suppares judicâsset, acres in Sarracenos excursiones (ubi ubi posset) tentat, magno semper fidelium emolumento, & hostium incommodo. Eapropter in rei benè gestæ præmium, à Christianis Patriarcha Hierosolymitanus eligitur, quam dignitatem ille, nescio qua causâ, humilitatis, an Patriæ amore ductus recusavit: utque illam opportuniùs declinaret, clàm è Syriâ, nullo in consilium admisso arbitro, Constantinopolim migrans se subduxit. Res ad Pontificem per cursores delata, magnæ causa offensionis fuit: quòd Legatus Apostolicus inscio, & insalutato Pontifice Syriam, in magnum discrimen suâ absentiâ adductam, deseruerit. Jubetur ergo gravissimis litteris quamprimùm eò reverti, oblatamque à Christianis Patriarchatûs dignitatem admittere: suâque præsentiâ, & ope fluctuantem Syriam consolari. Sigefridus imperio Pontificis parendum ratus, relicta Constantinopoli, ubi delituerat, mox navigat in Syriam: dignitatem tamen oblatam, (facta alterius eligendi potestate) obfirmato animo recusat. Bienniô ibi traductô, rerum strenuè gestarum clarus, annuente Honorio III. Innocentii Successore, remeavit in patriam ad suam sedem, quam insigni moderamine usque ad annum salutis 1225. rexit, quô Erdfordiæ supremâ defunctus die, cumulatam meritis animam Deo reddidit. Sepultus in Æde majori Beatæ Virgini Mariæ sacrâ, cum hâc brevi, etiamnum extante, Inscriptione.

Magno Fidelium commodo in Syriam ad ferendum auxilium contendit.

Patriarchatum Hierosolymitanum oblatum declinaturus, Constantinopolim aufugit.

Jubetur Syriam repetere & oblatam dignitatem admittere.

Revertitur in Germaniâ & Erdfordiæ moritur.

Migrans Vir fidus, quinto Septembris in Idus,
Præsul Sigfridus, fulget cælo quasi sidus.

Ejus Epitaphium.

Sigefridum non minùs natalium splendore, quàm doctrinæ præstantiâ illustrem scripsit Honorius Pontifex ad Christi fideles in Syriâ degentes.

Laudatur ab Honorio III. Pontifice.

Ejus mentionem faciant Nicolaus Serarius libro Rerum Moguntin. Trithemius in Chronico Hirsaug. Oldericus Raynaldus in Annal. Tom. 13. Ughellius in addit. ad Ciaconium. Ciaconius in Vitâ. & Alii.

ANNO 1216.

SEDENTE HONORIO III. PONTIF. MAXIMO.

De

JOANNE COLUMNA S.R.E. CARDINALE.

LXVII. JOANNES Columna Romanus, ex illustri, & pervetusto Columnensium genere, Odoardo Columna Patre natus, magno fuit familiæ suæ decori, & Romanæ nobilitati ornamento. Is ob raras & suspiciendas præcelsi animi dotes, egregiamque litterarum cognitionem, & rerum agendarum peritiam ab Honorio hujus nominis Tertio circa Salutis Annum 1216. Purpuratorum cœtui adscriptus, ac pro Sede Apostolica in Oriente contra Sarracenos Legatus missus, Imperatori Constantinopolitano infestis bellis undique lacessito, maximo præsentissimoque fuit adjumento. Christiani exercitûs Dux, & ingentis Classis Legatus ab eodem Pontifice designatus, in Ægypto ad Pelusium Nili Ostium, Æliopolim validissimam Urbem (quam vulgariùs Damiatam apellant,) viginti duorum mensium spacio obsessam, ac quinta denique Novembris die Anni 1219. expugnatam, in potestatem Christianorum redegit. Exinde sæpiùs (diverso quidem eventu) cum Sarracenis, undequaque per arma conquisitis, acie terrâ, marique confligtans, tandem obliquante fortuna à Barbaris in ipso belli æstu interceptus, post longam carceris macerationem, gravissimaque tormenta, quæ Christi nomine, invicto animi robore pertulit, certis conditionibus libertate donatus, ad Christianos rediit. Solutus ancipiti periculo neutiquam sibi feriandum ratus, in hostes iterum cum Joanne Hierosolymorum Rege movit; victorque multis millibus cæsis effectus, incomparabilem thesaurum, omnique armorum genere splendidius trophæum, sacram scilicet Columnam (ad quam olim Christus Servator noster Hierosolymis alligatus, & flagris cæsus fuisse memoratur) Barbarorum manibus ereptam secum Romam devexit: quam in S. Praxedis Templo supra suburram ad Exquilias positam cum insigni hac marmori incisa Inscriptione hodiedùm veneramur:

Ab Honorio III. Purpuratorum Collegio adscriptus Legatus in Orientem deputatur.

Æliopolim validißimam Urbem expugnat.

Sapiùs cum Sarracenis congressus capitur; duréq; habetur.

Libertate donatus Sarracenos cadit, iisq; Sacram Christi Columnam eripit.

JOANNI TITULO S.PRAXEDIS CARDINALI COLUMNÆ, QUOD APOSTOLICUS LEGATUS IN ORIENTE ANNO SALUTIS 1223. COLUMNAM, CHRISTI DOMINI POENIS ET SANGUINE CONSECRATAM HIEROSOLYMIS ROMAM ASPORTAVERIT; PATRIAMQUE SPOLIIS ORIENTIS NOBILEM TROPHÆO CHRISTI PATIENTIÆ AMPLIAVERIT. FRANCISCUS COLUMNA CARBONIANI ET RUBIANI PRINCEPS, NE GENTILIS SUI DE CHRISTIANA REPUBLICA, DEQUE COLUMNENSI GENTE, CUI VETUS COGNOMENTUM SACRATIUS FECIT, EGREGIE MERITI MEMORIA ABOLIRETUR, HOC AD POSTEROS MONUMENTUM POSUIT. ANNO DOMINI M. DC. XXXV.

Per-

Perfunctum quidem egregiè ac pro dignitate hoc legationis munere Joannem indicant Francorum Clericorum litteræ ad Honorium III. datæ, quas refert, & recitat Odericus Raynaldus in Annalibus ad Annum 1220.

Hujus Joannis opibus Hospitales domos ad Lateranum in honorem S. Andreæ Apostoli (quas hodie antiquato veteris dedicationis nomine, S. Joannis dicimus) cum magnis redditibus in alimenta peregrinorum & calamitosorum hominum, singulari pietatis laude exædificatas constat ex probatissimis Auctoribus. Basilicam quoque S. Mariæ Majoris de Urbe, sicut & Religiosos sanctæ Praxedis, aliasque sacras Ædes amplissimis muneribus, ornamentis, & donationibus locupletatas auxit, quæ omnia Honorius III. Pontifex Maximus (speciali desuper edito Diplomate) laudavit, probavit, & rata habuit. *Ex Oriente redux varia Pietatis monumenta Romæ ædificat, & dotat.*

Sub Gregorio IV. Honorii Successore Ecclesiastici exercitûs Legatus in Piceno, ac Regno Neapolitano iterum constitutus, quamplurima loca à fœdifrago Imperatore Friderico II. (quem censuris,& armis impugnaverat) occupata recepit; & ditioni Ecclesiasticæ subjecit. *Fridericum Secundũ armis impugnat, & censuris.*

De tanti viri virtute, cujus animo martyrium, non animus martyrio defuit, libet duorum insignium Auctorum, Volaterani scilicet, & Panvinii testimonia in medium afferre: Primus his eum verbis commendat: *Religiosus Cardinalis S. Praxedis, Legatus in expeditione Hierosolymitana fuit Anno 1220. martyrium ferè passus, nam inter duos postes à Barbaris hostibus inclusus jam jam secandus erat, nisi illos divinâ providentiâ ejus constantiâ fideq. permotos pœnituisset. Revertens verò Columnam, cui Christus ad plagas alligatus fuerat, secum attulit, quæ nunc apud Ædem S. Praxedis visitur.* Alter verò sic eum celebrat: *Joannes Columna nobilissimus Civis Romanus, Presbyter Cardinalis tituli S. Praxedis ante annos 450. ab Honorio Papa Tertio creatus, Hospitales domos ad Lateranum, occidentem versùs, suis opibus cum magnis redditibus in alimenta peregrinorum, & egenorum cum singulari pietatis laude primus ædificavit; quæ posteà à diversis Pontificibus, & Cardinalibus aucta; & insignibus proventibus in dies in pauperum perpetuos usus fuerunt locupletata.* Hæc illi. *Ejus Elogia referuntur.*

Non desunt tamen (ut virtus semper invidiam pedissequam habet) qui clarissimi viri famam funesto facinore denigrare sunt ausi. Inter quos, mirum est, Odericum Raynaldum, virum cæterà veridicum, doctum, probum, & accuratum deprehendi: qui errorem, seu potiùs calumniam Richardi secutus, Joannem Columnam Pontifici rebellem factum, Urbe relicta ad infensissimum Ecclesiæ hostem Fridericum descivisse, & cum eo Romanos, concives suos, junctis armis impugnâsse affirmat, ac propterea cùm Romam paulò pòst, extincto Gregorio IX. comitia celebraturus repetiisset, à Romanis captum, carcerique mancipatum pœnas perduellionis dedisse; arcesque suas, & loca ad ignominiam funditùs eversa vidisse. Meminit de eodem (sed pari fide) Westmonasteriensis: qui eum discordiæ inter Pontificem, & Cæsarem fatorem fuisse tradit. At hi, ut ingenuè fatear, culpam conferunt in criminis expertem. Nullus enim veterum Scriptorum, qui de Romanis *Perperàm à nonnullis Auctoribus Perduellionis arcersitur.*

 Ponti-

Ab impacta calumnia defenditur, & vindicatur. Pontificibus ſcripſêre, & annales Eccleſiaſticos edidêre, Joannem reum perduellionis facit. Neque veritati conſonant, quæ Weſtmonaſterienſis de diſſidio Pontificem inter & Cæſarem à Joanne excitato fabulatur. Scimus enim plurimorum Auctorum teſtimonio Fridericum Cæſarem Patrimonium Eccleſiæ occupare conatum, in Picenum Entium nothum ſuum cum infeſtô Pontifici exercitu immiſiſſe, quando pro Gregorio IX. Joannes Cardinalis arma contra Fridericum Eccleſiaſtica pertractabat. Entio enim in Marchiam hoſtiliter irrumpenti, Joannes pontificii exercitûs Dux ſtrenuè occurrit, illumque commiſſò prælìô devictum; ex Ducatu Spoletano, urbeque Fulginea ejecit. Quem Ducatum ipſe poſteà in præmium benè navatæ operæ à Pontifice conſecutus, rexit ab Anno 1228. uſque ad annum 1231. ut Annales Vaticani produnt. Atqui hæc non ſunt perduellìs crimina, ſed generoſa fortis, fidique militis facinora. Neque diſſidii inter Pontificem, & Cæſarem ſator dicendus eſt ille, qui apertis armis contra Eccleſiæ hoſtes pugnat pro Pontifice: qualiter Joannem pugnâſſe ex probatis auctoribus luculenter conſtat. *Confirmantur dicta ex Gregorii IX. vita ſcriptore.* Exteri Scriptores ut culpâ eximant Fridericum, in culpam alios vocant. Certè ſilentiô hæc oculatiſſimus vitæ Gregorii Scriptor Anonymus non prætermiſiſſet, ſi Joannem Pontifici vel rebellem; vel Friderico addictum agnoviſſet: Illum audiamus: *Occupare Patrimonium tentat Fridericus, quod emiſſò juramentò tenebatur defendere; aurum ſolvit, appendit argentum, nationes invitat, ut petram evertat Eccleſiæ, quam Dominus poſuit.* His igitur prætermiſſis Joannem ab impacta calumnia immunem credamus, & ad enarranda cætera ejus geſta properemus.

Honorii III. littera ad Joannem. Duas ad Joannem Cardinalem, dum Legati vices in Oriente ageret, ſcripſit Epiſtolas Honorius, quarum alterâ illum pcternè hortatur, ne ex funeſto Patriarchæ, & Imperatoris Conſtantinopolitanorum obitu, (qui ex inſidiis Theodori Laſcari in carcere capite truncati obiêrunt) nimium dolorem concipiat; néve animum abjiciat, ſed munus Apoſtolicum ſtrenuè ac fortiter, pro ut hactenus conſueverat, adminiſtet. Alterâ, verò mandat, ut Demetrium Regem Theſſalonicenſem, Romanæ Eccleſiæ addictiſſimum, ejusque Regnum, iniquis hoſtium armis impetitum, ſolicitè foverc, ac tueri pergat.

Glorioſo, & ſancto fine quieſcit. Ex Oriente Romam reverſus, clarus meritis & hoſtium trophæis, ſanctô fine quievit Anno Salutis 1245. ad initium Februarii: tenente clavum Eccleſiæ Innocentio IV. *Vir magnanimus, conſtans, doctus, familia decus, Patria ornamentum, & Eccleſia columna* ab Honorio appellatus.

Epiſtola ejus ad diverſos. Scripſit plures inſignes litteras ad Priorem Eccleſiæ Conſtantinopolitanæ Piſanorum: ad Chriſti fideles in Oriente: ad Joannem Hieroſolymorum, & Demetrium Theſſalonienſium Reges, quarum nonnullas refert Ughellius in Tomo 3. Italiæ ſacræ.

Ejus mentionem faciunt Paulus Jovius in Vita Pompei Cardinalis Columnæ. Odericus Raynaldus Tomo 13. Annal. Aubery in Vita. Ughellius de Cardinalibus Columnenſibus. Hippolytus Maraccius in Purpura Mariana. Panvinius de 7. Urbibus Eccleſiæ. Ciaconius in Vit. Aliiq; paſſim.

ANNO

ANNO 1216.

SEDENTE HONORIO III. PONTIF. MAX.

De

BERTRANDO SABELLO
S.R.E. CARDINALE.

BERTRANDUS nobilis è gente Sabella Romanus, Honorii III. Pontif. Max. ex fratre Pandulpho nepos, vir, seu corporis præstantiam, seu animi robur, multamque rerum omnium scientiam, atque peritiam spectes, in paucis egregius. Is nullâ Principum potentiâ, aut prece, solô virtutum, ac meritorum suffragiô, ab Honorio Patruo sub annum 1216. in sacrum Collegium adscitus, titulum SS. Joannis & Pauli cum purpura promeruit. Anno ab adeptâ purpurâ nondum exactô, legationis munere insignitus, eodem mandante Pontifice missus est in Galliam, tum ad conciliandos Ecclesiæ Romanæ hæreticos Albigenses; tum ad sopiendos enascentium bellorum fragores; tum ad alias rerum difficillimarum controversias æquitate dirimendas; qua de re extant gravissimæ ipsius Honorii literæ, ad Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, & Nobiles totius Regni datæ, quibus eos ad præstandam Legato fidem, & obedientiam; ferendumque pro re natâ auxilium, & opem solicitè, paterneque adhortatur. Qua occasione eidem etiam duplex aliud, non minùs operosum, quàm periculosum injunctùm est negotium: nimirùm primò, ut in Massilienses, qui violatâ immunitatis Ecclesiasticæ libertate Clerum oppresserant; & res sacras intolerabili temeritate conculcaverant (nisi intra præfixum resipiscentiæ tempus crimen admissum expiarent) anathema, atque interdictum jacularetur. Deinde, ut gravissimam controversiæ causam, hactenùs non sine sanguine inter Narbonensem & Montfortium agitatam, pro tribunali sedens cognosceret; discuteret; atque terminaret. Cùm verò adversùs Montfortium conjurâssent Jacobus Rex Arragonum, Fuxensis Comes, ac præcipuè Raymundus Junior, qui Avenionenses, Massilienses, Belliquadrenses, Tarraconenses, aliosque finitimos populos ad arma contraxerant; atque adeò tot nationes fidelium in extremum vitæ, rerumque discrimen adduxerant: Honorius malo occursurus, Bertrando Legato scriptis x. Kalend. Novembris 1217. literis præcepit: ut Jacobum, & Arragonios cum fœderatis Montfortii ditionem invadere; atque imperatas ab Oecumenicâ Synodô inducias violare vetaret: quòd si dicta soporatis auribus exciperent, contraque Pontificis mandata bellum movere pertinaciùs attentarent, ipsum Regem cum asseclis anathemate; ac terras eorum interdictô sacro feriret. Legatus commissam sibi provinciam, præter omnium spem & expectationem, tantâ prudentiâ, dexteritate, ac lenitate explevit, ut, sublatis utrobique dissensionum causis, & Regem obsequentem, & Pontificem laudatorem habuerit.

LXVIII.

Ob egregias animi dotes purpurâ, & legatione honestatur.

Massilienses, ac Principes alios censuris terret, ac pacificat.

Munere sibi commisso strenuè perfungitur.

 Semper

Semper magni fecit Bertrandum Honorius, eumque publicis litteris, *Virum probata vita, eminentis scientia, potentem in opere & sermone appellavit.* Crebras etiam litteras ad eum dedit, quibus illum de causis arduis & difficilibus consulit, ejusque desuper judicium & sententiam explorat.

Magni fit ab Honorio Pontifice.

Postrema Legatione functus est ad Hispanos, cùm ut eos ad sacrum bellum incenderet; tum ut corruptos Clericorum mores emendaret: cui muneri, dum strenuè incumbit, anginâ correptus, lucis usuram amisit circa septimum Honorii annum, qui fuit Christi 1223. Scripsit nonnullos Sermones de Sanctis, & Apologiam adversùs Concubinarios.

Obitus ejus, & Scripta.

Ejus meminère Petrus Frizonius in Gallia Purpurata, qui tamen errore labitur, dum eum natione Gallum nominat. Ciaconius in Vita. Aubery in Vita. Odericus Raynaldus in Ann. & Alii.

ANNO 1216.

SEDENTE HONORIO III. PONTIF. MAX.

De

CONRADO DE URACH
S.R.E. CARDINALE.

LXIX. CONRADUS natione Germanus, Filius Eginonis Comitis de Urach (seu ut alii scribunt, Egonis de Fürstemberg, & Agnetis de Zeringen) Frater Eginonis Comitis de Friburg, quem Surius *Conradum Eginonis* appellat: Et quem minus periti cum Conrado Henrici Nigri Bavariæ Ducis filio, cujus suprà numero 38. memini, confundunt. Conradus vix dum pubertatem egressus, cum fratre Bertholdo à Patruo Thuringiæ duce obses datus est Philippo Sueviæ Duci, Cæsari designato. Quo ab Ottone Palatino Rheni interempto, ambo fratres (qui in captivitate positi monasticam vitam, si liberarentur, voverant) voti damnati Ordinem Cistercienfium ingressi sunt. Bertholdus quidem in per celebri Monasterio Salemitano in Suevia; Conradus verò, abdicato Canonicatu Leodiensi, in Cœnobio Villariensi. Initio sui tyrocinii, quàm fortiter adversùs carnem, dœmonisque insidias luctatus sit, docet Cæsarius Monachus libro 3. capite 33. quem curiosò lectori adeundum suadeo.

Philippo Cæsari cum fratre Bertholdo à Patruo obses datur. Dimissus, Ordinem Cisterciensium in Cœnobio Villariensi ingreditur.

Successu temporis, cùm se omnium virtutum exemplar exhibuisset, communi suffragio Prior; deinde Abbas Villariensis electus, Cœnobium non modò spiritualibus, sed & temporalibus rebus (meritis suis) vehementer auxit. Nemo illo, dum præesset, humilior, nemo observantior; nemo doctior; aut moribus sanctior. collapsam in Ordine disciplinam, exemplò prævio pristino decori restituit. Cumque in ea tempora incidisset, quæ vitiis, criminibus, ac cruentis maximè factionibus redundarent, divino zelo æstuans, submissis quaquaversùm Concionatoribus, profligatorum homi

Mirè proficit & Abbas Villariensis eligitur.

Virtutes ejus & zelus.

hominum licentiam magna ex parte repressit; vitia subrogatis virtutibus proscripsit; ac inimicitias, reducta pace, extinxit. Orationi intentus frequenter extra sensus rapi, diturnasque & admirabiles extases pati deprehensus est: in quibus & arcana cœlestia penetravit, & eximiis tum à Deo, tum à Virgine Deipara, cui addictissimus erat, gratiis illustratus fuit.

Abbas Claravallensis; mox Generalis totius Ordinis Cisterciensis; ac demùm Cardinalis Episcopus Portuensis eligitur.

Fama Sanctitatis ejus longiùs diffusa, ad Claramvallem vocatus, ibidemque salutis anno 1214. Abbas effectus, monasterium mirabili sanctitate eò usque moderatus est, donec Patrum totius Ordinis desiderio, & calculo sub annum 1217. Generalis Cistercii eligeretur. Quod munus cùm annis duobus integerrimè sustinuisset, ab Honorio III. ejus virtutibus allecto, circa annum 1219. Cardinalis Episcopus Portuensis inaugurgtur, & ad varias gentes, summo Reipublicæ Christianæ bono, destinatur. In Galliis constitutus, Albigensium errores solidissimis rationibus impugnans, quamplurimos iis infectos ad resipiscentiam, viamque salutis reduxit. In Hispania pariter ac Germania legatione functus, Reges ac Principes amicitiæ fœdere copulatos, in subsidium Terræ sanctæ adversùs infideles concitavit. Bartholomæum Carcassonensem deperditæ vitæ hominem, quem Albigenses in Antipapam elegerant, ejusque Judicio dogma suum confirmandum obtulerant, armis & scriptis eò usque insectatus est, donec infamem Insulam, & hæresim ejurâsset. In Italiam redux, Legationem continuare jussus, Viterbienses ob affectos gravissimis injuriis Ecclesiasticos viros fidelium cœtu amovit. Florentino Episcopo, juxta Honorii mandatum, districtè præcepit; ne quem sacris initiandum in Clericalem Ordinem admitteret, donec Florentini iniquam illam legem, (qua Clericis, ne paternam hæreditatem adire possent, copia adimebatur) revocarent. Mediolanenses acriter objurgavit, qui adversùs sacrosancta Oecumenicæ Synodi decreta, datamque Apostolicæ Sedi fidem, expeditionem adversùs Parmenses, & Cremonenses parabant. Placentinos verò, qui jurisjurandi Romano Pontifici præstiti religione spretâ Mediolanensium partibus studebant, intentato censurarum terrore perculit. E fidelium communione rejecit Comitem Ascariæ, qui immani scelere Abbati Nieubergensi oculos effoderat. Excepit verò paterno sinu Valdemarum Episcopum, qui cùm toties olim ob innumera à se flagitia commissa anathemate perculsus fuisset, ægrotus factus, admissorum tandem scelerum pœnitentiam egerat, ac veniam ex Ecclesiæ ritu consecutus, ubi convaluit, nunciò rebus humanis missò in Cisterciensi Familiâ se Deo consecraverat. Lusitanorum Regem, gravissimis facinoribus regium decus coinquinantem, eaque propter fidelium cœtu ejectum, Apostolicâ constantiâ redarguit; atque ad officium, & resipiscentiam adegit.

Varüs Legationibus obeundis præfectus, multa egregia operatur: quæ nominatim recensentur.

Archiepiscopatus Bisuntinum, & Leodiensem oblatos, ex humilitate recusat.

Dùm his zelò verè Apostolicò in rei Christianæ emolumentum insisteret, à Canonicis tum Leodiensibus, tum Bisuntinis electus est utrobique Archiepiscopus, quam dignitatem ille tamen, humilitati studens (annuente Pontifice) recusavit. Instantibus verò Canonicis, ac supplicem libellum pro Conradi confirmatione offeren-

offerentibus respondit Pontifex: *Integrum sibi non esse, ut Universalis Ecclesia tamen intra mœnia unius Civitatis, aut Provincia includatur. Conradum Ecclesia natum, Regnis ac Regibus pralucere debere.*

Eâdem constantia Summum Pontificatum declinat.

Honorio III. anno Domini 1227. vitâ functo, cùm in Conclavi de Successore designando Patres in factiones scissi acriter disceptarent, visum fuit ad tollendam discordiam, inter tres Cardinales, (quorum primus Conradus erat) compromissum facere, ut quemcunque ipsi denominarent, hic Pontifex salutaretur. Acceptata conditione cùm duo illi suffragia sua in Conradum contulissent, multùm reluctando, *Absit*, inquit, *hoc à me, ut me ipsum dicar elegisse: quin si viri estis, & Ecclesia consultum vultis, Hugolinum mecum eligite: Virum genere, vitâ, moribus, prudentiâ, & doctrinâ clarissimum.* Placuit ea vox Patribus universis, quare Hugolinus sub nomine Gregorii IX. auctore Conrado, in defuncti locum Honorii concordi sententiâ suffectus est.

Legatus in Germania multas adversitates, & vita discrimina patitur.

Gregorius in Petri Solium evectus, protinùs Conradum in Germaniam Legatum misit, ubi multas in reprimendis Schismaticis Coloniæ perpessus est calamitates, vitæque præsentissima discrimina: quæ tamen nullo perterritus metu, pro Dei causâ ultrò læto hilarique vultu adiit. Coloniæ Concilium celebrans, S. Engelberti, Urbis ejusdem Archiepiscopi, & Martyris interfectores, diligentissimè ad necem conquisitos, cùm nusquam apparerent, anathemate percussit, & à Fidelium communione removit: ea occasione multa etiam tum ad Clerum, tum ad populum spectantia saluberrimis legibus decrevit, quibus corruptis hominum moribus, penéque ruenti disciplinæ Christianæ consultum iret, ac mederetur. Duas itidem Synodos iis in partibus constitutus, alteram Moguntiæ, Leodii alteram pro exorbitantis Cleri reformatione indixit, & absolvit.

Parisiis in Ecclesia Prædicatorum visione illustratur.

Parisiis in Ecclesia Prædicatorum, dum sacrum eorum Ordinem recens exortum jussu Pontificis confirmaturus oraret, in spiritu raptus conspexit librum Angeli ministeriô sibi oblatum, in quo mirabili charactere hæc verba continebantur, *Laudare, Benedicere, & Prædicare.* Quæ sacro Dominicanorum Ordini conveniebant.

Legatur in Palæstinam ubi sanctè moritur.

Completis in Germania optimâ fide legationibus ad Gregorium reversus est, à quo multùm laudatus, novâque legatione insignitus, in Palæstinam contra Saracenos cum Cruce signatis trajecit; ubi post plurimos pro Dei & Ecclesiæ honore exantlatos labores, morbo correptus; mortique vicinus cygneam hanc vocem vir optimus emisit: *Utinam usq; in hanc horam in Villari meo Cœnobio sub disciplina vixissem regulari; & cum culina hebdomadariis ibidem scutellas abluissem! fortasiè mitiùs jam decederem! sed nec sic animum despondeo, quem Christi laboribus ubiq; participem, ubiq; sacratum feci.* Sic plenus spe, meritis cumulatus, & miraculis clarus, placidissimâ morte sanctam vitam conclusit.

Obitûs Eius dies, & annus incertus.

Quo verò die, vel anno Vir omni memoriâ dignus, cælo insertus sit, variant Historici: Ciaconius obitum eius ad annum 1234. refert; Arnoldus Vuion, improbatâ Ciaconii sententiâ, ad annum 1225. restringit; Alii non nisi anno salutis 1226. vitâ functum contendunt

tendunt. Ego nulli horum deferens, affirmo cum Augustino Oldoino, & novissimè cum Ludovico Morerio, illum ad superos evolasse Pridiè Kalendas Octobris Anno Domini 1227. liquet hoc ex antiquissimo Epitaphio, in Claraevallensi Coenobio, tumulo ejus ad rei memoriam inscripto: quod hîc referre non piget; & est tale:

Epitaphium ejus.

HIC JACET D.CONRADUS, QUI PRIMO VILLARIENSIS, POSTEA CISTERCIENSIS ABBAS, AC DEMUM PORTUENSIS EPISCOPUS CARDINALIS ELECTUS EST. QUI CUM IN TRANSMARINIS PARTIBUS MORARETUR, INSTANTISSIME PRÆCEPIT, UT CLARAMVALLEM, UBI JAM DUDUM SUAM ELEGERAT SEPULTURAM, OSSA SUA DEFERRENTUR, ET IBIDEM SEPELIRENTUR. OBIIT AUTEM ANNO DOMINI 1227. PRIDIE KALEND. OCTOBRIS.

Legitur & alia ejusdem tumulo apposita Inscriptio, viginti versibus Leoninis comprehensa, quam Lectori curioso exhibebit Augustinus Oldoinus in additionibus ad Ciaconium.

Visionibus, & signis clarus depredicatur

Conradum frequenti apparitione Beatiss. Virginis Mariæ recreatum, aliisque signis prodigiosis illustrem extitisse testantur omnes, qui de illo scripsere. Inter miracula illud maximè stupendum eminet, quòd ex Chronico Villariensi Cæsarius Heisterbacensis, Thomas Cantipratensis, aliique cum doctissimo Andrea Saussay mox citando referunt. Digitos nimirùm ejus, quibus ad Aram faciens, Dominici Corporis, & sanguinis mysteria pertractare consueverat, noctu candelarum instar adeò effulsisse, ut vel solo eo fulgore (excluso omni alterius luminis adminiculo) Scripturas sacras clarè & expeditè legeret. Miraculum sanè eò majori admiratione dignum, quòd singulis noctibus accidisse feratur.

A Gregorio IX. Pontifice maximè commendatur.

Conradum Gregorius IX. in litteris Apostolicis virum vitæ, morumque honestate integerrimum, sacerdotali candore, & fide incorruptum, prudentiâ, consiliô, litterarum scientiâ & generis nobilitate præclarissimum, nullique secundum vocat. Eundem pariter condignô elogiô commendat prælaudatus Andreas Saussay in Martyrologio Gallicano his ferè verbis: *Felici morte in Christo obdormivit pia memoria Conradus ex Abbate Cisterciensi S.R.E. Cardinalis, & Episcopus Portuensis, qui in Gallia Legatus Ordinem Prædicatorum recèns ortum confirmavit, piéq; admodùm provexit. Deinde in Orientem missus, pro Respublica Christiana necessitatibus, strenuam operam collapsis rebus restituendis impendit. Redux in summum Pontificem electus, tantum honorem recusavit, atque tandem Claravallis post religiosum finem sepultus est. De quo id proditur memoriâ dignum, quod digiti sacri, quibus divinam hostiam offerebat, tanta luminis claritate sæpè effulgere visi sunt, ut noctu ei tenebras tanquam meridiem illustrarent. Ei etiam frequenter Virgo beatissima, cui admodum devotus erat, apparuit, de exhibitis sibi à fideli cliente officiis gratulata.*

Elogium ejus ex Andrea Saussay affertur.

In Calendario Cisterciensi pro Sancto celebratur.

In Calendario Ordinis Cisterciensis pro Sancto miraculis clarô adnotatur die 30. Septembris. Severinus Boëtius Tomo 3. Conciliorum parte secunda, Concilium in Germania à Conrado adversùs Simoniacos, & Concubinarios celebratum notis dilucidavit, in quibus eum, virum doctum, sanctimonia, & religione percelebrem appellat.

Ejus Scripta. Scripsit inter alia pia, & docta Opuscula Tractatum insignem de Hæresi Albigensium in tres partes divisum, in quarum prima fœdissimæ hæresis dogmata & errores detegit; in secunda examinat & impugnat: in tertia doctissimis argumentis enervat, & explodit. Hic Tractatus inter vetera MM. SS. Cistercienfia Claravallis extare dicitur.

Ejus mentionem faciunt Chrysostomus Henriquez lib. 1 in Fasciculo Sanctorum Ordinis Cisterciensis. Joannes Abbas in Cathalogo Sanctorum. Molanus in Indiculo Sanctorum Belgii. Cæsarius Heisterbacensis in Historia lib. 3. cap. 33. Aubertus Myræus in Chron. Cisterciensi. Moncalvus in Chronico Ordin. Cisterciens. Arnoldus Wion in ling. Vita. (ubi tamen errore labitur, Conradum hunc, cum alio Henrici Nigri Bavariæ Ducis filio confundens) Gaspar Jongellinus in Purp. Divi Bernardi. Ciaconius in Vita. Aliiq; multi.

ANNO 1216.

SEDENTE HONORIO III. PONTIF. MAXIMO.

De

OLIVERIO SAXONE S.R.E. CARDINALE.

LXX.

Magno rei Christianæ emolumento indefessus S. Crucis Prædicator adversus Hæreticos, & Paganos existit.

OLIVERIUS, natione Germanus, cognomentò Saxo, ortum habuit Coloniæ Ubiorum, ob raram oris facundiam, Judicii, ac doctrinæ præstantiam, qua plurimùm eo tempore excelluit, communi vocabulo *Magister Oliverius*, appellatus. Is totius Germaniæ insignis, & indefessus Crucis Prædicator adversùs Hæreticos, & Paganos, non modò collapsam ubique locorum pietatem, & fidem egregiè restituit; sed & multa fidelium millia ad induendam Crucem pro Terræ sanctæ subsidio, & recuperatione sacris suis hortationibus induxit. Eapropter ex Scholastico Coloniensi Episcopus Paderbornensis à saniore Capituli parte contra Henricum Præpositum SS. Apostolorum Petri & Pauli electus, cùm is ipsi ex æmulatione negotium facesseret, Romam litteris instructus, Canonicæ electionis indicibus, se contulit. Ubi discussâ ab Honorio III. electionis ejus causâ, justâque inventâ, & probatâ, sua in electione confirmatus, palliôque donatus est. Quin etiam paulò pòst, cùm plurima solidæ virtutis, & doctrinæ specimina in Aula Romana edidisset, ab eodem Pontifice in numerum Cardinalium Episcoporum adscitus, Ecclesiæ Sabinensi præfectus est. Quemadmodùm ex subjecta Honorii III. epistola ad Capitulum Paderbornense data, clarè colligitur, quæ est 36. in ordine Registri Vaticani. *Sanè cùm Magister Oliverius, electus vester Episcopus ad nostram præsentiam accessisset, nos ipsum, quem laudabilis fama nobis multipliciter commendârat, recipientes hilariter & benignè, munere sibi consecrationis gratanter impenso, ipsum pòst aliquandiù apud Sedem Apostolicam commorantem, merita virtutum ejus, quæ priùs intellexeramus, probabilibus argumentis experti, in consortium nostrum admisimus, & transtuli-*

Eadem causa Episcopus I. Paderbornensis, deinde Cardinalis ab Honorio III. eligitur.

Ejusdem Pontificis de eo Epistola ad Capitulum Paderbornense.

mus in Episcopum Sabinensem, Qui, uti speramus in Domino, ita serviet Ecclesia generali, ut vestra Paderbornensi, tanquam priori sponsa, dilectionis servet gratiam specialem &c. Extat & alia Honorii epistola ibidem numerô 219. data VII. Idus Aprilis Nobilibus, Canonicis, & Ministris Ecclesiæ Paderbornensis, quâ iis Pontifex præcipit, ut redeunti Oliverio Episcopo à se consecrato (rejectô æmulô Henricô) honorem debitum, & obedientiam præstent.

Legatus ad Fridericum Imp. mittitur, ut eum in Ecclesiasticos, Monachos, ipsumque summum Pontificem desævientem emolliret; sin minus, censuris perculeret.

Legationis munere ejusdem Pontificis jussu functus est cum Nicolao Episcopo Tusculano ad Fridericum II. Imperatorem duabus de causis. Primò ut eum in Clerum, Monachos, & Ecclesiæ Antistites inauditâ sævitiâ debacchantem suâ facundiâ emolliret; & ab ulteriori furore, in eosdem concepto, cohiberet. Quosdam enim Minorum Religiosos, nullâ interveniente causâ, vivos combussit; Monachorum quosdam, & Clericos ultimô suppliciô affecit; ex Episcopis nonnullos suis sedibus deturbavit; alios ad tempus proscripsit; multos, aliis substitutis, in exilium perpetuum relegavit. Cassinense Monasterium, ejectis Monachis, militibus suis in prædam exposuit; factâque in Pontificem ipsum infami conspiratione, vitæ ejus insidiatus est: aliaque plurima nefanda, quæ & animus memorare, & calamus referre horret, patravit. Ad hunc, inquam, missus est Oliverius Legatus, ut eum ab immani sævitia ad humanitatem, & obedientiam revocatum, in gratiam reciperet; vel si lenitate minùs aut rationibus proficeret, diro ipsum anathemate percuteret. Deinde ut eum (si quidem resipisceret,) ad ineundam cum Ecclesia pacem, atque adeò ad suscipiendum cum Principibus Christianis in Sarraçenos bellum incenderet. Utrumque egregiè præstitit Oliverius, luculentissima in rem usus oratione; qua ipsi post commemorata Ecclesiæ beneficia, juratam maximè sacrosancti jurisjurandi formulam in mentem revocavit. Delinitus viri facundiâ Fridericus, pacem, fidem & obedientiam Pontifici quidem in speciem spopondit, at paulò pôst pravis suorum consiliis seductus, ad ejuratum mox vomitum rediit. Quare Legatus jura Ecclesiæ contempta videns, sacris in contemptorem censuris, ex nomine Pontificis, animadvertit: Cæsaremque perjurum publicô religionis telô defixit.

In Germaniam redux multos ad bellum sacrum incendit; ac multa patitur.

Legatione itaque commissa strenuè perfunctus, summa cum laude Romam; exinde in Germaniam ad suam sedem reversus est. Ubi pro populo frequentes, doctas, ac zelô plenas conciones habens, incredibilem fidelium multitudinem ad bellum sacrum, propositis ex recluso Ecclesiæ thesauro Indulgentiis, provocavit. Quas verò in enunciando Dei verbo pertulerit ærumnas, labores, atque insidias, narrat fusiùs sua in Historia Cæsarius his ferè verbis: *Dum in Trajectensi Episcopatu crucem contra Sarracenos prædicaret, & à perdito quodam homine, qui Diabolo homagium fecerat, impediretur, statim in spiritu prophetico, & vehementi ad eum conversus Oliverius dixit: obmutesce infelix, vas enim Diaboli es, & Diabolus loquitur per os tuum; cùm tamen hominis statum & personam ignoraret. Confusus miser è vestigio ab Ecclesia recessit, & cùm gratius obsequium Dæmoni præstare se non posse arbitratus esset, quàm si inimicum suum Oliverium è medio tolleret, tribus diebus lethali*

eum odiô insectatus est. Verùm protegente Oliverium Deo, Insidiator (justo Dei judicio) morte subitaneâ præventus, ejulans & impœnitens decessit. Oliverius hôc miraculô celebris factus, magnamque apud omnes sanctimoniæ famam consecutus, tandem diem suum Paderborni sanctissimè obiit die tertia Septembris, Anni 1228. Quem Honorius Pontifex *Virum scientiâ, vitâ & famâ præclarum, & morum elegantiâ, ac conversationis dulcedine gratiosum* publicis litteris edixit.

Plurimis Virtutibus insignis Paderborni diem obit extremum.

Ejus Scripta.

Scripsit insignes aliquot Libros de Bello sacro.
Sermones plurimos ad populum â se habitos.
Constitutiones Synodales de Ecclesiastica Disciplina ad Reformationem Cleri Paderbornensis spectantes.

Ejus meminère Cæsarius lib.2.cap.2. Aubery in Vita. Nomenclator Cardinalium. Eisengreinius. Acta Paderbornensia. Ciaconius in Vita. Ughellius tom.1. Ital. Sacra.

ANNO 1227.

SEDENTE GREGORIO IX. PONT. MAXIMO.

De

JOANNE HALGRAIN
S. R. E. CARDINALE.

LXXI.

Dubium an unquam Monachus Cluniacensis extiterit.

JOANNES Halgrain Abbatis-villanus, Gallus in Picardia natus, quorundam testimonio Prior fuit Cœnobii Divi Petri Abbatis-villani, Congregationis Cluniacensis. Albericus Historicus (quem allegat Morerius) negat Joannem unquam fuisse Monachum, aut Priorem.

Cardinalis creatur ad Jacobum Aragoniæ Regem Legatus mittitur.

Divinas litteras mirum in modum percalluit, quas in Academia Lutetiana, Doctorali laureâ insignitus, diu publicè magno cum plausu interpretatus est. Insignis divini verbi præco, ex Ecclesiæ Ambianensis Decano Bisuntinus primò Archiepiscopus; deinde post Oliverii obitum Cardinalis Episcopus Sabinensis à Gregorio IX. renunciatus, atque ad Jacobum Arragoniæ Regem crucis prædicandæ causâ adversùs Sarracenos Legatus Anno Salutis 1228. missus, munus hoc integerrima fide, (ut ipse Pontifex in litteris attestatur) complevit. Ex Hispania in Italiam contendens, Romam secum adduxit B. Raymundum de Pegnafort Barcinonensem, virum ea ætate non minùs sanctimoniâ vitæ, quàm exactissimâ divini humanique juris peritiâ percelebrem, qui *Decretales* posteà, Gregorii IX. jussu, in unum volumen colligens, quinque libris ordinatissimè distinxit.

Secum Romã adducit B. Raymundum de Pegnafort.

Legatus in Germania Fridericum Imper. certis conditionib. ad saniora reducit.

Aliam etiam habuit legationem, & quidem celeberrimam cum Thomâ Cardinali Presbytero S. Sabinæ ad Fridericum II. Cæsarem: qui, submissis Messanensi Episcopo, & Magistro Ordinis Theutonici Oratoribus, Gregorio Pontifici supplex factus, anathematis ab eo absolutionem, & pacem efflagitavit, armis potiùs Confœderato-

deratorum perterritus, quàm amore pacis in Ecclesiam ductus: Legati siquidem innumerâ Præsulum, ac Principum frequentiâ circumfusi, Imperatori è scripto causas exposuêre, ob quas fidelium cœtu ejectus, & communionis consortio privatus esset. Iis auditis Imperator pariturum se per omnia Pontifici sacramento publico edixit. Legati admisso eo jurisjurandi edicto, Imperatori præcepêre, ut duobus millionibus pro illato Ecclesiæ detrimento persolutis, primò omnia vel à se, vel à suis malè ablata, aut occupata Oppida, Ecclesiæ Romanæ, cujus erant, restitueret. Secundò, ut Castra, Bona, ac facultates Monasteriis, Ecclesiis, Templariis, Hospitalariis, nobilibus viris, aliisque, qui Ecclesiæ partibus adhæsissent, vi erepta in integrùm redderet. Tertiò, ut pulsos ob id, suisque sedibus emotos Episcopos, Præsules, Abbates, & Sacerdotes ad pristinas honorum dignitates edicto imperiali revocaret. Quibus sanctissimè promissis, Legati demum adjecêre, se in præsentiarum quidem hæc jubere, alia alio tempore (ubi Pontifici visum esset) mandaturos. Quæ omnia Notarii ad id muneris constituti, ex Legatorum voluntate, in publicas Tabulas, rei gestæ declaratorias, retulêre. Institerunt deinde Legati, ut nonnulli sacri Romani Imperii Principes, nominatim Bertholdus Aquileiensis Patriarcha, Everhardus Salisburgensis Archiepiscopus, Siffridus Ratisponensis Episcopus, Bernardus Dux Carinthiæ, atque Otho Dux Moraviæ pollicerentur, se bona fide operam collocaturos, ut Imperator, quæ in Marchia, & Ducatu Spoletano invasisset oppida, redderet: Ad quæ sine fraude perficienda se fidejussorio nomine obstrinxêre, remque publicis instrumentis commendatam Legatis in manus consignavêre. Recepto itaque jurejurando Legati Friderico (in speciem tum quidem resipiscenti) morem gesserunt, eundemque tot nexibus excommunicationum irretitum in Dei nomine absolverunt, liberumque censuris omnibus (adimpletô tamen juramentô) pronunciârunt, pro ut ipsemet Fridericus in gratulatoriis litteris ad Pontificem post absolutionem datis testatur.

Fidejussores pro Imperatore petit, & impetrat.

Fridericum Imp. censuris, & anathemate solvit.

Pontifex his peractis Joanni gratificaturus, eidem Patriarchatum Constantinopolitanum in contestationem amoris obtulit, quem tamen ipse solitudinis, quàm dignitatum studiolior, ex humilitate, qua semper eminuit, recusavit: ac non multò pòst de Ecclesia Romana optimè meritus migravit ad superos anno à partu Virginis 1237. Ita Scriptores ferè omnes contra Ciaconium, obitum ejus ad annum 1240. prorogantem.

Patriarchatum Constantinopolitanũ recusat.

Obitus ejus.

Omnium disciplinarum genere excultissimum fuisse Joannem probant varia ingenii ejus monumenta: inter quæ principem locum obtinet *Explanatio in Cantica Canticorum*, plena judicii, à Doctis multùm æstimata, typisque vulgata Parisiis anno Domini 1521. Scripsit prætereà eleganti stylo Libros quatuor, *de Sanctis* duos, ac totidem *de Tempore*, nonnullaque alia heroico carmine, magna cum laude decantata, quæ vel temporum injuriâ, vel hominum incuriâ periêre.

Scripta ejus.

Ejus mentionem faciunt Petrus Frizonius in Gallia Purp. Oldericus Raynaldus in Annal. Nomenclator Cardinalium. Jacobus Chiffletius de Episcopis Bisuntinis Ciacon. in Vita. Floravantes Martinellus. Trithemius. Ughell. T. 1. It. Sac. & Alii.

ANNO 1227.

SEDENTE GREGORIO IX. PONTIF. MAX.

De

OTHONE CANDIDO S.R.E. CARDINALE.

LXXII. OTHO Candidus, seu Blancus, filius Guillelmi hujus nominis III. Marchionis Montis Ferrati, (quem Ciaconius, & ex illo novissimè Morerius perperàm *de Alerano Casalensem* apellant, cùm tunc temporis civitas Casalensis nondum imperio Marchionum Montisferrati subjecta esset.) Diaconus Cardinalis S. Nicolai in carcere Tulliano à Gregorio IX. renunciatus, in Germania primò, sed minùs prosperè Legati partes egit. A fautoribus namque Friderici Cæsaris, cujus cognoscendæ causæ gratiâ advenerat, rejectus, aulâ relictâ in Angliam ab eodem Pontifice, summa instructus auctoritate, destinatur ad redintegrandum collapsæ dignitatis Ecclesiasticæ decus, moresque depravatos Clericorum excolendos. Quo argumento extant litteræ Gregorii Pontificis ad universos Angliæ, Walliæ, & Hiberniæ Præsules, quibus eos de imposito illi à Sede Apostolica munere certiores facit: quarum fragmentum in medium affero hujus tenoris: *Ecce magnum & honorabile membrum Ecclesiæ, amicum Dei, dilectum filium nostrum Othonem S. Nicolai in carcere Tulliano Diaconum Cardinalem, virum morum honestate conspicuum, preditum scientia litterarum, & providentia circumspectum. Quem, cùm inter cæteros fratres nostros admodùm charum habeamus, pro suorum excellentia meritorum, in Angliam, Walliam, & Hiberniam commisso sibi plenè legationis officio, de latere nostro providimus destinandum, ut cùm in hac hora undecima cultores simus in vinea Domini constituti, vice nostra, ut diligens cultor evellat, & destruat, dissipet, & disperdat; ædificet, & plantet; pro ut ipse Dominus ministrabit. De quo utique: cum ei adsit puritas conscientiæ, & præsto sit judicium rationis, malitiam odiat, & innocentiam tueatur, speramus firmiter, quod recta regens, & dirigens indirecta, aspera convertet in plana &c.* Præcipit deinde, ut ipsum debito honore prosequerentur, ejusque exciperent imperia, atque ad divinam amplificandam gloriam, suam illi operam, ac studium commodarent.

Cardinalis creatus, & Legatus in Germaniam directus rem minùs prosperè agit.

Exinde in Angliam destinatus, splendidè susceptus; sed & suas ibi oppositiones à nonnullis patitur.

Paruisse Apostolicis jussis Anglicanos Præsules colligitur ex Parisio in Historia Anglicana, qui Othonis Legati in Angliam adventum describens, refert plures Episcoporum ad eum dignè excipiendum, cùm è navi in terram descenderet, obviàm prodiisse; aliquos etiam scaphis subvectos ad navim, qua utebatur, accessisse; ac munera pretiosissima ad ejus gratiam colligendam obtulisse. Excepit eum pariter Henricus Rex, quàm potuit, splendidissimè: Præsulum enim, ac Principum agmine stipatum obviàm officii causâ Othoni Legato occurrisse, ac solemni eum pompa cohonestâsse, narrat laudatus Auctor.

In

In Anglia Proceres dissentientes ad concordiam industriâ suâ adduxit Otho. Deinde omnibus Angliæ Præsulibus imperavit, ut, octo dierum à Beati Martini decurrentium spacio, Londinum confluerent, tum ut Pontificium Diploma, quo sibi Legationis munus iis in Regionibus erat demandatum, audirent; tum ut se ad emendandos collapsos mores, ac restituendam disciplinam, & Ecclesiasticam dignitatem pristino splendori asserendam, coram in Concilio sisterent. In hoc solemni Conventu cùm non levem Cantuariensi Archiepiscopo de loci dignitate Eboracensis, primatum ambiens, quæstionem moveret, Legatus lectô primùm de more Evangeliô, & concione in hæc verba *Ego sum Pastor bonus* habitâ, nonnullis precibus fusis, ac Spiritus sancti numine invocato, controversiam hac oratione sopire sategit: *In sigillo pontificio Petrum à dextra Crucis exarata, Paulum à sinistris adumbrari: nec tamen inter eos sanctissimos Apostolos ullam de dignitate ardere controversiam, sed utrumq; pari gloria potiri: atque ita ipsos, eorum exemplô, litem quoque ponere; & suâ quemq; sorte contentum esse debere.* *Archiepiscopos Anglicanos de Primatu contendentes componere satagit.*

Dum in eo Concilio de ferenda in illos sententia, qui pluribus Ecclesiasticis Sacerdotiis instructi essent, agitaretur, ut uno deinceps contenti alia juberentur dimittere, Episcopus Wigorniensis, vir acerrimi ingenii, & magnæ auctoritatis, in medio cœtu assurgens, mitrâ depositâ, Legatum in hæc verba est allocutus: *Durum sibi admodùm videri, ac periculi plenum eam sententiam ferre: cùm plures ex iis, qui multa tenerent beneficia, nobilitate conspicui, jam annis graviores essent, reliquam vitam in egestate infelici degere cogerentur, qui autem profusis eleemosynis, atque in piis operibus collocatis opibus, omnium amorem collegissent; Alios verò juventute præferoces omnia potiùs pericula adituros, quàm aliis sibi ereptis Sacerdotiis, ad unum dumtaxat se restringi passuros. Tum demùm id plerisque religiosis viris, ac sacris virginibus gravissima incommoda (cùm omnes id decretum involveret) allaturum. Proinde summum priùs Pontificem in re tanti ponderis consuleret: à quo, tanquam à Patre, & Judice justissimo mitiorem sperarent sententiam.* Ad quæ Legatus, Wigorniensis sententiam dilaudans & amplectens, omnino se ea de re ad Pontificem daturum litteras, si ita Patribus visum esset, & assentirentur. Exploratô itaque omnium suffragiô, itum est in sententiam Wigorniensis, quare litteræ per cursorem ad Gregorium IX. directæ sunt. *Oratio Episcopi Wigorniensis approbatur.*

Interim de Patrum sententia plures in eodem Concilio sancitæ sunt leges, quibus sacerdotalis dignitas, proscriptis vitiis & abusibus, pristino decori restituta est. Eodem tempore promulgata lex est, qua Ecclesiastici de beneficiis partem decimarum in subsidium belli Asiatici conferre obligabantur: quæ cùm multis iniqua, & immunitati repugnans videretur, magnos strepitus & dissensiones, Legato abeunte, inter clericos excitavit. *Lex ab eo de Decimis in subsidium belli Asiatici conferendis promulgata dissensiones creat.*

In Italiam reversus Otho, cùm Genuam appulisset, unà cum Jacobo de Pecoraria Episcopo Prænestino (de quo nos infra numero 75.) & aliis quamplurimis Præsulibus Romam ad indictum Lateranense Concilium contendere sategit: hoc audito Fridericus Cæsar, (simulatâ amicitiâ,) ipsos rogavit, ut per suas terras iter arri-

In Italiam contendens à Friderico Imp. cum aliis Præsulibus capitur, duréq; habetur.

arripere ne gravarentur, summo se eos coràm alloquendi desiderio teneri ad proponendam causæ suæ æquitatem; seque illos, ne diffiderent, omnibus officiis prosecuturum, alimenta & naves etiam facilitando itineri subministraturum. Sed quas fraudes pectore callidus compresserat, paulò pòst aperuit: cùm omnes conatus ad eos intercipiendos defigeret. Metuentes igitur Præsules promissa Friderici, atque ad colligendos animos pontificiis litteris recreati; Januensium instructæ Classi, quam Legatorum operâ magnis sumptibus Pontifex conduxerat, sese imposuêre. At Fridericus cùm nec blandimenta, nec artes quidquam apud diffidentes prodesse videret, seque delusum animadverteret, in rabiem actus, missis mox nunciis Entio filio notho (qui tum rei maritimæ commodùm præerat) præcepit, ut comparatâ quamprimùm validissimâ classe, Siculorum ac Pisanorum operâ, Legatos ac Præsules persequeretur, caperet, cæderet, fluctibus mergeret. Venienti ergò Januensium classi, adversæ naves Imperatoris occurrêre: maximoque impetu in eam allisæ, omnia terroribus, ac cædibus complevêre. Initio pugnæ tres Pisanorum captæ Triremes; dein ingravescente bello fusi Januenses deditionem facere compulsi sunt. Nonnulli Præsules cæsi, sex undis submersi, reliqui capti, inter quos Legati: qui Neapolim perducti, multis attriti incommodis, in carcerem durissimum detrusi, nulloque tantorum Patrum dignitatis habito discrimine, quasi vilissima capita, constricti vinculis, ac invicem adinstar pecorum conglobati, fame, siti, squallore, æstu, aliisque id genus innumeris malis propè enecti, magna ex parte in vinculis emarcuerunt. Cæterùm Pontifex vinctis Ecclesiæ causâ Præsulibus, quantum doloris ex ipsorum servitute concepisset, tristibus suis litteris, quibus eorum mœrorem lenire; hortarique eos ad constantiam studuit, luculenter significavit.

Certa lege libertate donatus, eá non adimpletâ, sponte ad Cæsarem, carceri mancipandus, redit.

Mortuo sub annum salutis 1241. Gregorio, Cardinales ad Fridericum duos Oratores legârunt, qui ab ipso efflagitarent, ut Prænestinum Episcopum & Othonem vinculis laxatos Romam ad eligendum Pontificem accedere permitteret: qui precibus Richardi Cornubiæ Comitis flexus, ea lege permisit, ut datis obsidibus post comitia ad carcerem redirent, ni Otho Pontifex salutaretur. Cùm verò Cardinales factionibus scissi, in eligendo summo Pontifice dissiderent, comitiaque plùs æquô in Ecclesiæ præjudicium protraherent, Otho Patrum factiones ac moram aversatus, è Conclavi ad carcerem spontè reversus est; cujus fidem atque constantiam Cæsar admiratus, eundem paulò pòst, ad preces Balduini Orientis Imperatoris, unà cum obsidibus liberum dimisit.

Obitus ejus.

Ab Innocentio IV. Episcopus Portuensis anno Domini 1246. renunciatus, ipsum Innocentium Lugdunum ad celebrandam contra Fridericum Synodum secutus est, ubi seniô, laboribus, & infirmâ corporis valetudine, (qua quinquenniô detinebatur) sensim confectus è vita decessit Anno à Christo nato 1251. Sepultus in Ecclesia Prædicatorum. Ferunt hunc Cardinalem post obitum Guilelmo Sabinensi Episcopo, viro sanctitatis opinione claro, per quietem apparuisse eo tempore, quo Innocentius ex Galliis in Italiam redi-

Guilelmo Sabinensi Episc. apparens mortem prædicit.

redire constituerat; eique dixisse: *de hospitio Genua habendo ne sis sollicitus, quia hic habebis hospitium mecum.* Guillelmum non multò pôst lethali morbo correptum, vitaque functum, fidem somnio fecisse, atque ad Othonem proximè sepultum fuisse, ex actis constat.

Erat Otho Candidus vir integerrimæ vitæ, infracti animi, altæ eruditionis & solidæ virtutis. In mathematicis multùm versatus. Scripsit de Astrologia non spernenda opuscula. *Virtutes ejus, & Scripta.*

Ejus mentionem faciunt Francisc. Augustinus ab Ecclesia in historia Pedemontana. Odericus Raynaldus in Annal. Nomenclator Cardinalium. Bzovius in Annal. Tom.13. Ciaconius in Vita. Parisius in Histor. Anglic. Ughellius in Italia Sacra. Aliiq;.

ANNO 1227.

SEDENTE GREGORIO IX. PONTIF. MAX.

De

JACOBO DE VITRIACO S.R.E. CARDINALE.

JACOBUS de Vitriaco, Gallus, natus Argentolii (qui vicus est ad Sequanam in Diœcesi Parisiensi) sedulam à puero scientiis omnibus navavit operam. Completis cum laude Philosophiæ, ac Theologiæ studiis, Mariæ Nivellanæ, de Oegenies dictæ (quæ in extremis tum Brabantiæ finibus agebat) fama, & nomine sanctitatis excitus, illuc se contulit: ubi hortatu ejusdem virginis Canonicis Regularibus in Monasterio ad Sabim, quod inter Nivigellam & Namurcum ad honorem D. Nicolai erectum est, se se adjunxit. Fallitur autem hoc loco Onuphrius Panvinius, qui Monasterium illud S. Mariæ de Oëgenies nominat, ratus, ut opinor, hanc Mariam, quæ in vivis adhuc degebat, jam inter Divos relatam. Parisios exinde jussu Superiorum profectus, ab ejusdem loci Præsule sacros ordines suscepit. Redeunti ad Monasterium Regulares Socii cum Maria obviàm facti, Sacerdotii characterem Neomystæ perquàm officiosè gratulati sunt. Maria verò in genua provoluta, manus sacrô recèns oleô delibutas non solùm religiosè venerari; sed & pedum ejus vestigia osculis excipere non desinebat. Interrogata à circumstantibus, rei novitate attonitis, cur id genus officii Jacobo præstaret? *Prævideo,* inquit, *hunc à Deo electum esse ad plurimorum salutem ritè stabiliendam.* Prædixit etiam Cœnobiarchæ Oegeniacensi, Jacobum in transmarina Terræ sanctæ regione ad Episcopalis Cathedræ culmen evehendum; ejusque facti Cœnobarcham (se se jam è mortalibus ereptâ) conscium & superstitem fore; & ipsius ex tam longinquo discessu dolorem incredibili cum gaudio commutatum iri; quòd is ad pristini Cœnobii consuetudinem, relictâ unà cum Episcopatu Palæstinâ, esset rediturus. Veridicum testimonium probavit eventus, ut paulò pôst dicemus. Jacobus sacris initiatus Paræciæ cujusdam præfecturam, ipsa Maria suaden-

LXXIII.

Hortatu B. Mariæ de Oegenies instituti Canonicorum Regularium amplectitur.

Eadem Sacerdotio initiatum miro cultu prosequitur; deq; eo multa prædicit.

Suis Concionibus multos in viam salutis reducit.

te & impellente, suscepit; qui cùm crebras, zelo ac spiritu plenas conciones ad populum aliquamdiù haberet, mirum dictu! quàm numerosas deperditorum hominum animas ex inferni faucibus ereptas, Christo Redemptori pepererit.

Variis Legationibus, summo Reipubl. Christianæ emolumento, perfungitur.

Inter hæc cùm salutis nostræ anno 1210. sacra in impiam Albigensium hæresim expeditio, hortatu maximè S. Dominici Caligurita ab Innocentio III. decerneretur, Jacobus inter cæteros religiosos viros, ob excellentem in declamando facundiam delectus, Legatus Apostolicæ Sedis ad Belgicas Provincias & Imperium Germanicum destinatur, tum ut Apostolica auctoritate fidelium nomina, qui tam sanctam militiam professuri essent, signaret; tum ut Crucem contra Albigensium ac fautorum eorum machinationes promulgaret, & explicaret. Collatis itaque prosperè signis, profligatisque hæreticis, cum victoribus crucesignatis in Palæstinam Jacobus non inglorius tendit. Ubi vix elapso quadriennii intervallo, ob res egregiè gestas, Episcopus Acconitanus, deinde Patriarcha Hierosolymitanus elt electus, quo tempore Maria de Oegenies, juxtà vaticinium suum, ad superos migravit. Ille ut rebus Ecclesiæ Romanæ in Oriente commodiùs consulere, & inservire posset, Patriarchatum Hierosolymitanum ex consensu Pontificis, Roberto Nannetensium Antistiti cessit.

In Oriente Episcopus Acconitanus, & Patriarcha Hierosolymitanus efficitur: Remq. Christianorũ egregiè adjuvat, & promovet.

Fixâ subinde in Accone (quæ Ptolemais est Phœniciæ) suâ sede, pontificiæ legationis munere defungens, varias ad varios è Palæstina epistolas in Europam misit; remque Christianam, ubi ubi potset, scriptis, congressibus, hortationibus, armis & exemplô strenuè, & incredibili cum zelo adjuvit, defendit, propugnavit. Qua occasione omnia ferè loca, Christi & Deiparæ Virginis præsentiâ, & actionibus illustrata summâ animi lætitiâ & devotione visitavit.

E Palæstina redeuntem Honorius III. Romanus Pontifex, & Cardinales, sed imprimis Hugolinus Episcopus Ostiensis ipsi amicissimus, maximo honore susceperunt. Plurimùm juvit Hugolinum, ut se totum Deo consecraret, qui post aliquot annos Patrum suffragiis (Honoriô defunctô) ad summum Sacerdotium evectus, assumpto Gregorii IX. nomine, Orbi & Urbi utiliter, & sanctè præsedit; à quo posteà, ut mox dicemus, Tusculanæ Urbis Episcopatu, atque etiam purpurâ donatus est.

In Italiam revertens præsentinaufragiô liberatur; & visione mirabili illustratur.

In Italiam è Palæstina navigans, sævissimâ obortâ tempestate, naufragio proximus, precibus ad Deum, Deique famulam Mariam de Oegenies (cujus reliquiis ad collum semper munitus erat) suppliciter in tanta trepidatione fusis, repentinô obrutus somnô sibi visus est conspicere Ancillam Christi proximè adstantem, & pro eo, quo viventem dilexerat, amore, subsidium omne, & in præsentia salutem & liberationem promittentem; plurimaque alia (quorum fidem eventus comprobavit) prædicentem. Videbatur autem sibi, in Templum se Oegeniacensis Monasterii perduci; & conscensa ejus testudine Altaria quinque, ab eâdem sibi demonstrata, consecrare: quatuor nimirùm Beatorum Cœlitum memoriæ ex arbitrio Prioris; quintum sanctissimæ Trinitati, ex ipsius monitu. Experge-

pergefactus subitam pacati maris tranquillitatem admiratus; inque lacrymas præ gaudio effusus, immortales Deo, & Christi famulæ, pro obtenta sospitate, grates rependit. Romæ existens, Honorio III. annuente, opulentum nobilissimæ in Transmarina regione civitatis Pontificatum amore solitudinis cessit; atque Oëgeniacum (quemadmodùm Maria dudum anteà præsagiit) ad Socios remeavit, aulæ divitias cum religiosâ paupertate commutans. Dum in Cœnobio illo versaretur, Lotharingiæ, & Diœceseôs Leodiensis regiones, hæresi & vitiis infectas sedulus concionator, magno incolarum emolumento, obivit.

Abdicato Episcopatu Oëgeniacum redit; ubi animarum saluti strenuè invigilat.

Interim à venerabili Priore Ægidio de Oëgenies Templi fabrica cum quinque altaribus, ut per insomnia præviderat, fuit constructa: qua ad calcem deductâ, locum ipse Deo nuncupatum solemni ritu consecravit. At cùm anno 1227. communi Cardinalium suffragio Gregorius IX. Honorio defuncto in Pontificatum suffectus esset, eum uti pristina consuetudine sibi olim conjunctissimum, honoris ergò invisere; adeptamque summam omnium dignitatem gratulari constituit. Romam allapsus, proque meritis suis à Pontifice perquàm humaniter exceptus, ab eodem in signum veteris amicitiæ, & gratitudinis argumentum purpurâ & Episcopatu Tusculano donatus est, quam dignitatem diu, & integerrimè sustinuit usque ad obitum; affuitque Comitiis sacris, in quibus Cœlestinus IV. & Innocentius IV. ad summum Ecclesiæ culmen evecti sunt.

Dum Gregorio IX. adeptum Pontific. gratulatur, ab eodem in vicem gratitudinis Purpurâ & Episcopatu Tusculanô donatur.

Suum erga Deiparam Virginem studium & amorem semper quidem spectatum, Orbiq; testatum fecit Jacobus: sed præcipuè dum Albigensium hæresim, suâ ætate exortam, quæ inter alia detestanda ejusdem sacratissimæ Virginis invocationem improbabat, & impugnabat, Apostolicæ Sedis Legatus summâ vi profligavit: & dum Nestorium ejusque sequaces, qui eandem Deiparam horrendâ blasphemiâ *Dei Matrem esse* inficiabantur, validissimis rationum, atque auctoritatem telis confossos reliquit. Aureum illud dictum, cujuscunque fidelium pectori inscribendum semper in ore habens: ***Beatissimam Virginem Mariam principalem & regiam viam esse, qua Salvator mundi ad nos venire dignatus est: & per eam nos ad Christum tendere securè debere, & fiducialiter posse.***

Hostes Deiparæ Virginis validis rationibus, & scriptis impugnat.

Denique post multos gloriosos cùm in Oriente, tum in Occidente exantlatos labores, vir divinarum humanarumque scientiarum peritus, meritis cumulatus, virtutibus & vitæ sanctitate illustris migravit è vita Romæ Anno Salutis 1244. Pridiè Kalendas Maji. Quem Beata Ludgardis Aquitani Cœnobii in Brabantia Antistes, quarto ab ejus excessu die, in spiritu conspexit post triduanam ignis purgatorii expiationem in beatam Cœlitum patriam transferri. Id quod pluribus aliis pariter cœlitùs patefactum produnt. Cineres ejus Româ Oëgeniacum ad B. Mariam, pro ut ipse vivens præceperat, insigni pompâ delati, ibidem juxta corpus Dei Famulæ in pace quiescunt, nobili Inscriptione, seu potiùs Apotheosi à Francisco Mosco Armentarianæ Ecclesiæ Pastore honorati, cujus ego hic fragmentum, Lectori fortè non ingratum, affero: ex quo maximè, quæ scripserit, patent:

Scientiis & sanctitate illustris, diem vitæ pretiosa morte concludit.

in Libro de sacris Templis : & Sermones plurimos de Feriis solemnioribus Deiparæ Virginis à se cum plausu habitos.

Ejus mentionem faciunt Andreas Hojus in Vita. Henricus Gandavensis de Viris illustribus c. 37. S. Antoninus p. 3. Tit. 24. c. 6. §. 1. Petrus Frizonius in Gall. purp. Antonius Sanderus in Elogiis Cardin. Jacobus Meyerus in Annal. Flandr. Hippolytus Maraccius in Purp. Mariana. Trithemius, & Bellarminus de Scriptor. Ecclesiast. Nomenclator Cardinalium. Ciaconius in Vita. Thomas Cantiprat. in libro Apum. & Alii.

ANNO 1227.

SEDENTE GREGORIO IX. PONT. MAXIMO.

De

JACOBO DE PECORARIA S. R. E. CARDINALE.

JACOBUS de Pecoraria, non in Gallia, neque Ticini, ut quidam hallucinantur, sed Placentiæ in Italia nobilibus, & opulentis parentibus (qui Vallis Pecorariæ ditionem in Agro Placentino multis retrò antè annis possidebant, & Placentinum sæpè Consulatum gesserant) natus, generis splendorem, majorumque suorum decora, eximiâ sua virtute, & doctrina vehementer auxit. Is adhuc puer, altiori ductus spiritu, spretis pinguioris fortunæ obsequiis, totum se divino cultui ita addixit, ut postquàm S. Domnini Clericus, ac mox Archidiaconus Ravennas factus esset, nemo eo vel morum innocentiâ vel zelo pietatis inter coætaneos, & collegas magis eluxerit. Raptus deinde quietioris sanctiorisque vitæ amore in Gallias secessit Cistercium, ubi assumpto monastico ordinis habitu, positoque ritè Tyrocinio, Regulam solemnibus votis professus est anno salutis nostræ 1215. cumque non vulgariter in pietatis & doctrinæ studiis proficeret, divulgatâ ordinatissimæ conversationis ejus famâ, Romam postulatus, concurrentibus in eum votis Abbas Cœnobii SS. Vicentii & Anastasii extra mœnia Urbis electus, & inauguratus est. LXXIV.

Sacrum Cisterciensium Institutum amplectitur.

Extitit Jacobus Honorio III. ob exquisitas animi dotes præ primis charus: quare ab eodem Pœnitentiarius major, & Pontificii Sacelli Sacerdos designatus, gravissimis deinceps negotiis obeundis adhibitus est semper. Posteà à Gregorio IX. Honorii Successore, in numerum Purpuratorum adlectus, & ad Episcopatum Prænestinum evectus, eodem mandante, ad Fridericum II. Cæsarem cum Othone Candido Cardinale (de quo suprà numero 73. fusiùs disseruimus) ad negotium pacis pertractandum missus est anno 1231. In hac legatione cùm Ecclesiæ causam, adversante maximè Cæsare, virili constantia tueretur, ab eodem increpitus, detentus, & in vincula conjectus est. Inde quorundam Procerum rogatu exemptus, & à Pontifice ad Insubres secum dissidentes conciliandos, atque adeò ad bellum, quo mutuò ardebant, sedandum cum præ-

Variis dignitatibus, & Legationibus cohonestatur.

fato Othone Candido Legatus missus, calamitosam eorum cladem compressit. Qua in legatione Ecclesiam S. Domnini Martyris, recens paulò antè extructam suis ipse manibus consecravit; & Claustrum nobilissimum ære proprio fundatum construi curavit: ut constat ex antiquis inscriptionibus, in eadem Ecclesia, & Claustro, (teste Ughellio) adhuc extantibus, ex quibus convincitur Jacobum natione Italum, patriâ Placentinum, minimeque Gallum, ut nonnulli per errorem arbitrati sunt, fuisse.

Hungariæ Regem anathemate notatum Ecclesiæ communioni restituit.

Aliam pariter legationem in Hungariam & Pannoniam suscepit Jacobus, tum ut Beati Lucæ Archiepiscopi Strigoniensis crebra miracula propiùs cognosceret: tum ut Ducem Meraniæ cum Stephano Comite Cabilonensi lethali odio flagrantem pacaret. In hac legatione Hungariæ Regem, & Regnum (quod Strigonensis Archiepiscopus Ecclesiasticæ libertatis zelô ductus interdicto subjecerat) cùm se se Rex jurejurandô ad restituenda pristino splendori omnia devinxisset, Ecclesiæ communioni restituit. Adacti etiam sacramento ad promissa servanda à Jacobo Legato Bela Andreæ filius natu-maximus Sceptri Hungarici hæres, & Colomanus Rex cum Duce Sclavoniæ & universis Hungariæ Proceribus: cujus rei series, & jurisjurandi formula, certis concepta verbis, ad memoriam etiamnum in Vaticano asservantur.

Urbis Romanæ Vicarius Pontificius constituitur.

Perfunctus pariter est legatione in Hetruria, ut inter Florentinos & Senenses, positâ discordiâ, conventam exploratamque pacem sua auctoritate firmaret. Rebus ex voto compositis Romam reversus, à Pontifice Urbis Vicarius plena cum potestate constituitur: ubi morum ejus suavitate, & virtute captus Thedaldus Placentinus, ex perantiqua, & nobili Vicecomitum stirpe progenitus (qui posteà anno æræ Christianæ 1271. Clemente IV. sublato, sub Gregorii X. nomine Orbi præsedit) adhuc in minoribus constitutus Jacobi familiaritatem expetiit, & dum vixit, perquàm officiosè excoluit.

Albigenses Hæreticos summò zelò persequitur, aliaq; insignia operatur.

Postremis Gregorii IX. temporibus quinta, eaque celeberrima legatione ad Gallos, & Hispanos ornatus est Jacobus. Primò ut Albigensium hæreticorum furorem, quo tota ferè Gallia corripiebatur, oppositis armis retunderet; Crucemque in illos, propositis sacri thesauri præmiis, prædicaret: Deinde ut earum Provinciarum Rectores, Abbates, Episcopos, & Archipræsules ad indictum à Gregorio Pontifice adversùs fœdifragum Imperatorem Fridericum Lateranense Concilium acciret. Ne autem Cæsar, ejusq; fautores suis insidiis, quò minùs res ex animi sententiâ procederet, impedimento essent, Jacobus ementito habitu clàm Româ discessit, ac Genuâ pertransiens, delusis hostibus, sospes in Galliam transvectus est. Ubi quantumvis Fridericus hostis obniteretur, nefarios Albigenses armis aggressus extremè afflixit; Comitemque Tolosanum ad resipiscentiam perductum fidelium communioni restituit. Silvanectæ Conventum Episcoporum Provinciæ Rhemensis indixit, in quo vigesimam omnium reddit∣uum Ecclesiasticorum partem in auxilium Pontificis adversùs Fridericum decertantis facilè ab ultrò deferentibus Clericis obtinuit. Cumque plurimos Episcopos,

pos, & Abbates è Gallia ac Britannia collectos, duosque alios Apostolicæ Sedis Legatos, Othonem scilicet Candidum, & Gregorium Cardinalem ex Anglia redeuntes Genuensium navibus imposuisset, ut illos Romam ad Concilium Generale deveheret, in Corsico mari à Pisanis, qui sub Entii nothi præfectura Friderico pugnabant, victus in Friderici potestatem cum sociis omnibus, qui à cæde, & naufragio supererant, deductus est. A quo biennio integro diversis in locis Neapolitani Regni tetris carceribus inclusi, rerum penuriâ, & squallore propemodùm enecti sunt. Consolatorias tum ad illum, tum ad socios litteras misit Gregorius, quibus eos dolenter ad patientiam, fortitudinem, & constantiam hortatus est.

In Corsico mari cù aliis Ecclesiæ Prælatibus à fautoribus Friderici Imp. capitur, ab eoq; durè habetur.

Elapso biennio Fridericus Jacobum vinculis solutum, regiisque muneribus donatum, ob spectatam ejus in captivitate modestiam rogatu sacri Cardinalium Collegii dimisit. Oravitque, ut injuriarum immemor, amicitiam secum inire, & excolere vellet. At ille imperterritus *colere se velle Fridericum tamdiu, quamdiu ille Ecclesiam coluisset*, respondit. Dimissus à Cæsare rectà Romam profectus, ibidem ab Innocentio IV. in Gallias tum profugiente, Urbis Vicarius relictus est. Ubi cùm in proximo die Principibus Apostolorum festo in Basilica Vaticana sacris operatus esset, conscensoque Umbone docta, & eleganti oratione populum pro more ad excolenda pacis, & obedientiæ studia incendisset, quarto Kalendas Julii anno Domini 1244. circa solis occasum apoplexiâ tactus animam posuit. Corpus ejus in Basilica Vaticana temporario sepulchro conditum, ibidem eò usque jacuit, donec ex Testamento in Gallias translatum, ac propè S. Malachiam in Ecclesia Claræ-vallis cum egregia gestorum inscriptione repositum fuit. Sunt qui Jacobum Lugduni post Concilium Generale ab Innocentio IV. celebratum, vitam cum morte commutasse anno salutis 1245. asserant. Probabiliùs tamen Romæ, ubi absente Pontifice præfecturam gessit, decessisse creditur. Ex ejus cadavere pars capitis, & digiti abscissa, Placentiæ in principe Templo cum hac memoria marmori inscripta, humata fuit.

Virile responsum Imperatori dat.

Sanctè moritur.

HIC REQUIESCIT PARS CAPITIS ET DIGITI
CARDINALIS JACOBI DE PECORARIA EPISCOPI PRÆNESTINI.

In honorem S. Petri Apostoli à fundamentis construxit Monasterium Virginum Cisterciensium Deo devotarum in Oppido Palliari Prænestinæ Diœcesis, redditibus annuis, muneribus, ac suppellectili tum sacrâ tum prophanâ insigniter auctum.

Ejus Epitaphium, Pietatù monumenta, & scripta referuntur.

Scripsit nonnulla ad sacram Oeconomiam spectantia,
Sermones de Tempore.
Legationum suarum gesta.
Epistolas plures.
Orationes ad Populum Romanum.

Extant hæc inter MM.SS. Bibliothecæ Vaticanæ, & Cisterciensis.

Ejus mentionem faciunt Panvinius de Rom. Pontif. Gaspar Jongellinus in Purp. Divi Bernardi. Ciaconius in Vita. Joseph Maria Suaresius in Antiq. Prænest. Odericus Raynaldus Tom. 13. Annal. Bzovius Tom. 13. Annal. Ferdinandus Ughellius Tom. 1. Ital. Sacr. Antonius Maria Campus in vita. S. Franchæ. Alii q;

ANNO

ANNO 1227.

SEDENTE GREGORIO IX. PONTIF. MAX.

De

ROBERTO SUMMERCOTE S.R.E. CARDINALE.

LXXV. ROBERTUS Summercote (quem alii Umarcote appellant) nobilis Anglus, ob præclara merita à Gregorio IX. Diaconus Cardinalis S. Hadriani creatus, in multis caussis & arduis Ecclesiæ negotiis Auditor datus est, ut in Registris Innocentii IV. legimus. Hunc virum variarum virtutum, & multiplicis eruditionis titulis insignitum scribunt Angliæ Scriptores: Eundemque tanti nominis & auctoritatis inter cæteros Cardinales fuisse commemorant, ut certò futurus Pontifex putaretur, ni mors præmatura vanas hominum spes in eo decedente elusisset. E vita excessit vacante Sede Romana ex obitu Gregorii IX. anno salutis 1241. Ejus corpus nobili tumulo inclusum, in Æde S. Chrysogoni asservatur Romæ.

Communibominum æstimatione ob virtutum famam tanti habitus ut certò Pontifex futurus crederetur.

Ejus Scripta. Scripsit de Astronomia Librum unum: De Solis, & Lunæ eclypsi alterum. Paradoxa item Phylosophica, nonnullaque alia, quorum tamen notitia nullibi, nisi in privatis Bibliothecis, MM.SS. extat.

Ejus mentionem faciunt Ciaconius in Vita. Matthæus Westmonasteriensis in Flore Historiarum. Parisius in Hist. Anglic. Floravantes Martinellus in addit. ad Ciaconium. Ughellius in addit. ad Ciaconium. Aliiq.

ANNO 1227.

SEDENTE GREGORIO IX. PONTIF. MAXIMO.

De

RICHARDO DE HANNIBALIS S.R.E. CARDINALE.

LXXVI. RICHARDUS de Hannibalis, nobilis Romanus, Dominus Arcis Molariæ in Latio infra montes Tusculanos erectæ, vir in omni litterarum genere excultissimus, à Gregorio IX. Diaconus Cardinalis sancti Angeli renunciatus est anno salutis 1237. in quartâ ejusdem creatione.

A Gregorio IX. Diaconus Cardinalis renunciatur.

Hunc aliqui ex Canonico Basilicæ Vaticanæ, aliqui ex Abbate Cassinensi Diaconum Cardinalem creatum scribunt: quibus cum Arnoldo Wionensi adstipulatur Ughellius, addens insuper illum ex Diacono ab Innocentio IV. inter Presbyteros Cardinales cooptatum. At hi omnes toto cœlo errant; nam hic Diaconus Cardinalis S. Angeli existens, infulis pontificiis Clementem IV. recens electum

Contraria aliorum sententia refellitur.

electum Viterbii die 22. Februarii Anno Salutis 1265. ornavit : & Alexandri IV. (qui Innocentio IV. successit,) litteris ad Magistrum Hospitalis S. Spiritûs Pisarum 7. Kalend. Februarii Anno 1259. datis subscripsit his verbis : *Richardus Dei miseratione Diaconus Cardinalis S. Angeli.* Non igitur ille renunciatus est Presbyter Cardinalis ab Innocentio IV. qui post Innocentii obitum se nominavit *Diaconum:* sed alius omninò dicendus hic noster Richardus à Richardo, qui ex Abbate Cassinensi ab Innocentio Quarto sacro Cardinalium Senatui adscriptus est.

Jussu Innocentii IV. Ordini Eremitarum S. Augustini patrocinatur.

Archidiaconum S. R. E. ac Basilicæ Vaticanæ Archipresbyterum Richardum nominavit Innocentius IV. eundemque Ordini Eremitarum S. Augustini in Patronum dedit. Quare hujusce Familiæ Alumni hunc non modò ut præcipuum, sed ut primum ac omnium optimum venerantur Patronum : immò Gabriel Pennottus in historia Canonicorum Regularium scribit Innocentium IV. operâ & prudentiâ hujusce Richardi, Eremitas multos, qui sine lege ac vestitu passim in Tuscia vivebant, in unum collegisse, ac sub uno capite constituisse; illosque Regulâ, ac habitu Eremitarum S. Augustini donavisse.

Divo Thomæ Aquinati arctissimò necessitudinis vinculò conjunctus fuit.

Arctissimo necessitudinis vinculo conjunctus fuit Divo Thomæ Aquinati Ordinis Prædicatorum, totiusque Ecclesiæ fulgentissimo sideri. Sæpè sæpiùs Richardum Cardinalem invisit Thomas, quem inter litteratos valdè litteratum suspiciebat. Vicissim Thomæ cellulam, quasi domicilium scientiarum frequentabat Richardus : jucundissima enim illa erat amicitia, quam morum & doctrinæ similitudo conjugârant.

Ejus hortatu S. Thomas doctos duos Judæos ad fidem convertit.

Molariam aliquando se contulerat Thomas, ut solemnes cum Richardo Natalis Christi ferias ab urbis strepitu sejunctus in sancta consuetudine transigeret. Accesserant eo etiam tempore certis dicti negotiis duo prædivites Judæi (Rabinos fuisse arbitror) rerum Judaicarum apprimè periti. Transactis cum iis negotiis, voluit Richardus Cardinalis, ut Thomas sermonem cum illis de Messia conferret. Instituta disputatio dictâ die, atque horâ. Multis ultrò citroque in medium allatis, discussisque rationibus, tandem solidis Scripturæ testimoniis evicit Thomas, *Christum & Messiam jam advenisse*, quem tamen infelices Judæi adhuc venturum somniabant. Et illi quidem eâ tum lege à Thoma dimissi sunt, ut in crastinum secum super propositis rationibus deliberarent; & si quas interim novas, magisque firmas in contrarium rationes invenissent, die sequenti redeuntes, coràm exprometent. Abeuntibus Judæis, reditumque spondentibus Thomas in Ecclesiam secedens, ferventi spiritu pro illis Dominum rogitabat, ut errantes & obcæcatos supernâ suâ luce illustrare; ac in viam salutis perducere dignaretur. Die altera illucescente verus Lucifer in cordibus eorum ortum habuit: reversi itaque ad Thomam, qui etiamnum apud Richardum Cardinalem commorabatur, sententiam ejus amplexi, relictâ Judaicæ perfidiæ pertinaciâ, sacro abluti baptismate (Richardo fontem administrante) Christum induerunt, Monachiq; facti magno Ecclesiæ emolumēto contrà Judæos verbis deinceps, & scriptis depugnârunt.

Lugduni in Concilio adversùs Ecclesiæ hostes acriùs disputans, ruptâ inter loquendum venâ exspirat.

Indicto interim Lugduni in Gallia Concilio Richardus jussu Pontificis Romani eò se contulit, dumque sæpius pro rei Christianæ causâ (ut erat doctissimus) in Concilio adversus hostium partes disputaret, ruptâ ex ferventi colloquio, atque immodico clamore venâ lethalem in morbum incidit, ac paulò pòst sanguinis prævalente fluxu, qui nulla arte sisti ampliùs poterat, suffocatus, animam Dei causâ cruentam, Deo in manus consignavit anno salutis 1274. Ejus corpus Lugdunô Romam delatum, sepultum est in Basilica Lateranensi in sarcophogo marmoreo, variis emblematibus ornato cum hac inscriptione.

Ejus Epitaphium.

MEMORIÆ
RICHARDI HANNIBALDENSIS DE MOLARIA ROMANI,
S. R. E. ARCHIDIACONI CARDINALIS S. ANGELI,
QUI A GREGORIO PAPA NONO CREATUS ANNO 1237.
OBIIT LUGDUNI IN CONCILIO GENERALI ANNO 1274.

Meminère Richardi Hieronymus Brianus tom. 2. hist. Ital. Jordanus de Saxo in Vitis fratrum lib. 1. c. 16. Surius in Vita S. Thomæ Aquinat. die 7. Martii. Aubery in Vita. Nomenclator Cardinalium. Ciacouius in Vita. Vghellius Tom. 3. Ital. sacræ. Aliiq.

ANNO 1227.

SEDENTE GREGORIO IX. PONTIF. MAXIMO.

De

RAYMUNDO NONNATO
S.R.E. CARDINALE.

LXXVII

Dictus Nonnatus, quod è secto mortuæ matris latere in lucem prodierit.

Ab ipsa statim infantia præclara sanctitatis specimina edit: atq; in litteris egregiè proficit.

RAYMUNDUS vulgo dictus *Nonnatus*, quòd præter communẽ naturæ legem è cæso demortuæ matris utero in lucem productus fuerit; natione Hispanus, Portelli in Catalonia ex illustribus, & opulentis parentibus, proximo sanguinis gradu Cardonæ Comites attingentibus, mense Decembri anno salutis 1200. ortus, ab ipsa statim infantia non obscura futuræ sanctitatis indicia dedit. Nam puerilia oblectamenta, mundique illecebras, (quibus ea ætas, in vitium prona, ut plurimùm irretiri solet,) respuens ita pietati, morumque innocentiæ operam dedit, ut omnes in puero adultam virtutem admirarentur.

Prima litterarum fundamenta paternis in ædibus sub optima Magistrorum cura didicit, à quibus ob ingenii excellentiam quàm citissimè expeditus, ad graviora Philosophiæ, & Theologiæ studia animum eo fervore applicuit, ut brevi in utrâque facultate primus inter coætaneos haberetur. Major factus, ut à studiis litterarum, & propensione in Ecclesiasticam vitam, quam unicè meditabatur, arceretur; à patre in villam relegatus, oviculas aliquot ex propriis gregibus selectas pascere jussus & adactus est. Erat in agro, in quo Raymundus pusillum gregem ad pascua deducere solebat, constructa Ædicula Divo Nicolao Myrensi Episcopo nuncupata, in

A Patre relegatur in Villam ad pecorum custodiã.

hac

hac præ cæteris eminebat pulcherrima quædam Virginis Deiparæ imago, quam ipse in dies singulos conveniens, tenerrimo mentis affectu genuflexus venerabatur. Ante hanc dum summo aliquando pietatis studio cor suum effunderet, suavissimumque cum ea colloquium misceret, hæc à Virgine sibi apparente verba audire promeruit: *Ne timeas, Raymunde, ex nunc eum te in meum recipio filium; quò circa ore pleno me poteris deinceps appellare matrem, deq; meo imposterum patrocinio, & protectione securus esse.* Exinde, licèt augustissimæ cœlorum Reginæ servus esset humillimus, ac ejus sese mancipium infimum candidè profiteretur, quotiescunque tamen imaginem Deiparæ Virginis conspiceret, se ipsum haud continere poterat, quin illam elata voce matrem suam appellitaret, disertis verbis asserens: *Nec aliam sibi matrem aliquando fuisse, nec fore, ut esset sui cordis Domina & tutelaris, nisi ea, cui in filium (ipsa misericorditer annuente) se totum devovisset, & à qua animæ sua gressus in Dei mandatis jugiter dirigerentur.* Singulis diebus ante hanc sacratissimam Dei Matris imaginem, precatoriam calculorum seriem (à Beato Dominico non multùm antè inventam, vel potiùs restauratam) religiosissimè percurrebat. Quoties autem ad sacram illam Ædem se conferret, toties Angelus Tutelaris pastoris munere, ejus vice fungebatur, quem sub specie pulcherrimi juvenis oves pascentis, ipse Raymundi genitor propriis oculis non semel conspexit.

Ibidem visione illustratur & à Deipara in filium suscipitur.

Pietas ejus in Virginem sacratissimã.

Malus dæmon, nostri semper boni invidus, Raymundum ab hoc Virginis studio removere satagens, assumptâ falsâ, ad morem Angeli Tutelaris, pastoris specie eidem apparuit dicens: *Raymunde, sat jam rusticatum est: nobilem juvenem dedecet vita tam despicabilis, & vilis: quare relictâ eâ Urbem ingredere, & æqualibus tuis conjungere. Opes immensas domi possides, quibus ni in flore juventutis fruaris, nullo usui deinceps profutura evanescent. Convenientiùs erit, nobilem inter nobiles vitam degere; quàm inter pascua cum pecoribus fœdè sordescere, & contabescere.* Raymundus ex inconsultis verbis impostoris fraudem agnoscens, *Appage,* inquit, *seductor infelix! Mariæ filius ego sum, satis dives & opulentus futurus, si spretis rerum caducarum divitiis, fluxisq; mundi oblectamentis puram in sancta paupertate vitam egero cælesti gratiâ semper affluentem. Filium ingenuum, qualem me profiteor, decet matris, non impostoris consilia amplecti, & perficere. Mariam, cordis mei Dominam, in anima præsidium electam, nunquam ego, quamdiu vitalis spiritus supererit, derelinquam.* His prolatis, è vestigio larvatus hostis, ad sanctissimi Mariæ nominis invocationem perterritus, edito fragore & ejulatu, stygiumque evaporans fumum præcipitem sese dedit in tartara. Raymundus verò, elusis ejus artibus, ad consuetum suum asylum, Divæ scilicet Virginis imaginem confugiens, immortales liberatrici suæ grates de genu dixit. Aucta ex eo tempore Raymundi in Virginem pietas in tantum est, ut suis prodita incrementis orbi jam palam innotesceret; Illeque eapropter ab omnibus, in quorum oculos incurreret, *Vir sanctus* audiret. Cumque non multò pòst à spectabili Dei parente intellexisset, gratissimum sibi fore, si amore sui illibatum corporis florem Deo sacratum faceret, continuò in ipsius præsentia Virginis votum perpetuæ castitatis emisit; à qua deinde novo miraculo affectus,

Fraudes Dæmonis sub specie Angeli Tutelaris sibi apparentis & imponentis agnoscit, & eludit.

Votum perpetuæ Castitatis emittit

X 2

fectus, certitudinem lætus accepit, quòd votum emissum ad usque vitæ finem perfectissimè impleturus esset. S. Nicolaum Myrensem Episcopum, cujus Ædiculæ assiduus ferè incola fuit, frequentissimè summo affectu deprecabatur, ut unà secum debitas munificentissimæ Dominæ gratias dicere dignaretur pro tam effusis cœlestium donorum favoribus, quibus in dies cumulatissimè afficeretur.

Auctore Deipara Ordinē S. Mariæ de Mercede Redemptionis Barcinone amplectitur.

Crebris inter hæc apparitionibus illustratus, colloquiisque penè quotidianis recreatus, cùm instanter ab illa viam salutis, & scientiam Sanctorum edoceri percuperet; jussus est, pascuis ac saltibus relictis, Barcinonem quantocyùs proficisci, suoque Ordini *de Mercede Redemptionis Captivorum*, quem non ita pridem (ea suggerente) Beatus Petrus de Nolasco fundaverat, nomen dare. Ille nihil cunctatus Barcinonem, ut jussus fuerat, progressus, ibidem post navatam variis pietatis studiis operam, per manus Petri de Nolasco fundatoris candidum intemeratæ Virginis habitum, summâ animi lætitiâ, suscepit. In sacrum Marianorum clientum numerum admissus, incredibile relatu est, quàm gratô animô beneficium hoc Virginis eximium prosequeretur. Sæpè cor suum divino amore æstuans augustissimæ cœlorum Reginæ in terram prostratus offerebat; atque in tantæ Dominæ cultu dies, noctesque divinis laudibus & obsequiis transigebat.

Regulari igitur militiæ adscriptus in eadem Urbe Barcinonensi Ordinis tyrocinium posuit sub sanctissima Beati Serapii Scoti ejusdem Ordinis Alumni disciplina, qui pro Christi nomine ad gentium conversionem deinde missus, post multos agones sanguinem suum denique profudit. Is prophetico spiritu clarus, longiusque prospiciens, ingentes ærumnas, & persequutiones Raymundo in Africa multis post annis perferendos, non fallente oraculo, prædixit.

Votis Religionis se obstringit.

Elapso tyrocinii spacio, non modò tribus se votis consuetis ad morem aliorum Religiosorum obstrinxit, sed & quartum etiam, quod proprium Alumnorum sacri Ordinis B. Mariæ de Mercede est, emisit, quo tenebatur ad redemptionem Christi fidelium sub jugo paganorum miseram vitam degentium, se ipsum, quando necessitas urgeret, substituere; ac pro eorum libertate Barbarorum se manibus, vinculis, & pœnis committere.

Egregius, & utilis Dei Præco efficitur.

Sacris exinde ordinibus & sacerdotio initiatus, cùm plurimùm spirituali facundia polleret, certis diebus ad populum Barcinonensem concionibus habendis de superiorum voluntate præfectus est, tanto quidem fidelium emolumento, ut quamplurimos eorum ab impudentia, peccandique consuetudine revocatos, ad vitæ melioris frugem traduxerit. Hoc illi præ cæteris solemne erat, ut quod aliis è suggestu proponere statuerat, id ipse in se omnium primus requireret, perficeretque. Raymundo nemo diligentior in exponendis sacris Scripturis, nemoque aptior in corrigendis aliorum defectibus visus est; quippe qui solo spiritu lenitatis peccantes aggredi;

Vitæ ejus Austeritas.

& amore perficere soleret. At omnibus præire sanctimonia vitæ; & exemplo allicere; innocuum corpus verberum acerbitate sæpissimè castigare; pane dumtaxat mucido extremam famem pellere; aut

aut frigidâ sitim extinguere; noctes vigiliis frangere; & dies sacris contemplationibus, precibus, aliisque piis operibus transigere, quia communia sunt aliis etiam viris sanctitate claris (ut brevitati consulam) libens prætereo.

Romæ primus Generalis Procuratorii munere perfungitur. Romæ omnium primus in Ordine suo Generalis Procuratorii munere functus est, quod munus incredibili charitate, juxta ac integritate exercebat anno salutis 1230. quo Gregorius Nonus, ejus præcipuè atque Jacobi Arragoniæ Regis, aliorumque insignium virorum rogatu, Ordinem de Mercede Redemptionis captivorum, à S. Petro Nolasco ex revelatione B. Mariæ Virginis recens institutum, publico diplomate laudavit, approbavit & confirmavit.

In Africam trajiciens plurimos Barbarorum ad fidem convertit. Ter in Africam Prælatorum suorum hortatu & consilio ad redimendos fideles, sub gravi Sarracenorum jugo laborantes trajecit. Ubi cùm illorum numerosissimam turbam crudeli custodiâ divexatam invenisset; nec ex pecunia jam jam consumpta reliquis liberandis, qui in proximo abnegandæ fidei discrimine constituti essent, quidquam ampliùs superesset, se ipsum, magno charitatis exemplo, in pignus dedit. In hac captivitate detentus, (ne otiari videretur) ardentissimo salutis animarum zelo succensus, quamplurimos Barbarorum suis concionibus conversos Christo Redemptori vindicavit. Inter hos decem numerantur Hæbreorum doctissimi, primæque apud eam gentem dignitatis viri; nec non duo nobiles magnæ autoritatis Sarraceni, qui ejus operâ, evangelicâ luce illustrati, è cæcis perfidiæ tenebris ad splendorem veritatis educti, suavissimo fidei jugo dura colla submisêre. *Ea propter à Sarracenorum Principe carceri mancipatur, & crudelissimè habetur.* Qua re cognita Sarracenorum Princeps irâ percitus, Raymundum verberibus ad sanguinem usque & vulnera cæsum, catenisque vinctum in arctum carcerem conjecit, mox labiis ejus ferreô stylô perforatis, & injectâ serâ ad supprimendum Dei verbum occlusis, crudele martyrium octo mensium intervallô, invicto animi robore sustinuit. Sed ne sic quidem à disseminando Dei verbo vir zelosissimus impediri poterat: namque mirabiliter solutâ in sonum ejus linguâ, non obstante repagulô, & clariùs loqui, & expeditiùs pronunciare, summa Barbarorum admiratione, multorumque conversione auditus est.

E dira custodia cum trecentis aliis liberatur, ac absens purpura donatur. Intereà sacri Ordinis commilitiones, collectis undequaque pecuniis, nonnullos in Africam destinârunt, qui Raymundum fame, siti, carceris squallore, & suppliciis penè enectum cum trecentis aliis concaptivis in libertatem assererent, ac Barcinonem deducerent. Raymundus numeratô à Legatis ære, cum sociis vinculis exemptus, à Greg. IX. famâ sanctitatis ejus & laborum patientiâ permoto, in præmium virtutis ac meritorum amplissimo Patrum Collegio sub titulo Cardinalis Diaconi S. Eustachii absens adscribitur anno salutis 1237. *Redux in patriam à concivibus splendidè excipitur.* Quem ex Africâ reducem, novaque dignitate auctum Barcinonenses cives & clerici obviàm facti solemni pompa, & apparatu inter festas gratulantium voces, veluti virum de cœlo lapsum exceperunt. Ille è contrario, ut erat naturâ humilis & ab omni fastu prorsus abhorrens, habitis brevi, sed officiosô sermone gratiis, relictâ domô, quam ipsi Cardonæ Comes ornatissimas obtulerat, rectô tramite ad sui ordinis alumnos in Cœnobium contendit, in quo

deinceps admirabili innocentia vitæ, & integritate omnibus ad viam virtutis prælucens, efficacissimo fuit exemplo, & incitamento.

Charitas ejus obvio cuidam pauperi exhibita, digno à Deipara, & Christo ipsi apparentibus, præmio compensatur.

Cùm die quadam imbribus brumali tempore madidâ urbis Barcinonensis viam, suis vacaturus negotiis, cum socio obambulâsset; ac in ea pauperem quendam ab omnibus despicatum, ætate & canicie venerandum, absque capitis tegumentô frigori ac pluviæ expositum deprehendisset, compassione motus, detractum sibi pileum tremuli senis capiti imposuit. Quòd quàm gratum Deiparæ Virgini, (cujus id nomine fecerat,) acciderit, ex eo, quod subnecto, facilè conjectari licet. Nam domum rediens, atque orationi, juxta morem, ferventiùs incumbens, in extasim raptus, vidit se in amœnissimum viridarium deduci; in quo cœlorum Reginam cum frequenti Virginum comitatu varios flores colligentem, ex iisque pulcherrimum sibi sertum contexentem spectabilem in hæc verba habuit: *Dignus hac ille coronâ est, qui seni pauperi pileum imposuit suum.* Hæc audiens Raymundus, non florum coronam, sed Jesum Christum, *florum Regem* in suarum præmium actionum se velle respondit. Quibus dictis, illicò stantem ante se Christum Dominum, pileô illô, quo pauperis caput paulò antè contexerat, ornatum vidit, *spineam* in dextrâ, ac *floream* in sinistrâ coronam gestantem; ambasque, factô illi delectu, offerentem. Spinarum coronam, Christi dolorum indicem cùm sibi instanter concedi postulâsset, voti compos effectus, ex eo tempore ad obitum usque gravi capitis dolore, nullô impatientiæ editô signô, laboravit.

Mira patrat in Hispania circa homines, & pecudes pestifera lue infectis.

Dum Hispaniæ citerioris Provincia pestilenti lue, hominibus æquè, ac pecudibus exitiali diu & graviter, non absque ingenti strage, affligeretur: Misericordiarum Pater de more rationibus prospiciens, eodem punitionis tempore ipsismet afflictis medicamentum anodynum subministravit. Nam Raymundus cœlesti virtute liberatis primò ea lue hominibus, omnes eorum ad se perductas pecudes solô crucis signô restituit. Quare illius Provinciæ Incolæ in tanti beneficii memoriam quotannis die, qua Raymundi festum concelebrant, coactis ad muros Ecclesiæ, (in qua sacrum tanti viri corpus quiescit,) pecudibus, eorum morbos, pio Sancti interventu, vel arcent, vel præcavent. Sunt & alia innumera Raymundi in hanc rem memoranda opera, quæ, ni brevitati consulerem, in medium afferre non detrectarem.

Mirabili, & sancto fine quiescit.

Interim Gregorius Pontifex Maximus arduis Ecclesiæ negotiis consulturus, eundem per litteras ad se Romam vocavit; qui morem Pontifici gerens longinquo itineri se mox commisit. At ubi Cardonam appulit, repentinô morbô, eoque lethali corripitur. Unde ecclesiasticis sacramentis ad iter æternitatis muniri se postulans, cùm Sacerdos æquô diutiùs moras necteret, Angelorum ministeriô sub specie Religiosorum sui Ordinis apparentium salutari viaticô refectus, ultimâ Dominicâ Augusti circa annum salutis 1240. inter sui Ordinis Alumnos è stadio hujus mortalitatis, vixdum quadragenarius, serenâ fronte ad superos evolavit. Cujus sacrum corpus cùm suum esse vellent Cardonæ Comites, in quorum Ædibus obierat;

obierat; suum verò Barcinonense Cœnobium, in quo religiosam vestem induerat; litem utrimque exortam DEUS miraculò diremit, dùm illud ad ædiculam Divi Nicolai, in qua ille in flore primo pietatis lac suxerat, per mulam oculis captam, cœlitusque directam deportari permisit. Voluit enim DEUS, ac suavissima ejus Mater servum suum Raymundum præcipuo religionis cultu eo in loco honorari, in quo illam ipse à pueritia tenerrimo mentis affectu studuerat honorare. Ab eo namque tempore memorata Ædicula in celeberrimum Templum piorum operà excrevit, ipsiusRaymundi nomini consecratum, & dedicatum, quod in hodiernam usque diem, præsertim verò ultimâ Dominicâ mensis Augusti, qua ipsius festum quotannis solemnissimè agitur, incredibili Populorum concursu, ob crebra, quæ ibi exhibentur, miraculorum beneficia frequentatur.

Litem circà sacrum ejus corpus exortâ Deus miraculò dirimit.

Dum mula luminibus orba sacrum ejus cadaver ad ædiculam Divi Nicolai asportaret, plurima stupenda, Deo in Sancti commendationem cooperante, patrata sunt. Ante domum paternam S.Raymundi, mula pertransiens, aliquantulùm substitit, deinde in genua provoluta, admirantibus cunctis, locum, qui Sancto natalis fuit, venerata est. Funerantium more, exequias ingens fidelium turba cum cereis funalibus accensis comitata est ad duodecimum usque milliarium, nec tamen (mirabile dictu!) toto illo itinere, licèt truces efflarent venti, largusque imber è cœlo efflueret, ullum funalium quisquam extinctum vidit. Demùm totum æs campanum, urbium omnium, oppidorum, aliorumque locorum, per quos mula sacrô illô pondere onusta iter habuit, sonum se ipso, nemine sollicitante, supra naturæ vim, atque ordinem fudit.

Stupenda signa in deportatione sacri ejus corporis patrantur.

Gregorius IX. Pontifex Maximus audita Raymundi morte, in memoranda hæc verba, altùm ingemiscens! prorupit: *Hoc tempore sacer ordo B Mariæ de Mercede patrem; Catalaunia Provinciæ filium; Hispania Patronum, Captivi liberatorem; Collegium nostrum ornamentum, Ecclesia Universalis virum sanctum unâ horâ amisit.* Elapsis nonnullis ab obitu tanti viri annis, anno scilicet à Christo nato 1255. S.Petro Nolasco adhuc in vivis degenti apparens Raymundus, pervigilium feriarum natalis Christi proximi anni, tanquam ultimum, ac postremum ejus vitæ diem, non fallente oraculo, præcinuit. Siquidem illo ipso die & anno, qui Christi fuit 1256. sanctissimus Patriarcha Petrus Nolascus, mirandis operibus clarus, ad superos evolavit.

Gregorii IX. Pontificis memorabile dictum.

S. Petro Nolasco apparens diem obitûs prædicit.

Sanctorum Catalogo ob eximiam vitæ sanctitatem miraculorumque copiam ab Apostolica Sede adscriptum Raymundum scimus anno reparatæ salutis 1414. Urbanus hujus nominis Octavus Anno 1626. Ordinis B. Mariæ de Mercede Religiosis; & Alexander VII. anno 1655. precibus Virginii Ursini Diaconi Cardinalis Sancti Eustachii intentus, Canonicis, aliisque ejusdem Ecclesiæ Ministris die Raymundo sacrâ Psalmos divinos recitandi, atque in ejusdem honorem Hostias Deo immolandi facultatem concessit. Jussitque tum Raymundi, tum Petri de Nolasco nomina Martyrologio Romano inscribi: proposuit insuper largissimas delictorum indulgentias

Ob miraculorum copiâ Sanctorum fastis adscribitur.

tias

tias iis, qui die 14. Novembris ejusdem Anni 1655. Ecclesiam Sancti Eustachii de urbe visitâssent, qua die solemnissimè in eadem Ecclesia S. Raymundi effigies, magnâ populi Romani frequentiâ, ad cultum publicum collocata est.

Innumera beneficia suis Cultoribus confert.

Innumera sunt beneficia, quæ Deus optimus maximus mortalibus necessitate laborantibus, S.Raymundi precibus indulsit, quæ hîc omnia singillatim recensere nimis longum foret, & operosum. In Archivio Cœnobij Barcinonensis Ordinis de Mercede extant authenticæ Tabulæ, in quibus multa supra naturæ vim, atque ordinem S. Raymundi deprecatione paucorum annorum spacio, mortalibus facta enarrantur. Placet hîc, iis omissis, coronidis locô exscribere litteras, quas tertio Octobris Anni 1655. è Massilia Galliarum urbe Hyacinthus de Carral Ordinis B.Mariæ de Mercede Prior Magistro Michaëli de Alcantara ejusdem Ordinis Vicario Generali in Italia, & in Romana Curia primo Procuratori transmisit: sunt autem tales.

Testimonium Hyacinthi de Carral Prioris de ejus patratis signis affertur.

Perjucundum mihi fuit à vestra Reverentia 40. horarum in Festo S. Raymundi Nonnati petitum, & obtentum Breve, cum hoc pacto Tholosatum in eum devotionem propagandam arbitrer, qui superioribus annis 1654. ejus ope, & pia intercessione à Deo optimo summa peste, & febribus laborantes innumera propemodum accepêre beneficia. Et sanè certam Reverentiam vestram velim, si mihi fidem adhibere dignetur, supra viginti millia utriusq; sexûs hominum à febribus liberatos fuisse; ne referam hydropicos, & à medicis desperatos, aliosq; morti jam jam proximos, qui solo Raymundi invocato nomine, vel aquam in ejus honorem benedictam degustantes, protinùs vires pristinas recuperârunt. Quæ curationum miracula omnibus Tholosanis tanta erant admirationi, ut quotidiè summus populi concursus sacram ejus Aram frequentaret: vixq; ullus Tholosa, & in aliis vicinis oppidis esset infirmus, qui ejus opem & auxilium summâ cum veneratione & fiduciâ non imploraret, ac remedium & solatium in infirmitate non reciperet. Certum & fidele hujusce veritatis possum reddere testimonium, quippe qui tunc temporis in eodem Conventu Tholosano degerem, ac in eo confessiones fidelium audirem, qui quotidiè nostram Ecclesiam, gratias Deo omnipotenti, & S. Raymundo Nonnato pro obtenta salute soluturi adibant; & ad illum sanitatem suam referebant. Missa etiam facto, qua quotidiè gravibus, & in partu laborantibus mulieribus confert beneficia. Credo equidem hæc miracula vestræ Reverentiæ, quin imò & toti Religioni non minori, quàm nobis, admirationi futura. Hæc ille.

Scripta ejus.

Scripsit plurima in honorem, & laudem B.Virginis Mariæ, cui addictissimus erat: item ad laudem S. Nicolai Episcopi Myrensis hymnos aliquot. Ascetica insuper, & Theologica nonnulla opera, quæ tamen non nisi manu scripta in variis Bibliothecis extare dicuntur.

Ejus meminêre Volateranus lib.21. Antrop. Arnoldus Wion lib.1. c.87. Ligni vitæ. Petrus Brugianus Diar.1. Histor. Monast. Bernardus de Vargas Tom.1. lib.1. c.32. in Hist. Ordinis do Mercede Redempt. Nomenclator Cardin. Hippolytus Maraccius in Vita, & in Purp. Mariana. Petrus Amerius in Vita S.Petri Nolasci. Alphonsf. Remondus in Chronico Ordinis. Alphonsus de Roxas de Viris illustribus Ordinis de Mercede. Lucas Castell. in Catalogo Sanctorum. Ciaconius in Vita. Marcus Salmeron in Hist. de Mercede. Ughellius, & Oldoinus in addit. ad Ciaconium. Mererius in Dict. Histor. magno. & alii.

ANNO

ANNO 1227.

SEDENTE GREGORIO IX. PONTIF. MAX.

De

FRANCISCO CASSARDO

S. R. E. CARDINALE.

FRANCISCUS Cassardus (cujus apud Auctores, qui de Cardinalibus scripsêre, nulla, vel exigua mentio extat) natione Delphinas ortum habuit Fayeti Diœcesis Gratianopolitanæ, vir in sacris litteris, Jure Pontificio ac Cæsareo clarus: ob insignia virtutum; & doctrinæ merita à Gregorio IX. cui gratissimus erat, inter Presbyteros Cardinales titulo S. Martini cooptatus anno Dominicæ incarnationis 1237. Purpuræ dignitate non nisi mensibus quatuor gavisus est. Nam dum ejusdem Pontificis imperio, ad emendandos Clericorum mores in Gallias Legatus proficisceretur, casu ex equo delapsus, graviterque ad tempora sauciatus, ex eo vulnere sexta die mensis Augusti eodem anno, quo purpurâ ornatus fuerat, post susceptam Ecclesiæ sacramenta; fatis concessit Lugduni in Gallia. Sepultus apud Patres Dominicanos, quorum incremento, dum vixit, sedulò semper studuit: quibus etiam in morte præter suppellectilem pretiosam, aliaque insignia dona, non paucos annuos redditus testamento legavit; ut patet ex Epitaphio à dictis Patribus ad ejus memoriam in eadem Ecclesia posito, ab Oldoino in additionibus ad Ciaconium relato. Ex quo ferè omnia, quæ hîc de eo narrantur, ob penuriam Scriptorum, desumpta sunt. LXXVIII *Vir optimus & litteratissimus à Gregorio IX. vix purpurâ donatus in Galias Legatus missus, lapsu ex equo facto occumbit.* *Liberalitas ejus in Patres Dominicanos.*

Scripsit vir doctus nonnulla ad Jurisprudentiam, ejusque dilucidationem spectantia, Sermones item plurimos de Sanctis, & de tempore: quæ tamen inter manuscripta Lugduni asservata, in lucem hactenùs non prodiêre. *Scripta ejus.*

Ejus brevem mentionem faciunt Augustinus Oldoinus in additionibus ad Ciaconium & Petrus Frizonius in Gallia purp.

ANNO 1243.

SEDENTE INNOCENTIO IV. PONTIF. MAXIMO.

De

PETRO DE COLLEMEDIO

S.R.E. CARDINALE.

PETRUS de Collemedio, natione Italus Campanus, vir conspicuæ religionis, eximiæ fortitudinis, integritatis, ac doctrinæ, Divi Audomari, tunc temporis diœcesis Morinensis, Præpositus. Is in Anglia moranti Pandulpho Cardinali, Sedis Apostolicæ Nuncio (in cujus tum contubernio ob insignem LXXIX.

ſignem literarum cognitionem aſſiduus erat.) egregiam aliquandiù operam locavit. Exinde Lutetiam Pariſiorum digreſſus, Cathedramque magiſtralem adeptus, ſacras ibidem literas eò uſque publicè interpretatus eſt, donec in præmium literariæ virtutis, & laborum Archiepiſcopus Rothomagenſis ad inſtantiam Galliæ Regis deſignaretur. Pallium, & conſecrationem accepit maxima cum pompa in Eccleſia S. Audoëni, quam annis deinceps plurimis, integerrimâ ſui nominis famâ, rexit.

Sacras litteras Pariſis profitetur; & Archiepiſcopus Rothomagenſis eligitur.

Ab Entio Friderici II. Imperatoris notho in Mediterraneo mari cum aliis Præſulibus Romam ad indictam Synodum properantibus, Piſanorum operâ captus, mortique jam jam adjudicatus, rogatu S. Ludovici Galliæ Regis, mortis periculum, libertate donatus, evaſit. Vinculis exemptus, Lugdunum ad Concilium generale, adverſùs Fridericum Cæſarem, adunatúm conceſſit; ubi ab Innocentio IV. egregiis ejus dotibus allecto, Epiſcopus Cardinalis Albanenſis renunciatus, legationem accepit ad Fridericum, ut eum ob illatas Eccleſiæ injurias ad dicendam in Concilio cauſam accerſeret; ac pœnis cenſurarum, ni juſſis obtemperaret, perſtringeret. Imperator monitus à Petro, citatuſque, ſe venturum, ubi per negotia liceret, ſpopondit; eoque non inhumaniter dimiſſo, Capuâ diſcedens formidando cum exercitu iter in Longobardiam Viterbium versùs arripuit, agroque Viterbienſi depopulato, Veronam (ubi maximum Principum Germanorum, Italorum, aliorumque confœderatorum conventum indixerat) ſeceſſit. Exinde Legatos, qui ſe in ſpeciem excuſarent, ac de concordia cum Pontifice tractarent, Lugdunum ad Concilium miſit. Legati advenientes Imperatorem juxta commiſſionem datam multis in Concilio, cui ipſe præſens ob negotia, & ægritudinem intereſſe non poſſet, excuſant; Pontificemque rogant, uti veniam deprecanti Cæſari pro ſua clementia parceret, qui & Eccleſiæ per vim ablata reſtituere; & Hieroſolymam infra annum recuperare, paratus eſſet. Pontifex eum perſæpè Eccleſiam deluſiſſe ſciens, neque tunc ſincerè pœnitudinis ſigna dare conjectans, (utpotè qui adhuc multos Eccleſiæ Antiſtites à Piſanis captos in vinculis detinebat) omnia ejus conſilia eò tendere ſuſpicatus eſt, ut impetrata temporis dilatione, poſt Concilii miſſionem ſe ipſum eluderet, longo uſu ejus fallendi artes edoctus, Legatorum poſtulata ex integro rejecit. Cùm igitur eum medidato jam fulmine ferirc; atque adeò titulis, ac regno ſpoliare conſtituiſſet, priuſquàm id exequeretur, Petro de Collemedio imperia dedit clàm proficiſcendi Parmam, ad ſuos ibi commorantes amicos, & propinquos admonendos, ut eâ quantocyùs urbe excederent, ſeque in tutum Placentiam cum uxoribus, & ſuppellectili reciperent, ne perceptâ ſuâ damnatione Fridericus irritatus, in eos tanquàm Pontificis agnatos procedere, & deſævire poſſet. Illi ſtatim atque admoniti ſunt, collectis vaſis, Pontifici obtemperantes, relictô Parmæ in ſubſidium Collemodiô, urbe exceſſerunt.

Captus, ac morti adjudicatus, Sancti Ludovici Galliæ Regis interventu liberatur.

Cardinalis renunciatus, & Legatus ad Fridericum Imp. deſtinatur, eundem ad dicendam in concilio Lugdunenſi cauſam citat.

Imperatoris per oratores facta excuſatio, ut ſuſpecta rejicitur, Ipſe verò titulo & Imperio privatur.

Pontifex igitur de eorum abitu certior factus, abruptâ omni morâ, Fridericum Cæſarem, anathemate jam anteà defixum, tan-

quam

quam publicum Ecclesiæ hostem; Pontificis ac Conciliorum contemptorem; Jurium, immunitatum, ac Personarum Ecclesiasticarum violatorem; Patrimonii Ecclesiæ invasorem, direptorem, ac usurpatorem &c. de Patrum consilio, ac Principum consensu, ipso præsente Balduino Orientis Imperatore, pro tribunali sedens, XI. Kalend. Julii, anno salutis 1245. Imperio, titulis, ac Regnis omnibus privavit, privatumque, atque exauctoratum publicis tabulis declaravit. Fridericus ea re vehementer concitatus, irarumque plenus Arces, Villas, Ædes, in districtu Parmensi sitas cognatorum Pontificis (qui paulò antè, uti diximus, Parmâ Placentiam ejus monitu commigraverant) expilari, incendi, ac dirrui jussit: deinde comparato ingenti exercitu Lugdunum ad disturbandum Concilium, ipsumque Pontificem capiendum proficisci instituit. Sed cùm ad Taurinos pervenisset, ibique diem unum curandis corporibus substitisset, inopinatus allabitur nuncius, *Suos*, referens *ad Parmam nuper consistere jussos insperatâ, & maximâ clade ab erumpentibus cum Collemedio Parmensibus affectos, & superatos esse.* Hôc nunciô Cæsar nonnihil territus omissô, quod cœperat, itinere, mox eò regressus est, convocatisque ex totâ ferè Italiâ copiis suis (quas ad sexaginta pugnatorum millia fuisse produnt) obsidere Parmam constituit. Ad hanc verò muniendam, tuendamque Collemedius, antequàm eò Cæsar venisset, ingentes suppetias à vicinis civitatibus confœderatis coëgit, easque multo commeatu instructas, nullâ factâ morâ intromisit. Biennalem itaque obsidionem Collemedius constanti juxta ac vigilanti animo passus, tandem opportunam erumpendi occasionem nactus, Fridericum deliciis tum magis, quàm armis intentum, nihilque tale metuentem adoritur, fudit, fugatque: tam secundo quidem Marte, ut castris, rerum omnium copiâ refertis, spoliatis, incensisque, victor haud inglorius in urbem reversus sit. Ea clade Fridericus Cæsar coronam ingentis precii, vasa aurea, & argentea magni ponderis, universamque penè suppellectilem amisisse fertur. In urbis enim speciem castra, vallis, fossis, turribus, ac propugnaculis Fridericus ea mente munierat, ut captâ atque eversâ Parmâ, in quam magnum conceperat odium, eô locô, ubi stativa habuerat; ac nummos, *victorianos* appellatos, cuderat; *victoriam* urbem conderet. Ægrè Fridericus ex tantâ acceptâ clade ad Cremonenses fugâ dilapsus, eorum urbem sibi maximè iratam, ex eo quòd multi ex Cremonensibus, ipsi pugnantibus eô præliô ceciderant, intrare non est ausus.

Fridericus ob depositionem irâ percitus in Pontificis cognatos, eorumq; facultates grassatur.

Parmam arctâ obsidione per biennium cingit, sed à Collemedio factaeruptione repellitur, & castris exuitur.

Eo in prælio Fridericus quæ perdiderit? enarrantur.

At verò Innocentius, ubi intellexit illum nihil eâ clade commotum, quin potiùs constructis amœnissimis hortis voluptatibus se dedisse; atque cum speciosis mulieribus (quarum selectissimas quasque ex omni vicinia conduxerat) turpem vitam agere, hominis sortem miseratus, omissô ad tempus conciliô, Legatos per Galliam, Germaniam, aliasque provincias misit, qui populis suaderent, militiam Christi suscipere; Regemque Francorum Ludovicum, in Asiam trajicere properantem sequi: qui zelo Pontificis obsecundantes, ingenti comparato exercitu, cum S. Rege Ludovico in Syriam moverunt, fusâque Soldani classe, atque terrestribus hostium

S. Ludovicus Rex fusâ Soldani classe Damiatam occupat.

copiis superatis, Damiatam validissimam Saracenorum urbem in potestatem redegerunt.

Inter hæc Collemedius rebus prosperè gestis, ac urbe Parmâ obsidione liberatâ, Romam ad Pontificem revertitur: à quo benignè exceptus, muneribusque donatus, nova identidem legatione adversùs Albigensium hæresim decretâ nobilitatus est, ut eam fidelium armis oppugnatam penitùs evelleret, quæ quamvis sæpiùs amputata, iteratò tamen semper conâtu ad instar Hydræ repullulare cœperat. Haud segniter legationem hanc gessit Collemedius, qui clanculùm explorato Albigensium agmine, cum tribus delectis pugnatorum millibus in eos irrumpens, ad unum penè omnes internecione delevit; reversúsque Romam, paulò pòst meritis plenus circa salutis annum 1253. repentina morte decessit: quam illi fratrem quendam Minoritam prædixisse nonnulli affirmant.

Collemedius Albigenses hæreticos magna clade afficit.

Repentina morte decedit.

Cardinalis hujus memminit cum laude Carolus Sigonius de Regno Italiæ; non ita in sua historia Matthæus Westmonasteriensis, sæpè sæpiùs tum in Pontifices Romanos, tum in Cardinales atque adeò & in hunc injurius. Narrat Cantipratensis infelicem cujusdam Cardinalis (suppresso nomine) mortem, qui ob levissima quædam Prædicatoribus, ac Minoritis iratus, ultore DEO, æternùm perierit. Lucas Waddingus Tomo secundo Annalium minorum ad annum 1254. diù divinans, ex signis tandem in cognitionem se hominis devenisse ratus, audacter scribit Cardinalem à Thoma Cantipratensi sine nominis expressione relatum, Petrum fuisse de Collemedio. Sed quis cordatus, aut prudens Lector assertum hoc non facilè credat vel ab adversariis confictum? vel ab obtrectatoribus subornatum? cùm ex Diplomatibus Pontificiis, & ipsius Collemedii benè gestis constet: *Virum illum fuisse Ecclesiæ utilem, virtutibus & doctrinâ conspicuum, Religionis vindicem, & Ordinum eo tempore vigentium Patronum præcipuum, & fautorem maximum.* His adde justam rei confictæ suspicionem ex suppresso à Cantipratensi nomine augeri, quod subticuisse, ne mendacii argueretur, probabili argumento est. Ut quid igitur Waddingus, quod Cantipratensi incertum, minimeque exploratum erat, Collemedio, pio, strenuo, ac de Ecclesia optimè merito Cardinali tam facilè, tamque leviter affingere debuit? Certè nulli ex reliquis Scriptoribus asserti hujus fabula probatur.

Suspecta de Collemedii obitu narratio improbatur, & refellitur.

Alphonsus Ciaconius adstipulante Petro Frizonio contendit hunc Cardinalem, natione Gallum ex Provincia Campaniæ oriundum, non Italum extitisse. Verùm ambos palpabili errore (teste Ughellio) lapsos, ex ipsius Innocentii IV. litteris, & Diplomatibus, *Illum Italum Campanum ex oppido de Collemedio dicto (quod in Romana Campania jacet) fuisse*, declarantibus, liquidò constat. Nec minùs erroris convincitur Cæsar Alexius in sua de Viris Illustribus Perusinis Centuria: qui Petrum de Collemedio *uti civem Perusinum gentis Comitulæ ex Comitibus Collismedii* collaudat: cùm tamen ejus contemperanei Scriptores ortu Campanum indubitanter affirment. Quis vero non videat quàm longè ab Hetruria distet Campania Romana? præterquàm quòd etiam sequentes versus, qui in Ecclesia Rothomagensi leguntur, errantis Allexii lapsum redarguere videantur.

Varia de Collemedii patria sententia afferuntur.

Hanc

Hanc sedem Petrus Medio de Colle subivit,
In quo Jus, Pietas, Ratio, Lux, Gratia fulsit.
Ortu Campanus, sensu Cato, dogmate canus.
Cujus larga manus, ad summa negotia Janus.
Inclytus Athletes fidei, &c.

In Metropolitana Rothomagensi Ecclesia decem erexit sacerdotia, magnis proventibus dotata, eaque sacerdotibus totidem hac lege concessit, ut singulis diebus sacram DEO hostiam in ea libarent. Innocentii IV. jussu Ecclesiam S. Mariæ Hadriensis in Cathedralem erectam Pennensi univit, sanxitque ut Episcopus deinceps Pennensis & Hadriensis diceretur. Extant hac de re litteræ Petri Clero, potestati, & communitati Hadriensi datæ, quas Ughellius tomo primo Italiæ sacræ recenset. *Pietatis ejus monumenta recensentur.*

Scripsit summam Theologiæ. *Scripta ejus.*
Quæstiones Philosophicas.
Sermones sacros.
Epistolas varias.
Historiam sui temporis.

Quæ omnia inter manuscripta in Monasterio de Palazuolo Diœcesis Albanensis asservantur.

Ejus mentionem faciunt Claudius Robertus in catalogo Archiepisc. Rothomag. Petrus Frizonius in Gallia purp. Ciaconius in vita. Dodrans in catalogo Archiepisc. Rothomag. Lucas Waddingus in annal. Minorum. Carolus Sigonius de regno Italiæ. Ugellius tomo 1. Ital. sacra & Alii.

ANNO 1243.

SEDENTE INNOCENTIO IV. PONTIF. MAXIMO.

De

GUILLELMO PEDEMONTANO

S.R.E. CARDINALE.

GUILLELMUS Pedemontanus, à Ciacanio Subalpinas dictus (cujus patriam, & agnomen ignoramus) ob insignem litterarum cognitionem, dicendique facundiam ab Honorio III. Legatus Apostolicus in Livoniam, & Prussiam ad promulgandum Christi Evangelium anno salutis 1220. missus cum facultate Episcopales in iis Regionibus sedes erigendi, Episcoposque constituendi, egregiè munere suo perfunctus est. Hunc Honorius III. in suis litteris *Virum solertem, vita honestate conspicuum, prudentiâ, consiliô, factisq; clarum, ac eruditione minimè vulgari præditum* vocat; eundemque omnibus Prælatis, ad quos iter haberet, specialibus litteris commendat. LXXX. *Legatus in Livoniam & Prussiā mittitur litterīs Pontificiis commendatur.*

In hac legatione Hedwigem filiam Principis Bertholdi Marchionis Moraviæ, & Comitis Tyrolensis, ac Henrici Ducis Silesiæ, & Poloniæ uxorem, sanctimonia vitæ illustrem, tunc temporis ægrotantem invisit; eidemque præcepit, ut mitigato jejunii & abstinentiæ *S. Hedwigem ægrotantem convenit, eiq; ut rigorem*

consueti jejunii tempe-ret, disponit. tiæ rigore, carnibus durante morbo vesceretur. Paruit equidem illa Legati imperio, plus tamen animôse gravari cibi illius esu conquesta est; quàm morbo ipso, licèt accerbo, quo corpore affligebatur.

Post legationem Polonicam Vice-Cancellarii munere functus est Romæ sub eodem Honorio usque ad annum 1223. quo Episcopatum Munitensem in præmium laborum adeptus est. Cùm enim post Martini Mutinensis Episcopi decessum, Ecclesiastici novæ electioni incumbentes, in contrarias partes abiissent, quorum altera Orlandinum de Gumbala; altera Manfredum de Piis ad sedem vacuam sufficere studit, Pontifex ambitiosum dissensionis æstum sedaturus, utriusque partis electione improbata, Guillelmum invexit, ordinavitque: qui postmodùm sub Gregorio IX. ut B. Dominicus Prædicatorum Patriarcha sanctorum fastis adscriberetur, auctor fuit.

Roma Vice-cancellarius, ac mox Episcopus Mutinensis creatur.

Variis legationibus fungitur in Partibus Septentrionalibus. Ejusdem Gregorii deinde jussu iterum variis legationibus functus est ad diversas Septentrionis Plagas: pro quo Pontifex ad Christi fideles per Livoniam, Prussiam, Gothlandiam, Willandiam, Genigalliam, & Curlandiam (ut inquit Olaus libro 19. capite 5.) commorantes, commendatitias litteras scripsit. Hic Cleri illarum Regionum corruptos mores restituit; Concubinatum, introducta honestate, proscripsit; Schismaticos multos ad Ecclesiasticam unitatem reduxit; Principibus Christianis adversùs Paganos decertantibus consilio & ope adstitit.

Ericus Suecorum Rex reportatâ de Tavestis victoria, saluberrimam victis legem præscribit. Eo in Suecia agente Ericus Suecorum Rex cognomento Balbus, contra Tavestos felicissimè dimicavit: commissâ enim pugnâ multis millibus hostium deletis, incruentam penè victoriam assecutus, legem victis præscripsit: ut si paganâ superstitione ejuratâ, Christi fidem amplecterentur, nec vitæ discrimen, nec bonorum jacturam subituros; alioquin neque vitâ neque bonis deinceps potituros. Ingenti ea lex, Paganorum multitudini causa salutis extitit, qui Christo accedentes, suscepto Baptismate, superstitioni nuncium miserunt.

Guillelmus Concilium Schetingæ pro Cleri Reformatione indicit. Guillelmus interim Legatus nec ipse ferians, celeberrimum Schetingense concilium indixit, in quo ipso Rege Erico, ac Regni Proceribus, & Jarlero Archiepiscopo Ypsalensi præsentibus, saluberrima quædam decreta, Cleri correctionem & decorem concernentia edidit. Suecos & Gothos quamplurimos à Schismate Græcorum ad Ecclesiæ unionem revocatos Christo Redemptori asseruit: effecitque piè cooperantibus Rege Erico & Birgero Duce, ut tum Episcopi, tum Sacerdotes, dimissis conjugibus & concubinis, quibus fœdè hactenùs, & cum scandalo fidelium adhæserant, sacrum cœlibatum amplecterentur, & colerent. Transgressores verò statuti hujus, omnibus proventibus, emolumentis, dignitatibus & privilegiis, clericorum Ordini annexis, privavit; gravibusque pœnis, & censuris multatos judicio sæcularium subjecit. Ea propter Gregorio Pontifici, Religionis propagandæ studiosissimo in paucis charus evasit. Romam è Suecia initio Pontificatûs Innocentii IV. reversus, próque laboribus exantlatis Purpuræ dignitate, & cathedra Sabinensi donatus, ejusdem Pontificis mandatô Suecicam legationem repetere est jussus. Ex qua sanè eos retulit fructus, qui & Pontificis exspectationi; & Suecorum desiderio cumulatissimè satisfacerent.

Concubinatum statutis pœnis tollit.

Purpurâ & Episcopatu Sabinensi donatur.

Guillelmo

Guillelmo Cardinali, Episcopo Munitinensi Fridericus Cæsar dato Imperiali diplomate concessit, ut Castrum *Fontu-ducis* nuncupatum, sua in diœcesi positum, à Mutinensibus, Ferrariensibus, aliisque vicinis Principibus funditùs eversum, non solùm reædificare; sed & fossis, turribus, murorumque ambitu adversùs hostium incursus convestire posset. *Castrum Fontu-Ducis nuncupatum reædificat.*

Anno Domini 1231. ut fidem Catholicam Barbaris gentibus faciliùs promulgaret (ne suâ absentiâ Ecclesia Mutinensis ullum pateretur detrimentum) Mutinensi Episcopatu lubens, volens abivit. Multa millia infidelium, ad Christum conversa, aquâ lustrali expiavit. Qui multis tandem admirandæ virtutis signis clarus, meritisque cumulatus è vita mortali transitum ad immortalem fecit Lugduni pridiè Kalend. Aprilis anno salutis 1251. paulò antè discessum Innocentii IV. ex ea urbe. Sepultus ad Patres Dominicanos, quos tenerrimô, dum vixit, mentis affectu; donisque quamplurimis prosecutus est semper. Extat ibidem memorabile hoc ejusdem tumulo appositum Epitaphium: *Episcopatu Mutinensi se abdicat.* *Sanctè moritur Lugduni.*

HIC JACET *Ejus Epitaphium.*

ZELANTISSIMUS PRÆDICATOR, ET LAUDATOR NOMINIS
JESU CHRISTI. ASSERTOR FIDEI ET TOTIUS VERITATIS.
VIR PERMAGNÆ SANCTITATIS ET DOCTRINÆ.
ORNAMENTUM PURPURÆ, ET ECCLESIÆ DECUS.
PATER VENERABILIS D. GUILIELMUS SABINUS EPISCOPUS CARDINALIS.
QUI OBIIT ANNO A CHRISTO NATO 1251. PRID. KAL. APRILIS.

Ejus mentionem faciunt Francisc. Augustinus de Ecclesia in historia Pedemontana. Gaspar Silligardus in catalogo Episcop. Mutinens. Surius in vita S. Hedwigis 15. Octobris. Olaus Magnus lib. 19. c. 5. Bzovius in Annal. tomo 13. Ciaconius in vita. Panvinius. Ughellius. & Alii.

ANNO 1243.

SEDENTE INNOCENTIO IV. PONTIF. MAX.

De

OTHONE RODULPHÆO
S.R.E. CARDINALE.

LXXXI.

OTHO natione Gallus Bituriensis, illustri gente Rodulphæâ procreatus, inter viros ejus ævi doctrinâ, & eloquentiâ non postremus, primùm Canonicus & Cancellarius Ecclesiæ Parisiensis; deinde cœlestis contemplationis & solitudinis desiderio motus, in Cœnobio Cistercienti Gradis-Sylvæ Monachum professus, ibidem paulò pòst ob doctrinæ præstantiam, vitæ integritatem, regnandique peritiam in Cœnobiarcham electus, mox ab Innocentio IV. Episcopus Cardinalis Tusculanus renunciatus est. Exinde in Gallias soluto jam Concilio Lugdunensi, ab eodem Pontifice Legatus missus, anno salutis 1246. Parisiis Regem Francorum Ludovicum, hujus nominis Nonum, ense, & vexillo sacrato donatum, ad suscipiendam adversùs Sarracenos *In Cœnobio Cistercensi Grandis Sylvæ Monachus professus, Abbas; ac mox Episcopus Cardinalis Tusculanus efficitur.*

Legatus in Gallias missus S. Ludovicum Regem adversus Sarracenos animat, eundemq; in Syriam prosequitur.

cenos Crucem, ineundamque expeditionem Transmarinam (comes ipse itineris, & negotii futurus.) animavit. Quem Rex sanctus semel iterùmque complexus, pectori admotum *Virum secundum cor suum* appellavit. Erat autem Otho, ut Scriptores illius temporis loquuntur, morum honestate decorus; litterarum scientiâ præditus; consilii maturitate præclarus; & omnigena virtute conspicuus. Ad quem multas Innocentius, dum in Oriente Legati partes ageret, Regique Ludovico individuus comes adhæreret, epistolas scripsit: quibus illi inter cætera mandavit, ut in Cypro Insula, Syriæ objacente, aliquot Episcopatus Græcorum institueret; & Archiepiscopum Græcorum à Latino Archipræsule paulò antè proscriptum, ab exilio in Cyprum revocaret. Quæ omnia ad mentem Pontificis executioni protinùs mandavit. In ea expeditione Orientalem Tartarorum Regem suis litteris ad fidem Orthodoxam conversum Christo Redemptori peperit: cui deinde Otho, ne fortè in errorem relaberetur, insignes aliquot viros zelo fidei, & doctrina præstantes, ex Franciscorum Alumnis tres; ex Clericis secularibus duos ad instructionem submisit.

Quæ in ea expeditione gesserit? narrantur.

S. Lodovico Regi Damiatam expugnanti præsto est.

Ea tempestate Ludovicus Gallorum Rex urbem opulentissimam Ægypti Pelusium (quam vulgò Damiatam appellant.) ad Nili ostium sitam, admotis machinis & militibus, Othone Legato ubique cooperante, feliciter expugnavit; ingentem auri vim cepit; ac Christianorum plurimos à Barbarorum servitute redemit. Verùm lue postmodùm exitiali per exercitum grassante, magnamque militum stragem edente Rex, Sultani supervenientibus copiis, perterritus & impar, illam deserere; reque infecta in Regnum se suum recipere coactus est.

Parisiis Sacellum Regium consecrat

Ante susceptum in Syriam iter Otho Cardinalis Sacellum Lutetianum, quod S. Ludovicus regio splendore, ac sumptu, ad reponendas sacræ Coronæ reliquias, à Balduino juniore, Imperatore Latino dono acceptas, construxerat 25. Aprilis, anno 1246. præsentibus viginti Episcopis, ritu solemni, consecravit. Excessit è vita scalari ætatis anno, Christi verò 1273. octavo Kalend. Februarii Urbeveteri, quum diu pectoris angustiâ ex pituitæ stillicidio laboràsset:

Obitus ejus, & Scripta.

ibidem nobili cum Epitaphio terræ mandatus. Petrus Frizonius in sua Gallia Purpurata Othonis obitum propagat ad annum Christi 1283. quem anno 1279. tertio Nonas Februarii subscripsisse notat Diplomati Nicolai III. Pontificis. Sed errat multùm, Othonem nostrum cum alio ejusdem nominis Episcopo pariter Tusculano confundens, qui Petro Lusitano (posteà Joanni XXI. Papæ.) in Episcopatu Tusculano successit.

Scripsit egregias Homilias de Tempore & de Sanctis; quæ duobus Tomis compræhensæ, ac in partes plurimas distinctæ, Cremonæ in Monasterio S. Augustini pro thesauro asservantur.

Ejus meminere Petrus Frizonius in Gall. Purp. Ciaconius in vita. Paulus Seguinus de Viris Illust. Ordin. Cister. Vincentius Bandellus de Concept. B. Virginis. Nomenclator Cardinalium. Francisc. Mar. Turrigius de Script. Cardinal. Ughellius in Ital. Sac. & Alii.

ANNO

ANNO 1243.

SEDENTE INNOCETNIO IV. PONTIF. MAXIMO.

De

JOANNE DE TOLETO
S.R.E. CARDINALE.

JOANNES cognomento de Toleto, natione Anglus, professione Monachus Cisterciensis, vir in utrâque litteratura, sacra & prophana versatissimus, probitate vitæ, morumque suavitate nemini non charus: ab Innocentio IV. Presbyter primo Cardinalis S. Laurentii in Lucina; deinde circa annum 1261. ab Urbano pariter IV. Episcopus Portuensis (meritorum id cumulo exigente) renunciatus est. De cujus promotione Matthæus Westmonasteriensis ad annum 1244. hæc habet: *In Festo SS. Trinitatis, ut partem suam cautiùs roboraret Innocentius IV. quia paucos sua sollicitudinis & laboris habuit participes, decem exiguo tempore creavit Cardinales, videlicet Magistrum Joannem de Toleto, Cisterciensis Ordinis Monachum, natione Anglicanum, litteraturâ eleganter eruditum, & quosdam alios, plùs generositate, quàm virtute morum, vel scientiâ praditos, quorum nomina longùm esset scripto inserere &c.* Parisius quoque sua in historia Anglicana ad annum 1246. nostrum hunc Joannem de Toleto pacem inter Angliæ Regem ac Innocentium IV. submotis, quæ inter eos vigebant, discordiis, firmâsse; Clerique Anglicani corruptos mores in meliùs efformâsse affirmat. LXXXII

Ab Innocentio I V. Presbyter Cardinalis S. Laurentii in Lucina, deinde ab Urbano IV. Episcopus Cardinalis Portuensis renunciatur.

Joannes suam in Ordinem Cisterciensium munificentiam orbi testaturus, magnificum sacratis DEO Virginibus Cœnobium (quod Paradysum vocant) erexit ac dotavit. In quo nostris hisce temporibus, sublatis Virginibus, Fratres Minoritæ strictioris observantiæ sedes fixêre. Alterum item non minùs celebre Perusii extra mœnia, Divæ Julianæ nuncupatum, ejusdem Ordinis Virginibus construxit, quibus de propriis facultatibus annuos redditus ad perpetuum victum assignavit: iisdemque Olivam, illustrem sanguine & virtute virginem, cum octo aliis paris integritatis, è Galliis evocatam, in Antistitem præfecit. Extat in aula hujus Cœnobii etiamnum effigies Joannis Fundatoris cum gentilitio stemmate, doctô expressa penicillô cum hac Epigraphe: *Effigies Reverendiss. Patris, Domini Joannis de Toleto Portuensis Episcopi, Ordinis Cisterciensis, qui hujus Monasterii extitit Fundator, & Pater.*

Pietatis ejus in Ordinem Cisterciensem monumenta.

Alexander IV. qui Innocentio successit, Joanni Cardinali provinciam dedit, transferendi Sorores, à pœnitentia nomen habentes, ab Æde Divæ Mariæ ad Minervam dictæ (quam in præsenti Patres Dominicani inhabitant) in S. Pancratii Ecclesiam: quibus & rectam vivendi normam, saluberrimis editis statutis, præscripsit.

Sorores Pœnitentes ad Ecclesiam S. Pancratii transfert.

Cæterùm scientiarum omnium genere propolitus, lepidus ac pervenustus Poëta, dictisque acutissimus extitit Joannes, de quo facetum

Facetum ejus dictum, quo, tardantes in electione Patres perstringit. Facetum hoc, quod subjicio, factum circumfertur. Cùm diuturniori tempore ab obitu Clementis IV. Sedes Apostolica vacâsset; ac certo die Cardinales factiosi, in speciem potiùs, quàm seriâ creandi Pontificis voluntate convenissent: jamque tempus, quo Spiritum sanctum, de more, invocaturi essent, proximè immineret: assurgens Joannes in has voces prorupit: *Patres Amplissimi, consentaneum foret, ut tectum istius Aulæ, quo Spiritus sanctus ad animos obstinatos, & pervicaces ad creationem boni Pontificis inflectendos ingredi posset, aperiri juberemus, quatenùs perturbatos animorum nostrorum motus, privatosq́; affectus exueremus, jacentemq́; in luctu, & squallore Christianum Orbem, creato novô & utili Pontifice tandem aliquando erigeremus.* Placuit omnibus facetum juxta, ac serium lepidi viri dictum, quo tardantes, & ad electionem soporatos quorundam Patrum animos perstrinxit, & excitavit. Theobaldi deinde Vicecomitis Placentini, Archidiaconi Leodiensis, in Oriente tunc pro rei Christianæ emolumento laborantis virtutes summis laudibus extulit; magnisque ac validis rationum argumentis probavit, quantùm decoris & utilitatis vir sanctus, doctus, ac prudens, Principibusque charus Ecclesiæ Romanæ allaturus esset, si posito diuturno dissidio Romanus ille Pontifex salutaretur. *Gregorio X. ad Pontificatum auctor est.* Inflexit facilè sua hac oratione dissidentium animos Joannes. Siquidem eadem die Patres concordi suffragio in Theobaldum convenientes, summum Pontificem, sub assumpto Gregorii X. nomine proclamârunt. Ea re ingenti gaudio delibutus Joannes, cùm de felici eventu tum sibi, tum cæteris Cardinalibus gratularetur, memorabile hoc disticon ex tempore effudit:

Papatûs munus tulit Archidiaconus unus,
Quem Patrem Patrum fecit discordia Fratrum.

Ejusdē Gregorii laus, & defensio contra quorundam calumnias. Nec fefellêre Joannis opinionem præclaræ Gregorii virtutes, cùm tanto zelo, pietate, & integritate Romanam Ecclesiam administrârit, ut cum optimis quibusvis Pontificibus conferri possit; tantaque DEUS Optimus in ejus vita & morte Orbi prodigia explicuerit, ut *Beati* instar illius memoria summa veneratione jure meritissimo ab Ecclesia colatur, & ad eum in numerum Sanctorum referendum quamplurimi Romæ etiamnum incumbant. Certè pro ejus apotheosi Urbano VIII. supplicârunt Ferdinandus Cæsar, Philippus Hispaniarum & Ludovicus Galliarum Reges, Ferdinandus item Archiepiscopus & Elector Coloniensis, Cosmus Dux Magnus Hetruriæ, Odoardus Dux Parmæ, Clerus Civitatis Leodiensis, Placentia Civitas & Aretina: moti famâ ejus sanctitatis, gestorum gloriâ, & multitudine miraculorum, quibus per quadringentos ampliùs annos, nunquam interruptâ serie, orbi universo inclaruit. Quem S. Ludovicus Galliæ Rex contemporaneus tanto in honore habuit, ut regio hoc eum elogio exornandum minimè dubitârit: *Est profectò Gregorius, qui modò Christi in terris vicarium agit, vir verè beatus, si tamen eum virum, & non potiùs Angelum vocari oportet. Ego illum ut Templum DEI, & habitaculum Spiritûs sancti suspicio, & veneror.* Audiat hæc lividus & maledicus Mornæus, aliique ejusdem farinæ socii, qui sanctissimum Pontificem conviciis, mendaciis & scommatibus pudendô ipsis calamô denigrare non sunt veriti, quorum insaniam prudentiores

tiores Scriptores, inter quos eminent Gretserus, Victorellus & Oldoinus, veluti spumam atri livoris viriliter & egregiè diluerunt. Atque hæc huic loco breviter inseruisse sufficiat: plura volenti (præter Ciaconium, Raynaldum, Bellarminum) subministrabunt allegati Auctores. Nos ad Joannem revertamur, qui multis præclarè gestis, piisque operibus illustris sanctissimè mortem oppetiit die XIII. Julii Æræ Christianæ 1274. Lugduni: dum Concilium ibidem magnâ Antistitum, Abbatum, ac Principum Christianorum frequentiâ celebraretur. Summo sui desiderio relicto, ac incredibili luctu deflectus, apud Patres Dominicanos, cum insigni gestorum inscriptione, conditus est. Viget ejus memoria adhuc jugiter in sacrarum Virginum animis, quibus Cœnobium, ut supra diximus, Perusii extra mœnia construxit: quippe singulis eæ annis XIII. Julii ejus parentalia celebrantes, in Capitulo ex pervetusto Ordinis Martyrologio subjecta hæc verba recitant: *Commemoratio Reverendissimi in Christo Patris, ac domini Joannis de Toleto, Episcopi Portuensis, & tituli S. Laurentii in Lucina Cardinalis, sacræ Theologiæ Professoris, Monasterii hujus pussimi fundatoris, & patris.*

Laudabilem vitam sanctâ morte concludit.

Alphonsus Ciaconius, Jacobus Chiffletius in historia Bisuntina, Claudius Robertus in Gallia Christiana, Petrus Frizonius in Gallia purpurata, aliique mutuato ab invicem errore scribunt Joannem Cisterciensem Monachum ab Innocentio IV. ex electo Archiepiscopo Bisuntino, Presbyterum Cardinalem S. Laurentii in Lucina renunciatum, origine fuisse Gallum de Franciogia ex antiqua Abbivillæa familia. Hoc tamen gratis, & nullo nixi veritatis fundamento asserunt, cùm ab anno 1244. ad annnm 1274. exploratum sit, Joannem Anglum, Monachum Cisterciensem, Presbyterum Cardinalem S. Laurentii in Lucina primò; deinde Episcopum Portuensem electum floruisse, qui nunquam ad Archiepiscopatum Bisuntinum promotus fuit. Testes omni exceptione majores sunt Vaticana registra, quæ defuncto Gaufrido Archipræsule, vacante Ecclesia Bisuntina, affirmant Innocentium IV. anno 1245. Lugduni anno Pontificatûs sui secundo de plenitudine Apostolicæ potestatis Willelmum Cabilonensem ad eam sedem traduxisse. Integras Innocentii litteras, hac de re emanatas exhibet Augustinus Oldoinus S. J. in additionibus ad Ciaconium, quas curiosus lector requirere poterit.

Perperàm à nonnullis Gallus & Archiepiscopus Bisuntinus scribitur, quorum sententia refellitur.

Scripsit verò Joannes plurima Philosophica, Theologica, & Historica opera, Orationes item, & Elegias tersissimas, Epigrammata aculeata, & Satyras mordaci sale conspersas.

Scripta ejus.

Ejus mentionem faciunt Odeticus Raynaldus Tom. 14. Annal. Petrus Frizon. in Gall. Purp. Claudius Robertus in Gallia Christiana. Paulus Seguinus de viris illust. Ordin. Cisterc. Turrigius de script. Cardin. Ciaconius in vita. Theodorus Vallicolor in vita Urbani IV. Ughellius in Italia sacra. & Alii.

ANNO 1243.

SEDENTE INNOCENTIO IV. PONT. MAXIMO.

De

HUGONE CARENSI
S.R.E. CARDINALE.

LXXXIII. OMnium primus inter Cardinales ex ordine D. Dominici assumptus est Hugo Carensis, nonnullis Hugo de S.Theodorico; quibusdam de Celidonio; aliis rursus de S.Jacobo à Brachionetta dictus: est autem Brachionetta Oppidum in Alpibus maritimis sub ditione Sabaudiæ Ducis, Viennensis Diœcesis in Delphinatu. Hunc Theodorus Vallisćolor, Poëta sui temporis magis veridicus, quàm elegans, in vita Urbani IV. *Jacobitam* nominat:

Quis, & unde fuerit Hugo?

Totq; sacerdotes genuisse Sabaudia primum
Dicitur Hugonem, qui Jacobita fuit.

Per *Jacobitam* intellige Dominicanum: cùm in Gallia passim eo nomine vocitentur Dominicani ab illorum Domo sita Parisiis in via S.Jacobi. Nec miretur quis Hugonem ab aliquibus primæ notæ Scriptoribus *Burgundum* appellari, cùm olim Burgundium Regnum etiam Sabaudiam, & majorem partem Alpium maritimarum comprehenderet. Ab omni prorsus veritate aberrârunt illi, qui scripserunt Hugonem Barcinone Hispaniæ Tarraconensis urbe natum, & Episcopi Barcinonensis munere functum fuisse. Quod citra ulteriorem discussionem, quæ inutilis & supervacanea foret, hoc loco indicâsse sufficerit.

Error quorundam detegitur.

Strenuam hic primo juventutis flore Lutetiæ Parisiorum liberalibus disciplinis navans operam, tantùm brevi in virtutis, & doctrinæ stadio profecit, ut emensô feliciter Philosophiæ, ac Theologiæ curriculô, Magister effectus, utramque facultatem ibidem, ingenti cum laude, maximoque Auditorum confluxu publicè fuerit interpretatus. Sacro deinde afflatus numine, relictô mundô, ejusque illecebris calcatis, die XVIII. Januarii anno 1227. divino se famulatui addixit in ordine Prædicatorum sub Beato Jordano, ejusdem familiæ sacræ secundo Magistro Generali. Religiosum institutum professus, adeò præclara virtutis, & probitatis; ingeniique excelsi in dies specimina dedit, ut sacris initiatus, Patrumque suorum consensu, inter Doctores sacros adscriptus, secundus ex Ordine Prædicatorum Theologicam Cathedram, in famosissima Parisiensi Academia cum admiratione ascenderit, magnoque eam plausu nonnullis annis rexerit.

Parisiis publicè sacras Litteras interpretatur.

In variis Ordinis sui Cœnobiis privati primùm Prioris munus aliquamdiù exercens, totius deinde regni Galliæ Prior Provincialis renunciari promeruit. In quibus dignitatibus, ex obedientia susceptis, cùm Rectoris vigilantissimi partes verbô, & exemplô cumulatissimè adimplêsset; vitâ functo Jordano, viro sanctissimo

Totius Galliæ Provincialis Prior renunciatur.

ctissimo, ad totius Ordinis Præfecturam in Capitulo Generali Bononiæ anno salutis 1238. celebrato expetitus, cum Alberto Magno pari suffragiorum lance semel, iterum, ac tertio certavit. Verùm cùm illa suffragiorum dissensio non ex ambitione, aut pravo aliquo obliquantis animi affectu; sed ex consimili utriusque Candidati præstantia, & claritudine oriretur, dum quisque maximè se peccare putaret, si vel ab Alberto, rejecto Hugone; vel ab Hugone, improbato Alberto staret (cùm amborum fama sanctitatis & doctrinæ nedum in Ordine Prædicatorum, sed in universa penè Europa cum primis celebris haberetur) ad tollendam innoxiè dissidentium discordiam, DEI tandem singulari nutu effectum est, ut concordibus animis anxii Patres in S. Raymundum de Pennaforti, quasi tertium inter litigantes, conspiraverint. Vacante verò exinde per spontaneam Raymundi cessionem, Magisterii sede, Hugo Carensis, de Superiorum voluntate, vices Generalis supplevit ab anno 1240. usque ad annum sequentem, quo Pridiè Pentecostês congregatô Parisiis generali Capitulo, procurantibus Alberto, & Hugone, concordi votorum concursu in Magistrum ordinis quartum electus est Joannes Theutonicus.

Cum S. Alberto Magno de Generalatu concertat.

Vice-Generalis totius Ordinis Dominicani eligitur.

Intereà cùm fama doctrinæ, & sanctitas Hugonis ad aures Gregorii IX. pervenisset, evocatum Romam, litterisque pontificiis egregiè instructum unà cum Fr. Petro ejusdem ordinis Alumno, & Fr. Aymone, ac Rodulpho Minoritis, viris doctrinâ & virtutibus conspicuis Constantinopolim ea lege destinavit, ut dissidentis Ecclesiæ Græcæ cum Latina concordiam, & unionem procurarent.

Constantinopolim ad reducendos Græcos mittitur.

Rebus ex animi sententia confectis, redeuntem ex Oriente Hugonem Innocentius IV. Gregorii successor, anno Domini 1244. Archiepiscopum Lugdunensem renunciatum, eodem anno in Collegium Purpuratorum, assignatô ei Presbyteri S. Sabinæ titulô cooptavit. Ex quibus illorum error liquidò convincitur, qui scripserunt Hugonem ad Cardinalitiam dignitatem evectum esse anno salutis 1231.

Episcopatu Lugdunensi, & Purpurâ donatur.

Subdubitant Scriptores aliqui, an reverà Hugo unquam Ecclesiam Lugdunensem rexerit? cùm in Nomenclatura Archipræsulum Lugdunensium satis exacta non reperiatur notatus, nec ulla habeatur mentio Archiepiscopatûs Lugdunensis in Epitaphio ejus honoribus dicato & erecto, ut infrà videbimus. Sed dubium hoc facilè solvi, & elucidari posse videtur, si dicatur, quod res est: nimirùm Hugonem oblatam hanc dignitatem ex humilitate primò recusâsse, deinde instante & præcipiente Innocentio IV. ex obedientia tandem acceptâsse, acceptatam verò, nullô usus Archiepiscopi titulo, ita sobriè & integrè administrâsse, ut eâ ornatus, ne latum quidem unguem à religiosâ frugalis vitæ norma deflexerit unquam; Monachusque potiùs, quàm Archiepiscopus dici & censeri voluerit. Ita sentiunt cum Ciaconio plurimi.

Dubium super ejus Archiepiscopatu ab Auctoribus motum resolvitur.

Cæterùm fuit Hugo Innocentio Pontifici ob excellentem morum gravitatem, summamque in agendis rebus peritiam adeò charus, gratusque, ut de quibusvis sui pectoris arcanis cum illo disserere, consiliaque conferre minimè dubitârit. Hinc cùm anno 1245. in

Legatus in Germaniam mittitur.

quæque ibi gesserit enarrantur. in Concilio Lugduni coacto Fridericum Cæsarem, infensissimum Ecclesiæ hostem, titulis ac Imperio privâsset; aliusque in abrogati locum ab Imperii Electoribus sufficiendus esset, unum Hugonem è Purpuratis omnibus tam arduo muneri ritè conficiendo opportunum ratus, Legatum à latere in Germaniam ad Imperii Proceres destinavit ut eo suasore alius, deposito Friderico melior, ad Imperii habenas, pro bono Ecclesiæ proveheretur. Vel, ut aliis placet, ut Willhelmum Hollandiæ Comitem jam antè electum, pontificia authoritate confirmaret. Cujus negotii provinciâ ex voto Pontificis ritè administratâ Hugo Legatus, peragratis nonnullis Germaniæ celebrioribus urbibus, Leodium petiit, ubi in Ecclesia D. Martino sacra, solidissimum sermonem de augustissimo Eucharistiæ sacramento coràm ingenti utriusque sexûs multitudine habuit (quem in hanc usque diem Docti omnes, uti fœtum Hugonis ingenio dignum agnoscunt, & admirantur) prædictamque Ecclesiam, sublatis nonnullis abusibus, juxta ritum, modum, ac ordinationes Ecclesiæ Lugdunensis instauravit. *Leodii luculentam Orationem de SS. Eucharistiæ sacramento habet.*

Leodiô digressus ad Pontificem Romanum se contulit, apud quem probum, fidelem, ac industrium Consiliarium adeò se præstitit, ut ingens auri pondus, mille scilicet Turonensium libras, non ad impugnandam, sed ad reticendam veritatem oblatas, magno animo spreverit, nihil antiquius ducens, quàm Dei gloriam, & Christianæ Reipublicæ commodum: quibus provehendis conservandisque (Spretis ubique periculis) ingenium, vires, & animam, ubi ubi occasio esset, paratissima mente indesinenter obtulit. *Amore integritatis ingens auri pondus recusat; Dei sã, & Ecclesiæ causam strenuè promovet*

In patrio solo nobilem conventum & Ecclesiam sui Instituti propriis sumptibus erexit, & dotavit. Sacrum D. Zachariæ Episcopi, Galliæ Protomartyris cadaver, divinis coruscantibus signis nobilitatum, in urbe Viennensi Allobrogum congrua veneratione ad cultum publicum, sedis Apostolicæ præcepto, collocavit. Otio perpetuum bellum indixit, tempus omne bifariam dividens, diurnum quidem negotiis publicis; nocturnum verò post brevem somnum, orationi, lectioni, librorum scriptioni impendere solitus. Et si quandoque importunior fessis membris obreperet somnus, ad parietem paulùm reclinato capite, ac tantisper discusso somno, mox sacras vigilias, & studia avidiùs repetabat. Innumeris denique laboribus, studiis, curis, & negotiis pro Dei gloria, & Ecclesiæ commodo perfunctus, atque attenuatus, cùm supremum vitæ terminum appropinquare cognosceret, prænunciatâ mortis horâ, susceptisque Ecclesiæ sacramentis, Beati instar, mortem lætus aspexit anno salutis 1264. quartodecimo Kalend. Aprilis. Ferunt, antequàm è vita mortali excederet, in hæc verba prorupisse: *maluissem morbô elephantinô captus in ordine meo vitam egisse; quàm Galero isto caput meum insignitum vidisse.* Vitâ functus est Urbe veteri, ibique in templo Prædicatorum, præsentibus multis Episcopis & Cardinalibus, ipsoque summo Pontifice Urbano IV. funus prosequente, & curante, sepultus cum hac nobili inscriptione: *Litteris & orationi indefesso studio vacat.* *Sancti moritur.*

Epitaphium ejus refertur.

Eclypsim patitur sapientia sol, sepelitur
Felici fine sancta quoque Cardo Sabina:

Iste

Iſte fuit, per quem patuit doctrina Sophiæ:
Præco DEI, Doctor fidei, Cytharista MARIÆ.
Hugo ſibi nomen, & Cardo Presbyter omen,
Patria natalis Burgundia, Roma localis;
Solvitur in cineres Hugo, cui ſi foret hæres
In terris unus, minùs eſſet flebile funus.

Tranſactis aliquot ab obitu annis, apertô ejus monumentô integer omni ex parte, & incorruptus inventus Ludunum translatus fuit. Ubi per dominum Guidonem (qui poſteà ſummus Pontifex electus Clementis IV. nomen aſſumpſit) ingenti Clericorum, Præſulium, ac populi adſtante frequentia, in ſacro Dominicanorum Odæo ad Aquilonem magna ſolemnitate, honore, & devotione terræ mandatus eſt. Ne verò tanti viri memoria cum mortuo emoreretur, ſubjectum tumulo inſcriptum eſt elogium: *Corpus ejus incorruptum inventum aliò transfertur.*

IN HOC SEPULCHRO JACET

VIR VENERABILIS, DEO ET HOMINIBUS GRATIOSUS FR. HUGO DE S. CARO, VIENNENSIS DIOECESIS TITULI S. SABINÆ QUODAM PRESBITER CARDINALIS: LUMINARE MAGNUM ECCLESIÆ: ORDINIS FRATRUM PRÆDICATORUM LUCERNA: THEOLOGIÆ PARISIIS DOCTOR EGREGIUS: FAMOSUS SCRIPTURARUM INTERPRES, ET EXPOSITOR PRÆLUCIDUS: VERBI DEI PRÆDICATOR EXIMIUS; OLIVA PIETATIS; PALMA JUSTITIÆ; SPECULUM HONESTATIS; RELIGIOSORUM PATRONUS; VERITATIS TUBA; PATER PAUPERUM; ET SOLATIUM MISERORUM. OBIIT 1264. 14. KAL. APRILIS.

Scripſit primus omnium in univerſa Biblia ſacra compendioſam quidem verbis, re tamen uberrimam Poſtillam, quæ præ cæteris probata, etiam hac noſtra ætate (qua ſummum ſacrarum litterarum eruditio apicem attigiſſe videtur) doctorum manibus teritur, & commendatur. Libros, quos è corpore Biblico præclaris ingenii monumentis illuſtravit, ordine recenſitos exhibent Ciaconius in vita, & Oldoinus in additionibus ad eundem. Edidit etiam erudita in Pſalmos commentaria ſeorſim: quamvis nonnulli cum Bellarmino ſubdubitent, an Hugonis revera ſint, an verò Alexandri de Hales Angli, Ordinis Minorum? qui Principum Theologorum, ſanctorum quondam Bonaventuræ, & Thomæ Aquinatis Præceptor extitit; & præter Poſtillam in tota Biblia, Summam quoque Theologiæ copioſiſſimam, nec non Summam Virtutum Innocentii IV. juſſu elucubravit. Scripſit prætereà Hugo noſter in 4. Libros Sententiarum Petri Lombardi Commentarios egregios. Sicut & abbreviationem quandam ſelectiſſimam in eoſdem: nec non Expoſitionem in Hiſtoriam ſcolaſticam, *Multiplicia, & varia ejus ſcripta.* *Alexander de Hales qua ſcripſerit?* *Alia Hugonis præclara ſcripta referuntur.*

Compendium item Theologiæ.
Speculum Miſſæ, & Eccleſiæ.
Correctionem Regulæ Carmelitarum.
Tractatum de Feſto S. Dominici ritè celebrando.
Epiſtolas doctas, & elegantes ad diverſos.

Denique

Denique Bibliorum Concordantiam, opus admirandum planè, vastum juxta ac laboriosissimum primus excogitavit; eique post multos annos, quingentorum Fratrum doctissimorum ope adjutus, coronidem feliciter imposuit. Cui posteà (ut facilè est inventis addere) aliorum industria plurima adjecit. Sicut autem (ut cum Ciaconio loquar) de Origine & Hieronymo narratur, quòd ille in Cantica; iste Epistolas scribendo seipsos superârint; ita & Hugo, cùm cæteros facilè Scriptores vicerit, seipsum tamen scribendo in Isaiam, Psalmos, & Evangelia superavit. Cuncta autem evolvisse volumina Hugo videtur, ut sibi undique collectâ gratiâ in jucundissimis floribus longè pulcherrimam, ideoque perennem, quo eruditum ejus caput ornaretur, coronam intexeret.

Laus ejusdem ex Ciaconio.

Ejus meminère Chronicon Prædicatorum. Trithemius, & Bellarminus de script. Eccles. Bernardus de Lucemburg in Chronico. Gerardus Lemovicensis in Chronico. Stephanus Salianus in Annal. Justinianus, & Ciaconius in vita. Leander Albertus de Viris illust. Ordinis Prædicatorum. Malvendus in Annal. Vincentius Bellovac. in speculo. Frizonius in Gall. Purp. Martyrologium Gallicanum. Antonius Sanderus in Elogiis Cardinal. Aubery in vita. Ughellius in addit. ad Ciacon. & Alii plurimi.

ANNO 1243.

SEDENTE INNOCENTIO IV. PONTIF. MAX.

De

ODONE REGINALDO
S.R.E. CARDINALE.

LXXXIV. ODO Reginaldus (aliàs Rigaud) perantiqua & nobili familia Lugduni in Gallia natus, Ordinem Minorum S. Francisci, reluctante licèt patre (qui illum uti primogenitum familiæ propagationi destinaverat, circa annum salutis 1242. ingressus, tam uberes brevi temporis intervallo in utraque litterarum, & virtutis Palæstra fecit progressus, ut laureâ Magistrali donatus, præcipuas Seraphici Ordinis cathedras, in scholis & Ecclesia ob excelsi ingenii præstantiam, raramque dicendi facundiam obtinuerit. Quo gemmino munere perfungens, cùm mirum in modum excelluisset; vitamque suam usque adeò sanctè & religiosè ad omnem integritatem instituisset, urgentibus meritis ab Innocentio hujus Nominis Quarto primùm ad sedem Rothomagensem; deinde in Concilio primo Generali Lugdunensi anno Domini 1248. ad Purpuram evectus, ipso Paschatis die ab eodem Pontifice, solemni ritu, consecratus est.

Ob virtutis & scientiæ eminentiam ad Archiepiscopatum Rothomagensem, deinde Cardinalatû evehitur.

Hisce dignitatibus auctus Odo, nihil de pristina vivendi norma remittens, quà concionibus ad populum habitis; quà probatissimæ vitæ exemplis commisso gregi tanto ubique locorum zelo præluxit, ut virtute quasi in naturam transeunte ab omnibus non aliter, atque *animata Præsulum forma, ac rectè vivendi regula* suspiceretur.

Præclarum ejus Elogium.

Refert de illo adhuc inter Minores agente Lucas Waddingus in An-

in Annalibus Minorum, quòd cùm aliquando in urbe Aurelianensi coram ingenti populo è suggestu verba sacra faceret; pœnitentiæque vim, atque virtutem in solatium peccatorum ferventiori studio commendaret, tactam conscientiæ stimulis matronam primæ nobilitatis urbis ejusdem, solutâ concione, ad eum accessisse, quæ quidem exteriùs pietatis speciem præseferens, secretò tamen mirè lasciva, & impia existens, Diabolo incubo per septem solidos annos usa fuerat. Admissa mulier multis cum lacrymis horrendum facinus detestata, ritéque confessa veniam & absolutionem ab eodem solicitavit, & recepit. At commissi peccati atrocitatem altiùs considerans, Dœmonisque non emansuras artes pertimescens & præcavens, interrogavit: num se sufficienter & ritè ab admisso crimine expiatam crederet? & quid sibi porrò faciendum, ad evitandas redituri hostis insidias suaderet? Respondit Odo: *integrè absolutam, & fiduciam deinceps omnem in Domino, qui pius, & misericors Pater esset, collocandam.* Confirmata animô Mulier ædes suas cum gaudio repetiit. Tribus pòst diebus reversus Dœmon, totus tristis & mœstus ei apparuit, extremè queritans, se ab amasia derelictum; totque annorum spaciô cultam amicitiam spretam! culpam omnem in cuculati fraterculi concionem cum indignatione rejecit. Cùmque illa perterrita, relapsúmque formidans nihil ad opposita respondisset, quin potiùs mœstitiam, quàm animô ex pœnitudine conceperat, ingeminatis singultibus prodidisset: subridens impostor, blandeque desolatam amplexus, *Bono*, inquit, *animo esto, charissima, brevi enim te deceptor hic Monachus deseret: namque hodiè obedientiales ab Ordinis sui Magistro recepit litteras, quibus propediem Lutetiam proficisci jubetur. Tum, eò nos elongatò, securi ad consuetos regrediemur amplexus.* His consternata mulier, protinùs sese è cubili & insidiis, Odonem accessura, proripuit. Cui cùm ex ordine omnia, quæ stygius hostis prædixerat, manifestâsset; comperit verissimum esse, quòd Odo Lutetiam evocatus, brevi eò sit emigraturus. Quare altùm ingemiscens, *perii* inquit, *Pater, si tu abieris; meq; in tantis periculis constitutam deserueris! Novi enim ingenium & artes veteratoris inimici domestici mei; novi & lubricitatem meam in assuetа flagitia pronam: Redibit ille, si tu abieris; & ego imbellis, pugnandi ignara, te absente, illo imputante (quis dubitet?) in veterem relapsura sum miseriam!* Odo anxiæ mulieri mœrorem & metum unà cum lacrymis absterfurus: *ne timeas*, inquit, *filia ad meum discessum: quod enim præsente me non valuit Dæmon, nec poterit absente me. Non enim ego, sed DEI immensa misericordia per me à commisso te scelere purgatam reddidit, ac liberam. Ille protector, ille adjutor tuus erit: in hunc confide, nec ulla te Dæmonis artes deinceps subvertent.* Mulier his dictis in spem erecta, Deique adjutorio freta discessit, iterumque comparenti Dœmoni, & multa de abitu Odonis, deque consueto pudendi actûs commercio repetendo obganníenti, plena in Deum fiduciâ reposuit: *abeat per me, quò volet frater Odo, nihil moror; nec interest; non enim ille, sed DEI miserentis bonitas à via me iniquitatis reduxit; contraq; tuas deinceps proteget insidias. Abrenuncio tibi ex hac hora, soli DEO imposterùm adhæsura. Vade igitur retrò Satanas in nomine DEI viventis, & me protegentis.* Confusus hostis ad hæc verba, grandi editô

Nobilem matronam Diabolo incubò septennio usam convertit ad pœnitentiam.

Ad relapsum tentatâ confortat Odo.

Confirmata Dæmonem abigit, & mole stiâ liberatur

ejulatu, è vestigio evanuit; nec amplius confirmatæ in bono mulieri ex eo tempore molestus fuit.

Sub annum Domini 1267. Odo cum S. Ludovico Galliarum Rege in consortio multorum Præsulum ac Principum adversus Saracenos in Orientem processit. Ubi re à Christianis minùs prosperè gestâ, sublatôque è vivis S. Rege, Lugdunum reversus, Concilio secundo Generali ibidem à Pontifice coacto interfuit. elapsis postmodùm duobus annis 5. Maii anno salutis 1276. non absque sanctitatis opinione è vita migravit ad Superos. Ejus cadaver, multorum lacrymis defletum, ac Rothomagum translatum in Sacello B. Mariæ virginis à se ornato nobilem sepulturam, appositô hôc distichô accepit.

Sanctè moritur Lugduni.

En tibi Cardineô insignis Reginaldus honore.
Franciscanorum luxq; , decusq; Patrum.

Malè à nonnullis cum alio Reginaldo pariter Minorita confunditur.

Confundunt aliqui Odonem nostrum Reginaldum, cum alio Reginaldo pariter Minorita, Lectore sacri Palatii; adduntque à Bonifacio VIII. inter Episcopos Cardinales coopatum, Ecclesiam Portuensem nonnullis annis rexisse: id quod à veritate nimiùm quantum abludit. Si enim mortem oppetiit Odo circa annum Christi 1276. quemadmodùm ex Calendario Dionysiano; Actis Rothomagensis Ecclesiæ; Registris Romanis; Claudio Roberto; Luca Waddingo & aliis certò constat, sequitur Cardinalem renunciatum fuisse longè ante Bonefacii VIII. tempora, qui non nisi salutis anno 1294. ad Pontificium assumptus memoratur. Deinde Claudius Robertus in exacta serie Rothomagensium Archipræsulum tempore Bonifacii VIII. nullum refert Reginaldum Minoritam. A nobis tamen ille stat, dum scribit: *Quinquagesimus Octavus Archiepiscopus Rothomagensis fuit Odo Reginaldus, creatus anno 1248. & ab Innocentio IV. Lugduni consecratus Mense Majo, cùm postulatus fuisset die Paschatis, qui obiit anno 1276. die 5. Maii, ut est in Calendario Romano.* quid clarius?

Sripta Ejus varia.

Scripsit Odo in 4. libros sententiarum Commentaria.
Sermones de Tempore.
Quæstiones morales.
Tractatum de modo visitandi Parœcias.
Constitutiones Rothomagenses.
Aliaque nonnulla, quæ Assisii M. S. asservantur.

Ejus mentionem faciunt Claudius Robertus citatus. Frizonius in Gall. Purp. Gaspar Jongel. in Elog. Cardin. Min. Nomenclator Cardinalium. Lucas Waddingus in Ann. Min. & de script. Ord. Min. Rodulph. in Hist. seraph. Ciaconius in Vita. Victorellus, & Oldonius in addit. ad Ciaconium.

ANNO

ANNO 1254.

SEDENTE ALEXANDRO IV. PONT. MAXIMO.

De

B. THESAURO BECCARIA S.R.E. CARDINALE.

B. THESAURUS summo loco è gente Beccaria Papiæ natus, Monachus Vallisumbrosæ primò; deinde Abbas loci eiusdem, ac deinque ob insignem virtutis, & doctrinæ præstantiam, totius Ordinis Generalis electus; ab Alexandro IV. Ipsi addictissimo, Purpurâ, & Episcopatu donatus, Florentiam ad sedandam tumultuantis populi discordiam Legatus missus, munere suo strenuè quidem, sed infelici exitu perfunctus est: ut Affirmant Arnoldus Uvion in Ligno vitæ Volateranus libro 21. Antologiæ, & Chronicon parvum Vallisumbrosæ: à quibus non dissentit Martyrologium Benedictinum ad diem 4. Septembris, cuius propria huc verba exscribere è re duxi: *Pridiè Nonas septembris Florentiæ Commemoratio sancti Thesauri Abbatis, & S. R. E. Cardinalis, qui summo loco è gente Beccaria Papiæ ortus, Monachus primùm, deinde Abbas, & Generalis totius Ordinis effectus, postremò ob insignes animi dotes ab Alexandro IV. Papa Cardinalis pronunciatus, & Florentinus Legatus datus, ut Ghibellinorum & Guelphorum inter se concertantium partes componeret, ab iisdem dolo & suspicione capite truncatus, martyrii coronam accepit.* LXXXV

Ab Alexandro IV. purpurâ donatur.

Florentiam legatur, ubi à Guelphis tumultuantibus capite plectitur.

Excessit è vitâ ob defensionem liberatis Ecclesiasticæ, martyrio coronatus anno salutis 1258. ut tradit Chronicon Vallisumbrosæ. Alii verò, quibus non assentior, cædem ejus ad annum 1260. referunt. Andreas Victorellus, accuratissimus vetetum monumentorum scrutator, & censor fatetur in Additionibus ad Ciaconium vidisse se in codice perantiquo M. S asservato in Cœnobio Romano S. Praxedis, B. Thesauri obitum notatum 12. Septembris anni 1258. Martyr dicitur in prima parte Itinerarii Italici: & benè, utpotè cui jura Ecclesiæ propugnando, pacemque inter populos, factionibus scissos, ac mutuis cædibus collisos porcurando, fortiter cervicem flexerit. Florentiæ perantiquam Imaginem, coloribus expressam in æde SS. Trinitatis, circa caput splendorum aureolâ ornatam, ac Palmam manu gestantem extare affirmant Probatissimi scriptorum, cum hac Inscriptione:

Pro Martyre passim agnoscitur.

S. THESAURUS CARDINALIS, ET MARTYR.

Philippus Ferrarius in Cathalogo Sanctorum, qui non sunt inscripti Martyrologio Romano, Thesauri memoriam celebrat his verbis: *Florentiæ B. Thesauri Abbatis Generalis Vallisumbrosæ, Martyris.*

Vnde non est audiendus hôc locô Dantes Poeta, plerumque in Romanos Pontifices, & Cardinales iniurius, mendax & maledicus, quum in Cantico suo 32. de Inferno fingit B. Thesaurum à Florentinis capite plexum, in tartara detrusum. In cujus fabulosum

Sententia contraria reiicitur.

losum librum commentans Landinus pariter à veritate recessit, dum scribit Becceriam (quod Thesauri cognomen est) Guelphos proditione circumventos dominatu dejicere, eorumque locô Ghibellinos in imperio collocare adnisum fuisse. Guelphi falsâ suspicione ducti, id illi crimen objiciebant quidem, sed viriliter respondentem, & ab impacta calumnia se strenuè purgantem non convincebant. Solam enim Dei gloriam, dissidentium factiosorum concordiam, Ecclesiæ libertatem, ac bonum publicum Vir innocens, pius, & integer pro injuncti officii dignitate spectabat. Hinc non malè additum à Landino, *cæco Guelpha multitudinis furore in foro S. Apollinaris caput illi obtruncatum fuisse*. Joannes Villanus candidus scriptor libro sexto Historiæ Florentinæ fatetur ingenuè: per scelus id à populo clamoribus vociferante perpetratum, & ob id in Florentinos à summo Pontifice anathemate animadversum. Populum verò tanti viri cæde contaminatum, divinam ultionem paulò pòst experientiâ cognovisse; pænasque sceleris condigans variis affectum calamitatibus fuisse. Corpus Beati Thesauri apud Monachos Vallisumbrosæ piè conditum, digna veneratione coli scribit Andreas Victorellus: addunt nonnulli, Deum Innocentiam & sanctitatem ejus crebrâ miraculorum gratiâ illustrâsse.

Claret miraculis.

Eius Scripta.

Scripsit insignem Orationem de Bono pacis.

Epistolas plurimas, & alia quædam.

Ejus mentionem faciunt. Arnoldus Uvion in Ligno vitæ. Volateranus citatus. Joan. Villanus lib. 6. Hist. Florent. Martyrologium Benedict. Chronicon Vallisumbrosæ Philippus Ferrarius in Catalog. Sanct. Ciaconius in Vita Andreas Victorellus. Oldoinus in addit. ad Ciaconium.

ANNO 1261.

SEDENTE URBANO IV. PONTIF. MAX.

De

HENRICO DE BARTHOLOMÆIS
S.R.E. CARDINALE.

LXXXVI. HENRICUS de Bartholomæis, Gallus, qui à Patriæ nomine sortitus cognomen, dictus est *de Segusiô*. Est autem Segusium Urbs Galliæ Subalpinæ, ad Alpium Cottiarum radices, vulgò *Susa*. Henricus ex Archiepiscopo Ebredunensi ob exactissimam Juris cognitionem; vitæ, morumque integritatem ab Urbano IV. in secunda Cardinalium creatione, anno 1262. Episcopus Cardinalis Ostiensis, & Veliternensis renunciatus est, ut ex Auctore illius ævi Theodorico Valliscolori, contra Ciaconium Henrici purpuram ad primam Cardinalium creationem malè referentem, constat. En Theodorici carmen:

Ex Archiepiscopo Ebredunensi, Cardinalis Episcopus Ostiensis renunciatur.

Continuit fratres hos prima creatio septem;
Altera tot, quorum nomina cerne loco:
Ebredunensis tunc Archiepiscopus hic fit
Præsul, & Henricus nomine dictus erat.

Henricus

Henricus ob eximiam omnis literaturæ doctrinam tum Innocentio; tum Alexandro, utrique hujus nominis Quarto pergratus, in Jurisprudentia tantùm profecit, ut communi vocabulo *fons Juris utriusque* appellaretur. Auditorem, inter alios egregios Viros, habuit Guillelmum Durandum, vulgò *Speculatorem* dictum.

Ob eximiam jurisprudentiam fons juris appellatus.

In Angliam ante susceptam Purpuram jussu Urbani IV. Pontificis se contulit una cum Guidone Grosso Legato Apostolico, Juris Consultissimo (qui posteà Urbano defuncto succedens, Clemens IV. est dictus) multumque valuit apud Regem Anglorum, à quo plurimis affectus beneficiis, donis, & amicitiæ signis, Romam destinatus est orator ad procurandam Vincestriæ Præsuli Episcopatûs abrogationem. In Gallia verò Cisalpina jam jam Cardinalis renunciatus, Legati partes egit circa annum salutis 1264. ubi potenti sua facundia Ecclesiasticorum omnium animos ita demulsit; ut maximam auri vim in subsidium Apostolicæ sedis submiserint contra eos, qui armis ac seditionibus illam affligere pergebant.

Anglorum Regi gratus, & Ecclesiæ utilis.

Variis denique curis, laboribus ac studiis consummatus, lucis usuram amisit Lugduni anno reparatæ salutis 1272. VIII. Idus Novembris, sepultus in Templo Prædicatorum. Claudius Robertus in Gallia Christiana scribit Henricum fato cessisse anno 1276. Ciaconius, Bellarminus, ac Frizonius mortem ejus usque annum 1281 prorogant. Cùm autem Henrico successerit in Episcopatu Ostiensi Fr. Petrus de Tarantasia, qui jam electus Episcopus Ostiensis Concilio Lugdunensi anno 1274. celebrato affuit: id evenire nullo modo potuisset, si Henricus inter mortales eodem tempore vixisset: nam duo simul Episcopi Cardinales Ostienses esse non poterant. Rejectis igitur Roberti, Ciaconii, ac sociorum sententiis, dicendum est cum Oldoino, & aliis Henricum vitam cum morte mutâsse anno salutis 1272.

Lugduni moritur.

Improbatur nonnullorum circà obitum ejus sententia

Malè etiam nonnulli, nominis similitudine decepti, Henrico de Bartholomæis Epitaphium sequens attribuunt, quod tamen constat Joannem Latomum Bartholo Jurisconsultorum Principi, ad æternam nominis memoriam, multis retrò annis, inscripsisse.

Epitaphium Bartholi juris Consulti male Henrici de Bartholomæis adscribitur.

Unquàm si poterunt perire Leges;
Cum ipsis, Barthole, Legibus peribis,
Ast si harum steterit perenne nomen,
Non est, quod timeas mori perennis.

Scripsit Henricus Juris Civilis, & Pontificii Summam, quam uno Volumine, ordine convenientissimo, & tractatione elegantissima, complexus est. Illud longô utriusque Juris studiô atque exercitiô in cœptum; exinde verò incendiô amissum, tandem hortatu Urbani IV. reassumptum Cardinalis absolvit (ut ipsemet in fine operis testatur) ac *Summam Ostiensem* nominavit. Edidit præterea, ut auctor est Oldoinus, *Apparatum* seu *Lecturas* in quinque Libros Decretales, opus doctrinâ refertissimum, quod hodie dùm per magnæ auctoritatis apud Jurisconsultos censetur. Nec juris modò peritissimus, sed & Theologus sublimis, Philosophus acutus, & Orator facundus est habitus. Archiepiscopus Ebredunensis frequentes, utiles, ac doctissimas conciones ad Populum undequaque confluentem habuit, quas Lugduni typô expressas asserunt.

Ejus scripta.

Ejus mentionem faciunt Matthæus Parisius in hist. Anglic. Odericus Raynaldus tom. 14. Annal Ficardus in Vitis juris Consultorum recentiorum. Aubery in Vita. Bellarminus de scrip. Ecclesiast. Ciaconius in Vita. Claudius Robertus in Gall. Christiana. Ughellius tomò i. Italia sacra. Oldoinus in additionib. ad Ciaconium. Morerius, & alii quàmplurimi, quos citat Morerius.

ANNO 1261.

SEDENTE URBANO IV. PONTIF. MAXIMO.

De

RODULPHO DE CHEURIERS
S.R.E. CARDINALE.

LXXXVII. RODULPHUS de Cheuriers, origine Gallus, filius Joannis Caparii Aurati Equitis, & Mariæ Comitis Baugæi & Sebusianorum Principis filiæ, in fratres habuit Guidonem Auratum Equitem; primarium Centumviratûs in Jurisdictione Mantiscononsi Judicem; & Henricum Tectosagorum Provinciæ, quam Languedochiam vocant, Præsidem. Rodulphus verò fratrum natu minor post insignes in litterali Palæstra factos progressus, editaque non spernenda excelsi ingenii specimina S. Ludovico Galliarum Regi præ primis charus, ab eodem supremus Regni Cancellarius; ac mox Ecclesiæ Ebroicensis Antistes electus, maximam sibi ex incorrupta harum dignitatum administratione peperit famam. De quo Theodoricus Valliscolòr, scriptor, & vates illius ævi non ignobilis, licèt incultus, in vitâ Vrbani IV. inter alia sic cecinit:

Galliæ primò Cancellarius, mox Episcopus Ebroicensis ac demum Cardinalis Episcopus Albanus efficitur.

- - - - Rodulphus hic Ebroicensis
Præsul consiliis, moribus aptus erat.
Regi præ reliquis charus - - - - -

Ex Episcopo Ebroicensi S. Ludovici rogatu Cardinalis Episcopus Albanus ab Urbano Pontifice renunciatus; & à Clemente IV. sedis Apostolicæ Legatus constitutus Carolum S. Ludovici fratrem, Comitem Andegavensem, recèns in Regem Neapolis & Siciliæ designatum unà cum uxore Beatrice regio diademate cinxit Romæ in Basilica Constantiniana anno salutis 1265. Caroli Regis coronati, & Rodulphi Cardinalis coronantis effigies, doctis coloribus ad vivum expressæ conspiciuntur in hanc usque diem Romæ in Palatio Principum Farnesianorum cum hâc Epigraphe:

Carolum Andegavensem unà cum Vxore regio diademate exornat.

CAROLUS REX NEAPOLIS ET SICILIÆ
CORONATUS A RODULPHO CARDINALE
DE CHEURIERS, EPISCOPO ALBANO
ANNO 1265. IN FESTO EPIPHANIÆ
DOMINI.

Quas Imagines, ob artis excellentiam, typô expressas publico donârunt Franciscus Gabriel de Cheuriers, & Claudius Clemens anno salutis 1617.

Rodul-

Rudolphus peracta coronatione Carolum in Siciliam properantem, jussu Pontificis, comitatus, eum tanquam Ecclesiæ Romanæ clientem, & tributarium in Regni Siculi possessionem, recepto priùs juramento, immisit. In Galliam exinde Legatus à Clemente IV. missus, gravissimam seditionem Clerum inter & populum Lugdunensem, nescio qua causa exortam, disertissima in rem usus oratione, compescuit; sacrisque interdictos Lugdunenses, sublatâ censurâ, Ecclesiæ restituit.

Lugdunenses cum Clero dissidentes componit, sacrisq; interdictos Ecclesiæ restituit.

Crucis signô Pontificiis manibus insignitus Rodulphus Legatus Gallias eo fine petierat, ut ruenti Hierosolymitano Regno, rebusque Christianorum in Syria extremè periclitantibus consilio succurreret & armis. Sed cùm ille nondum Provinciam, in qua Legati partes obiturus erat, attigisset: Cardinales, vacante ex obitu Clementis sede, percupidi deducendæ in opus conjunctionis Ecclesiæ Orientalis cum Latina, Rodulpho injunctam provinciam ex Conclavi scribentes confirmârunt; plenam, submissô Diplomate, eidem potestatem facientes, agendi, transigendique cum Græcis, pro ut Ecclesiæ Romanæ bono & commodo, Deique honori conducere videretur.

Legatus in Gallias Ecclesiam Græcam cum Latinâ coniungere studet.

Apostolici quoque Legati munus strenuè peregit in Transmarina expeditione, quando S. Ludovicus Rex ardore fidei propagandæ incensus (rebus Syriacis improsperè succedentibus) in Africam, ut Tunetum caperet, cum instructissima Classe trajecit; quatenus ea Urbe potitus, faciliùs in Ægyptum & Syriam arma converteret, viamque majoribus victoribus aperiret. Verùm sævissima peste superveniente, atque in Christianos immani strage grassante, maxima exercitûs pars cum ipso Rege sanctissimo interiit. Ea fatali lue correptus pariter Rodulphus Tuneti quartô Idus Augusti anno à partu Virginis 1270. magno fidelium luctu è vivis ereptus est. In Fastis tamen Ecclesiæ Ebroicensis anniversaria ejus memoria recolitur Nonô Kalendas Novembris, eo fortassis die, quo mortis ejus acceptus est nuncius.

Tuneti in expeditione Syriaca peste correptus moritur.

Cœnobium S. Petri Matisconense, Patres item Dominicanos; & publicum Matisconensium Valetudinarium maximis beneficiis, donis, ac redditibus auxit. Assisii in Umbria, primô Clementis anno sacram ædem D. Claræ nuncupatam, ipso Pontifice præsente solemni ritu consecravit. Firmavit pariter Apostolicum Clementis IV. Diploma, Regi Carolo pro Regni Neapolitani Investitura transmissum, editum anno salutis 1265.

Liberalitas ejus, & scripta enarrantur.

Scripsit Diarium egregium Expeditionis Transmarinæ.
Orationes pro bello sacro provehendo.
Sermonem elegantem, habitum in
Coronatione Caroli, & Beatricis Regum Siciliæ.

Ejus meminêre Petrus Frizonius in Gall. Purp. Aubery in Vita. Paulus Æmilius in Vita S. Ludovici Regis. Lucas Waddingus Tom. 2. Annal. Min. Panvinius in Hist. Pontiff. Ughellius tomo 1. Ital. sac. Raynaldus in Annal. Ciaconius in Vita. Morerius. & Alii.

ANNO

ANNO 1261.

SEDENTE URBANO IV. PONTIF. MAXIMO.

De

SIMONE PALTINERIO S. R. E. CARDINALE.

LXXXVIII. SIMON Paltinerius, nobilis Patavinus ex Acedo, alias Monte-Silice, Agri Patavini Oppido oriundus, natione Italus, non Gallus (ut Panvinius arbitratur) fuit. Vir summæ Prudentiæ exactæ probitatis, & doctrinę, ab Urbano IV. literatissimi hominis dotes admirante, & præmiante, Presbyter Cardinalis SS. Sylvestri, & Martini in montibus, titulô Equitii renunciatus, statim in exordio promotionis suæ immeritam æmulorum invidiam expertus est. Hi enim, ut insontem virum adeptâ recèns dignitate deiicerent, falsas de eo querelas injuriis ac convitiis plenas, ad sedem Apostolicam detulerunt. Urbanus doli ignarus, Simoni ad dicendam causam in jus vocato vetuit, ne (donec purgatus, & absolutus esset) Cardinaltûs insignia publicè gestaret; aut se Patrum consiliis ullô pactô immiscere præsumeret. Superatis verò, contritisque difficultatibus, quas virtutum ejus gloriæ invidi concitaverant, non solùm interdicta hactenùs suspensæ Purpuræ insignia cum plausu recepit; sed & Legationibus multis in Umbria, Piceno, Hetruria, Venetiis, & in Gallia Cisalpina condecoratus est: cuius studiô & operâ fideles certatim in Ecclesiæ subsidium ad arma ruentes, Manfredi tyranni, Regni Siciliæ invasoris, & usurpatoris potentiam fregerunt; & audaciam, multis illatis cladibus, compresserunt. Quæ res illi celebrem totâ in Italiâ gloriæ famam conciliavit.

Cardinalis renunciatus graves æmulorum insidias experitur, & superat.

Variis Legationibus magnâ sui nominis gloriâ fungitur.

Monachus Patavinus, egregius & candidus Auctor, in Chronico, hôc Simonem elogiô concelebrat: *Urbanus IV. mense quarto sui Pontificatûs numerum Cardinalium ampliavit, praclaros viros, vita probitate & scientiâ insignitos ad tam sanctum Collegium promovendo. De quorum numero, divinâ providentiâ extitit vir benignissimus Simon de Monte Silice, Canonicus Paduanus, quem tam forma corporis, quàm nobilitate generis, & gratiosis moribus, & multiplici scientiâ divina gratia decoravit.* Hujus quoque meminit Theodoricus Valliscolor in Vita Urbani IV. versibus à se conscripta, & Anhero Cardinali (uti proximè dicemus) dicata.

Singulari elogiô à Monacho Patavino in Chronico commendatur.

Presbyteri bini, Simon Paduanus, & alter
Simon, cui Patria Gallica terra fuit.

Ex quo patet lapsum errore Panvinium, ejusque sequaces, qui Simonem Paduanum cum altero Simone gerere Gallo confundentes, scripserunt illum origine Gallum fuisse. Suffragium dedit quatuor Romanis Pontificibus Gregorio scilicet X. Innocentio V. Hadriano V. & Joanni XXI. Sub quorum postremo, nocturno itinere refrige-

Panvinii, eiusq; sequacium error ostenditur.

refrigeratus, quum ſerò è Campania rediiſſet, obortis ſcilicet tonſillis, quæ fauces obſederant, immaturò fatò periit Romæ anno à partu Virginis 1276. Quòd verò electioni Clementis IV. non ſuffragatus notetur, cauſa eſt, quia legationibus comitiorum tempore diſtentus, Roma tum aberat. Scripſit celebrem Hiſtoriam ſui temporis, quæ MM. SS. Patavii in Archivio Eccleſiæ Cathedralis extat: nonnullaque alia vernaculâ & Latinâ linguâ, in tenebris etiamnum latentia. *Obitus ejus, & Scripta.*

Ejus meminere Angelus Portinus de Felicitate Patavina. Monachus Patavinus in Chronico. Aubery in Vita. Ciaconius in Vita. Theodoricus Valliſcolor citatus. & Alii.

ANNO 1261.

SEDENTE URBANO IV. PONTIF. MAX.

De

ANHERO TRECENSI
S.R.E. CARDINALE.

ANHERUS Pantaleo Trecenſis Campanus Gallus, Urbani IV. Pontif. Maximi ex fratre nepos, Archidiaconus, non Londinenſis (ut malè ſcripſit Godewinus) ſed Laudunenſis: Vir ingenio fertili, adaperto, ſingularique morum, prudentiæ, & doctrinæ laude conſpicuus, à Patruo Pontifice, non tam ſanguinis, quàm virtutum æſtimatore, Cardinalium cœtui titulo S. Praxedis aggregatus eſt anno ſalutis 1261. De quo Theodoricus Valliscolor in vita Urbani ita canit: LXXXIX. *Ab Urbano Patruo Cardinalium numero adſcribitur.*

Inclytus, & prudens Anherus, in Urbe Trecenſi
Progenitus, Papæ ſanguine, corde nepos.

Is cum Rodulpho de Cheuriers Cardinale (de quo ſuprà numero 87. egimus) Romæ in Baſilica Conſtantiniana Carolum Siciliæ Regem ſacra unctione, dum coronaretur, Clementis IV. nomine linivit; & in Regno Neapolitano legationis munere, ejuſdem Pontificis juſſu, ad concordandos Italiæ populos, qui Manfredi artibus ſeducti, cruentis inter ſe factionibus collidebantur, perfunctus eſt. *Carolum Andegavenſem in Regem Siciliæ conſecrat, ſiculoſque tumultuantes pacificat.*

Ab Urbano IV. Pontifice Maximo ad immenſas opes provectus, Purpuratorum omnium, ea ætate viventium, ditiſſimus, potentiſſimus, præcipuuſque eſt habitus: Ædes ſacras Divo Urbano Martyri ad honorem in patrio ſolo à patruo Pontifice excitatas, vehementer adauxit. In iis enim nobiliſſimum duodecim Canonicorum Collegium inſtituit; multiſque illud redditibus, juribus, privilegiis, donationibus, ac ornamentis præſertim aureis, argenteis, holoſericis, acu phrygiâ ſplendidiſſimè depictis, locupletavit. Codices etiam ſacros eleganti charactere in pargameno exarratos, ad divinas laudes quot diebus ritè decantandas, dono ſubmiſit. Clementis IV. literas, Regi Carolo pro inveſtitura Regni Neapolitani anno 1265. conceſſas, ſubſcriptione ſua firmavit. Affuit etiam celeberrimo *Pietatis ejus monumenta, aliaq; geſta enarrantur.*

mo illi congressui, quando Bononienses per Legatos Apostolicos persuasi, Ecclesiæ sese Romanæ imperio subjecêre; ac Nicolao III. Pontifici Maximo supplices facti, sacramentum fidelitatis, & obedientiæ præstitêre.

Romæ denique multis egregiis facinoribus clarus, mortales exuvias posuit anno nostræ salutis 1286. Kalendis Novembris, conditus in Basilica S. Praxedis marmoreo Cœnotaphio, cum inculta hac inscriptione:

Obitus ejus, & Epitaphiũ.

Qui legis Anherum duro sub marmore claudi,
Dicito quàm verum perdidit Orbis Herum!
Treca parit puerum, Laudunum dat sibi Clerum,
Cardine Praxedis titulatur, & istius Ædis,
Defuit in cœlis, largus fuit, atque fidelis,
Dæmonis à telis serva hunc, Deus optime, cœlis.
Anno milleno, centum bis, octuageno
Sexto, decessit hic prima luce Novembris.

Ejus Scripta. Scripsit, teste Theodorico Vallíscolore (qui & ipsi vitam Urbani IV. Patrui carmine descriptam nuncupavit) nonnulla Poëmata, Hymnos cùm sacros, tum prophanos continentia. Anherum professione Eremitam S. Augustini fuisse contendit Petrus Rodulphus Franciscanus in historia sua Seraphica. At unde hoc ille hauserit, non exponit, neque ego divinare potui. Ab illo veteres Scriptores omnes recedunt; Recentiores è contrario decepti potiùs, quàm benè informati, illi accedunt. Veritas sub lite laborat.

Dubium an Eremita ex S. Augustini Ordine fuerit?

Ejus mentionem faciunt Aubery in Vita. Petrus Frizonius in Gall. purp. Andreas Saussay in Martyrologio Gallicano. Cherubinus Gerardus in Histor. Bonnon. Nomenclator Cardinalium. Theodoricus Valliscolor citatus. Petrus Rodulphus in Hist. Seraphica. Ciaconius in Vita. & Alii.

ANNO 1261.

SEDENTE URBANO IV. PONTIF. MAXIMO.

De

GUIDONE BURGUNDO
S.R.E. CARDINALE.

XC.

Abbas primò, deinde Generalis totius Ordinis Ciftercienfis efficitur.

GUIDO Burgundus (cujus genus, & cognomen ignoratur) Monachus primò Cistercii, deinde Abbas ac Generalis totius Ordinis; vir, seu virtutes animi seu doctrinæ præstantiam spectes, in paucis celebris: de eo in Serie Cisterciensium Abbatum hæc leguntur:

Guido sequens altos penetrabat acumine cœlos,
Collegio fratrum sociavit Pileus istum.

Dum in Urbe Roma pro negotiis sui Ordinis moraretur, ab Urbano IV. egregiis ejus virtutibus capto, in sacrum Senatum titulo S. Laurentii in Lucina ascitus est. Theodoricus Valliscolor promotionem ejus in vita Urbani IV. duobus hisce versiculis insinuat.

Bur-

Burgundus patriâ fuit, & Cistercius Abbas.
Alter promotus, Guidoq; nomen ei.

Quantus verò ac qualis vir extiterit hic (cùm aliundè non constet) Urbani IV. Epistola, de ejus in Cardinalem assumptione ad Generale Capitulum Cisterciense data, declarat: in qua præter eminentes ejus animi dotes, ibidem enumeratas, disertis eum verbis, *Virum Angelicum, virtutum & scientiæ splendoribus illustratum, odoriferum florem, & olivam fructiferam è vetustissimo Religionis horto in Paradysum universalis Ecclesiæ plantatam* appellat. *Præclarum ejus elogium ex litteris Pontificiis affertur.*

Cùm autem Dania suorum discordiis fœdè lacerata ingemisceret, serpenti malo, antequàm magis confirmaretur, remedium Clemens hujus nominis Quartus adhibiturus, eò Guidonem Sedis Apostolicæ Legatum misit; cujus auctoritatis ipsi commissæ indices sunt literæ ejusdem Clementis ad ipsum Guidonem datæ, quas refert, & recitat in suis Annalibus tomo 4. Odericus Raynaldus. Quod munus ipsi demandatum plenâ & integerrimâ fide gerens, fluctuantes Danos in Erici Regis obsequio continuit. Retulit verò Ecclesiæ ingratus Ericus malam gratiam, qui cùm Alexandri, Urbani, & Clementis Pontificum operâ; industriâque diversorum Legatorum, Guidonis præcipuè, contra factiosorum periculosas coitiones regiæ assertus dignitati fuisset, confirmatâ jam potentiâ, insectari posteà Præsules, ac jus Ecclesiasticum violare cœpit. Quibus auditis Clemens, gravissimis illum sententiis ingrati animi arguit; & ut Guidonis salubribus consiliis obsequeretur admonuit, censurasque, ni libertatem Ecclesiasticam restitueret, contraque Procerum injurias eam tueretur, intentavit. *Variis Legationibus in Dania, Gallia, Germania strenuè, & utiliter perfungitur.*

Cùm è Dania solvisset, Viennæ in Gallia sexto Idus Maij anno salutis nostræ 1267. Apostolicæ Sedis Legatus Concilium celebravit, in quo leges, ac constitutiones utilissimas pro Cleri reformatione sanxit, quas refert, multumque collaudat Henricus Canisius tomo 1. antiquarum lectionum. In Poloniam exinde digressus, à Boleslao Pudico, & Paulo Cracoviensi Episcopo solemni pompa veneratus, & exceptus, Uratislaviam divertit: ubi in festo Purificationis B. Mariæ Virginis, habitâ eleganti oratione, Synodum pro Terræ sanctæ subsidio convocavit, magnamque auri summam ab ultrò deferentibus Clericis obtinuit. Legationis quoque honore insignitus, abire jussus est in Sueciam, Galliam, Saxoniam, ac universam pœnè Germaniam, secundò ubique votis ejus correspondente effectu.

Tot Legationibus strenuè oblitis, aliisque præclaræ pietatis operibus insignis, diem clausit extremum non anno 1283. ut hallucinatur Ciaconius, sed anno 1272. prout antiqua monumenta ab Oldoino relata testantur. Errant etiam illi, qui Lugduni peste sublatum in Synodo Oecumenica referunt. Nam Concilium Lugdunense Oecumenicum II. habitum est sub Gregorio X. anno salutis 1274. duobus jam annis vitâ functo Guidone. *Certum obitus ejus tempus assignatur.*

Scripsit plurima ad Legationes Apostolicas ritè obeundas spectantia, quæ Romæ MM. SS. in Bibliotheca Vaticana asservantur. *Scripta ejus.*

Ejus meminere Petrus Frizonius in Gall. purp. Gaspar. Jengel. in Purpura D. Bernardi. Aubery in vita. Raynaldus in Annal. tom. 14. Matthæus de Micotia de Rebus Poloniæ. Ciaconius in Vita. Ughellius in addit. ad Ciaconium. *& Alii.*

ANNO 1261.

SEDENTE URBANO IV. PONTIF. MAXIMO.

De

HANNIBALDO DE MOLARIA S.R.E. CARDINALE.

XCI. HANNIBALDUS Romanus, ex nobili Hannibaldensium de Molaria genere ortus, primo Juventutis flore undeviginti annos natus, Ordinem Prædicatorum ingressus, in eoque præclaris Magistris usus, eò brevi eruditionis in omni cùm sacra, tum prophana literatura devenit, ut Magister Theologiæ creatus, eandem facultatem Parisiis magno cum plausu publicè fuerit interpretatus. Romam vocatus, sacrique Palatii Magister effectus, ab Urbano IV. Presbyter Cardinalis SS. duodecim Apostolorum anno 1262. renunciatus est, ut refert in vita Urbani sæpè laudatus Theodoricus Vallicolor bino hoc versu:

Sacras Parisiis Litteras publicè interpretatur.

Sacri Palatii Magister, & Cardinalis efficitur.

Hannibal Urbano (genuit quem Roma) volente,
Fit Pater accepto Cardine, mente pius.

Vir apprimè doctus, & pius, ingenio subtilis, consilio maturus, judicio profundus, & ad ventilandas, solvendasque difficillimas rerum quæstiones Romana in Curia omnium maximè idoneus, cum Joanne Cajetano Ursino, Richardo Hannibaldo, & Jacobo Sabello, Cardinalibus, à Carolo Siciliæ Rege fidei Sacramentum ante coronationem suscepit; atque ad illum, Neapoli agentem, Clementis IV. jussu, legationis munere functus est, ut Ecclesiæ Romanæ jura in Regno Siciliæ cis-& ultrà Pharum sarta, tecta servaret.

A Carolo Siciliæ Rege Sacramentum fidelitatis suscipit.

Tanti fecit Hannibaldum Cardinalem Angelicus Doctor Aquinas, ut eruditissimas suas in quatuor libros sententiarum elucubrationes uni illi dicandas judicaverit. Ipse verò, *cùm vir multæ Lectionis, atque indefessi studii*, ut Ciaconius loquitur, *esset*, scripsit, dùm Parisiis Theologiam profiteretur, *Commentaria in 4. Libros sententiarum.* Quo scribendi genere non solùm (doctorum calculo) omnibus excelluisse, sed & summam D. Thomæ medullâsse visus est. Edidit prætereà pari industria, & studio *Librum Quodliberorum:* in quo promiscuè, & indiscriminatim, ubique sibi constans, adopertas caligine quæstiones luculentissimè enodavit, & elucidavit. Dicitur etiam panxisse Odas æmulatione Pindarica eruditas, & graves, sed ob id plerisque minùs jucundas, quòd prisci, imitationeque difficilis poëtæ cursum, tanquam inflati, & tortuosi fluminis, secutus insolentior, & durior Latinis auribus evaserit. Fit enim plerumque (monente Flacco) ut quæ optima, & excellenter Græcè ornata intelli-

Quæ scripserit?

telliguntur, vel paribus numeris tractata ad genium Latinæ suavitatis minimè respondeant.

Doctrinæ profunditatem magnis virtutum radiis illustrans, humilitati præcipuè, tantò licèt dignitatis fastigiô sublimatus, studuit. Nemo illo submissior, nemo regularis disciplinæ observantior; nemo in pauperes Christi profusior, liberaliorque. Ubique signis munificentiæ, charitatis, pietatis, & mansuetudinis inclaruit. Nullum pœnè diem præterlabi permisit, quo non aliquô beneficentiæ argumentô sui Ordinis Alumnos prosequeretur. Aliquandò lethali morbo affectus, cùm ei suaderetur (nescio qua conscientiâ) ut pudorem, si vitæ superites esse vellet, introductâ fœminâ contamminaret, *malle se*, ajebat, *illibata castitate occumbere*; *quàm violatò pudore, pr brum infamia, & inferni supplicia incurrere.* Vocem cedrô, ne dum virô Ecclesiasticô, dignam!

Multis virtutibus, sed præcipuè vita castimonià elucet.

Memorabile ejus dictum.

Cùm autem decem annorum spatiô purpuræ dignitatem, integerrimo vitæ tenore, multisque sanctis operibus clarus sustinuisset, tandem Urbe veteri, sacramentis Ecclesiasticis ritè expiatus, excessit è vita mortali ad immortalem anno à Christo nato *1272.* sepultus ibidem ad Patres Dominicanos cum inculto hoc Epitaphio:

Sanctè moritur.

Urbs genitrix, genus Hannibaldum, fors Presbyter, ordo
Dominici; fons divinus, Pralatio, Cardo,
Quem decorat titulô duodecim Apostolorum.

Ejus Epitaphium.

Ejus memoriam celebrant Antoninus Senensis in Bibliotecâ Prædicat. Bzovius Annalium tomo 13. Aubery in Vitâ. Nomenclator Cardinalium. Seraphinus Razius de viris illust. Ord. Prædic. Michael Pius de viris illustr. Ord. Prædic. Ciaconius in Vitâ. Aliiq;.

ANNO 1261.

SEDENTE URBANO IV. PONT. MAXIMO.

De

MATTHÆO URSINO
S.R.E. CARDINALE.

MATTHÆUS Rubeus Ursinus Joannis Cajetani Ursini filius, ex nobilissima, & primaria gentis Ursinæ progenie Romæ in lucem editus, Ursum & Romanum in fratres habuit: horum primus majorum suorum decora æmulatus, dux belli clarus; alter divino se famulatui devovens, in Ordine Prædicatorum Theologus illustris evasit. Matthæus verò Clericali militiæ adlectus, exspectationem, quam de se concitaverat, insigni non minùs doctrinâ, quàm vitæ inculpatæ tenore superavit. Eapropter ab Urbano IV. Purpuratorum Collegio adscriptus, Diaconiam S. Mariæ in Porticu, quam ad obitum usque retinuit, adeptus est. Patrimonio exinde S. Petri præfectus, conscriptô jussu Pontificis milite, Petri à Vico, hominis audacissimi, qui à partibus Manfredi Tyranni steterat, ac Terras Patrimonii Ecclesiæ infesto Germano- XCII.

Ob insignes animi dotes Purpurâ exornatur.

Petrum à Vico Ecclesiæ hostem armis expugnat.

manorum equitatu quaquaversùm afflixerat, impetus fregit, ac repressit.

A Patruo Nicolao III. initio Pontificatus, S. Petri in Vaticano Archipresbyter designatus, Xenodochii S.Spiritûs in Saxia Moderator, & Ordinis Minorum Patronus (teste Jordanô) renunciatus, Minorum curam à Pontifice his verbis sibi commissam, & commendatam habuit: *Si beneficia per nos tibi, Matthae, impensa magna inveniuntur, & multa; in nullo tamen è vicino dedimus tibi arrham æternæ vitæ, sicut in eo, quod tibi modò committimus. Damus enim tibi, quod te in Paradysum inducat, merita scilicet sanctorum Fratrum Ordinis hujus; damus tibi desiderium cordis nostri, & pupillam oculorum nostrorum.* Hæc dicens lacrymas profudit, detractumque manu annulum, insigni gemmâ nitentem, ejus digito in hæc verba inseruit: *Accipe annulum, amoris in te nostri indicem; hic quotiescunque oculis tuis occurret (occurret autem sæpissimè) commissorum tibi Fratrum Minorum memoriam habeto; qui licèt gubernatione tua, & directione non admodùm indigeant, quia tamen pauperes sunt, & imbecilles, habeantq; impugnatores multos, & validos, tuâ indigent protectione defendi.* Hisce instructus monitis Matthæus, Ordini Seraphico, ad mentem Pontificis, patrocinatus est semper: illud inprimis curans, ne Minores suæ fidei commissi alicubi injuriis, aut molestiis paterent, aut impeterentur. Omnibus eorum Comitiis (dùm per Romanæ Curiæ occupationes licuit) præsens interfuit, ac majoribus Comitiorum solemnitatibus rem divinam, assistentibus sibi ex Ordine Ministris, peregit.

Curam & Patrocinium Ordinis Minorum suscipit.

Minoribus paternè patrocinatur.

Post Nicolai III. obitum, cùm Cardinales, coactis comitiis, electioni operam daturi Viterbii convenissent, Matthæus & Jordanus Cardinales ex Ursinorum familiâ à factiosis civibus, tumultu concitato, custodiæ traditi sunt. Rem narrat Honorius IV. Pontifex in suis litteris, hisce gravissimis verbis: *Cùm Romanâ Curiâ Viterbii residente, Ecclesia sancta per felicis recordationis Nicolai, Prædecessoris nostri obitum, pastore careret; ac nos, & fratres nostri Cardinales (de quorum numero tunc eramus) convenissemus sollicitè in Palatio Episcopatûs Viterbiensis pro electione novi Pontificis celebrandâ; & studeremus omnimodè cujuslibet impedimenti obicem submovere, ut supernâ favente clementia celeriter provenire contingeret, quod tunc mundi necessitas, ac nostrum, & ipsorum fratrum desiderium exquirebat. Viterbienses, ut præconceptum virus evomerent, & quam gerebant interiùs iniquitatem, exteriùs revelarent, pulsatâ campanâ, sumptis armis, & scelestis actibus datâ licentiâ, in furoris spiritu ad prædictum Palatium concurrentes, ac humanitatis & reverentiæ debitô à se penitùs relegatô, in Palatium ipsum terribilibus editis clamoribus irruentes, grassantes in Patres, ac in Pastores atrocissimè sævientes, dilectos filios nostros Matthæum & Jordanum Diaconos Cardinales, columnas quidem Ecclesiæ, omniq; reverentiâ pertractandos, injectis violentis manibus abstraxerunt. Et licèt prædicti Viterbienses firmiter promisissent, se tunc ad inclusionem, vel arctationem prædictorum fratrum nullatenùs processuros, nihilitamen promissam fidem facientes, eosdem irrogatis priùs injuriis, in unâ ex cameris ejusdem Palatii, obstructis ostiis, & fenestris illius, ausu sacrilegô incluserunt (nonnullis ex aliis fratribus nostris, dum præsumptioni tam temerariæ, tamq; detestandis aggressibus sollicitè obsisterentur, indecenter, & irreverenter expulsis) iisdemq; per dies aliquot cibaria inhu-*

A Viterbiensibus factiosis unàcum fratre Jordano in carcerem compingitur, maleq; habetur.

Honorii IV. hac de re Littera afferuntur.

inhumaniter subtraxerunt, solò pane & aquâ exceptis, prohibentes etiam proprii eorum Confessarii accessum. Quæ detestabilis temeritas cùm in grandem divinæ Majestatis offensam, Apostolicæ Sedis injuriam, & Universalis Ecclesiæ contemptum, populiq́; Christiani scandalum redundaret, jure meritò in ipsos tanquàm Religionis contemptores, censuris ac pœnis à nobis est animadversum. Hucusque Honorius Papa.

At de pœnis Viterbiensibus, ob violatam Cardinalitiæ dignitatis majestatem, condignè illatis agens Jordanus, celebris illius ævi Scriptor, hæc subjungit: *Ob illatam hanc Patribus injuriam omnes Auctores, eorumq́; fautores sententiâ excommunicationis percussi sunt. Civitas verò ipsa interdicto sacro supposita est. Richardus autem de Hannibaldensibus, præcipuus tanti mali Auctor, venit de domo propria nudis pedibus, succinctus fune ad collum usque ad ædes Cardinalis Matthæi, humiliter errati veniam deprecans: cui Matthæus, commiseratione motus, apud Pontificem veniam, & delicti absolutionem impetravit.*

Ob injuriam hanc Viterbienses condignis pœnis, & censuris plectuntur.

Poposcerat pariter Matthæus, ut erat vir indulgentissimi animi, pro Viterbiensibus veniam à Martino Pontifice, sed irritò conatu. Eô tamen è vivis surreptô, cùm iteratis precibus apud Honorium IV. Martini successorem insisteret, illam hâc lege impetravit, ut Viterbienses in tanti sceleris detestationem, certam mœnium partem cum turribus solo æquarent; eôque locô pro inflictæ pœnæ relaxatione publicum Xenodochium (quod Hospitali S. Spiritûs de de Urbe subjectum esset) in subsidium pauperum, adjectâ convenienti dote, extruerent. Quibus ritè adimpletis, eos quidem Ecclesiasticis censuris exuit, ac fidelium communioni restituit, verùm juris dicundi auctoritate ad tempus privavit, reservatâ sibi plenâ, & liberâ potestate procedendi contra singulas personas, quæ in illo excessu inventæ fuissent culpabiles. Hæc qui fusiùs desiderat, adeat Oldoinum in additionibus ad Ciaconium in vitâ Matthæi.

Intercedit pro Viterbiensibus, iisq́; veniam certis certis conditionibus impetrat.

Interfuit Matthæus Cardinalis, rarô exemplô, Creationibus omnium Romanorum Pontificum, qui ab Urbano IV. usque ad Clementem V. ad Petri Cathedram evecti fuerunt, numerô duodecim. Anagniâ Romam armatâ manu deduxit Bonifacium VIII. hostium insidias tum fugientem. Româ excedens aëris mutandi gratiâ Perusium se contulit, ubi lethali morbô correptus, quadragesimô tertiô sui Cardinalatûs annô, Christi verò 1306. placidè in Dominô quievit. Vir magnanimus, doctus, & opinione sanctitatis clarus. Elapsis novem ab ejus obitu annis, sepulturâ apertâ, corpus illius integerrimum, nullâq́; ex parte læsum repertum est, quod deinde Romam translatum, nobili Sarcophagô in Ursinæ gentis Mausolæo conditum fuit. Ex quo Lucas Waddingus erroris manifesti arguitur, dum in Annalibus Minorum tomo tertio scribit, Matthæum pridiè Idus Novembris anno Domini 1305. Lugduni ex improvisâ parietis ruinâ contritum obiisse. Contra Waddingum præter alia luculenter faciunt, quæ Jacobus Stephanescus Cardinalis, celebris illius ævi Poëta, ac Matthæo contemporaneus ad posteritatis memoriam in ipsius Matthæi laudem conscripsit; quorum fragmentum ad fulciendam rei veritatem non invitus affero:

Duodecim summorum Pontificum Creationibus interest.

Sanctè moritur Perusii; ac Romam incorruptus transfertur.

Error Lucæ Waddingi ostenditur, & refellitur.

Decu-

Elogium ejus ex Jacobo Stephanesco Cardinali affertur.

Decubuit moriens toto præsente Senatu
Exequiis, laus digna Viro, memorandaq; pandam
Ipsius, sermone brevi, si hunc claudere metro est.
Si pietas, si recta fides, si candida quemquam
Ornavit titulis, clero laudanda vetustas,
Te tulit ante patrem, tecum puerilibus annis
Concrevit, cunctosq; tibi virtutis amictus
Induit: & fortem monstrant adversa; modestum
Prospera; prudentem finis; mensura refertum;
Devotumq; Deo lacryma; justumq; fatentur
Munda manus, sincerus amor, zelusq; calescens,
Ecclesia, quamq; esse caput, quamq; esse magistram
Credideras, servasq; fidem. Nam cardine vexit
Te Juvenem, te natum Ursâ, teq; Urbe coruscum
Pollentemq; genus, multis ornaris, & ornas
Eloquium sermone gravi, servesq; disertus
Ingenio, studioq; simul, quo doctus utroque
Efficeris, meritò magnos conscendis honores,
Magnus, & his auctus, fulget sub nomine virtus.
Fulget & Ursa domus, dicam his Levita Matthae,
Cui Rubei cognomen erat, cardoq; juventa,
Et seniò confractus abis, pandisq; futuris
Te moriente mori. Non sic datur omnibus unum
Vivere, quo cauti vigilemus, & inscia sortis,
Atque hora, mens ipsa vacet cogitare salutem,
Quanta promeritum miseratio pauperis effert,
Queq; sacro § Clistea dedit, corpusq; repostum
Illæsum miranda tuum res fudit in Urbem,
Membra genis, unguesq; manu, firmosq; capillos
Vertice, quosq; artus nonò redolentia Phœbo
Qua stabili allusere animo, niveoq; pudori.

§ Clistea olim Perusium dictum.

Atque hæc ex Jacobo Stephanesco Cardinali, teste oculato, hoc loco attulisse sufficiat, cujus ultima quina metra clarè demonstrant, Matthæum nullâ ruinâ Lugduni passâ contritum; sed Perusii naturali morte vitâ functum fuisse.

Scripta ejus.

Scripsit de Auctoritate Ecclesiæ.
Expositionem in Psalmos.
Sermones Sacros.
Epistolas ad diversos datas.

Horum nonnulla Bononiæ extare in Tabulario Monasterii S. Francisci notavit Tossignanus.

Ejus mentionem faciunt Odericus Raynaldus Annalium tomo 14. Lucas Waddingus tom. 3. Annal. Ricordanus Malaspina in Hist. Viterb. Joannes Villanus in Hist. Nomenclator Cardinalium. Paulus Cortesius de Cardin. Script. Bzovius in Annalibus. Jacobus Stephanescus in libro Carminum. Frizonius in Gall. purpur. Ciaconius in Vita. & Alii.

ANNO

ANNO 1265.

SEDENTE CLEMENTE IV. PONTIF. MAX.

De

BERNARDO AIGLERIO
S.R.E. CARDINALE.

BERNARDUS Aiglerius, natione Gallus, in Cœnobio Saviniacensi Lugdunensis Diœcesis ab adolescentia humanioribus literis, aliisque altioribus disciplinis egregiè instructus & excultus, assumptô ibidem sacrô Ordinis habitu mores suos ad exactissimam monasticæ vitæ normam adeò plenè, perfecteque composuit, ut matura postmodùm ætate non solùm ejusdem loci Præfecturâ sit insignitus; sed & Abbas S. Honorii in Insula Lerinensi effectus. XCIII. *Abbas S. Honorii in Insula Lerinensi efficitur.*

Hunc Carolus Siciliæ Rex plurimi faciens, cùm iter in Italiam susciperet, itineris comitem, consiliorum & conscientiæ arbitrum delegit. Neapolitano deinde Regno potitus non modò in paucis charum habuit; sed & operam dedit, ut præclaræ ejus animi dotes, & insignis religio cùm alibi, tum Romæ præcipuè divulgarentur. Quare Urbanus IV. de Bernardi prudentia, eruditione, vitæque sanctimonia edoctus, illum etsi diu reluctantem Cassinensis Cœnobii regimine decoravit. Extant etiamnum publicæ hujus rei litteræ Cassini, ab Urbano IV. ad ipsum Bernardum datæ: quarum hic tenor est. *Carolo Siciliæ Regi gratissimus.* *Ab Urbano Cœnobio Cassinensi præficitur.*

URBANUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI:

Dilecto filio Bernardo, Monasterii Cassinensis Abbati salutem & Apostolicam Benedictionem.

Præfulgore dignitatis immensa, quo Confessor almus gratiâ Benedictus & nomine Monasterium Cassinense multipliciter illustravit, locus ipse veluti dilectus à Domino sicut multâ redditur veneratione colendus, sic amplius meruit manuteneri favoribus, & specialiter Sedis Apostolicæ præsidio confoveri. Hic est enim verè locus insignis, hujus Almi Patriarchæ signis præfulgidis insignitus, cujus sidereus per Orbem ordo latè diffusus, præeminentiâ claritatis irradians, inibi fundamenta suscepit; & ut majoris præcellentiæ gloriâ locus ille fulgeret, post corruptibilis vitæ decursum idem Sanctus spiritualiter ad superna vocatus, ibidem corporaliter in Domino requiescit. Tùm paucis interjectis ad finem: *Cupientes autem, ut ipsum Monasterium statum prosperum, divinâ cooperante clementiâ, resumat; & interponentes Apostolicæ solicitudinis studium, ne per vacationem diutinam incurrat in spiritualia, & temporalia detrimenta; sperantes quoque, quòd per tuæ circumspectionis industriam (cum habearis vir scientiâ præditus, morum honestate decorus, consiliis maturitate præclarus & solicitudine circumspectus) monasterium ipsum relevetur à noxiis, & utiliter, auctore Domino, proficiat in utrisque: Te à vinculo, quo tenebaris Monasterio Lerinensi, cujus præeras regimini, penitùs absolventes, ad prædictum Monasterium Cassinense duximus de potestatis Apostolicæ plenitudine transferendum; teq; ipsi Monasterio Cassinensi de fratrum nostrorum consilio in Abbatem præficiendum &c.* *Urbani litteræ ad eundem.*

Bernardus igitur susceptâ, jussu Pontificis, Cœnobii admini-

Abbas constitutus, maximo rerum emolumento Ordini præest.

strátione, studium & curas omnes eò intendit, ut sanctissimarum legum cultus ad primævam institutionis normam exactissimè revocaretur. Verùm cùm prudenter intelligeret id ipsum nulla se ratione consequi posse, nisi priùs ex Regulæ præscripto, quæ cuique opus essent, religiosa liberalitate concredito sibi cœtui peramanter impertiret, recuperandis ante omnia Cœnobii fortunis animum, atque operam adjecit.

Bona Cœnobii & oppida, hactenus ab hostibus occupata, recuperat; aliaq; præclara operatur.

Per triginta sex annos Fridericus II. Conradus IV. Imperatores, & Manfredus Tyrannus Friderici Nothus, direptô Cœnobiô, ejectisque ferè omnibus Religiosis locum sacrum in Arcis formam munitum, fossis ac muris undequaque vestitum, militari præsidio firmaverant. Bernardus rem indignam detestatus, ac Procerum quorundam operâ adjutus, dejectâ militum statione, dispersos ordinis sui sodales collegit, atque adeò locô prophanæ militiæ sacram iterum familiam Cassinum invexit, quæ summo rei Christianæ commodo interdiu, noctuque divinis intenta precibus, ac Psalmodiis jugiter excubaret. Oppida, & facultates, quibus Cassinates per temporum bellique injurias exuti fuerant, iterum in potestatem asseruit; terminos ac limites singulis ad evitandas cum adjacentibus vicinis discordias præscripsit. Xenodochium in sancto Germano peramplum erexit; assignatisque illud facultatibus, & copiosâ munerum largitione cumulavit. Coactis in unùm totius Cassinatis Diœcesis Clericis, & Religiosis Synodum apud S. Germanum celebravit, in eaque saluberrima statuta pro Ordinis decore, & utilissimas constitutiones edidit. Fratribus Ordinis Prædicatorum, Divi Thomæ Aquinatis desiderio, & postulatis gratificaturus, Ecclesiam in S. Germano ad incolendum concessit.

Cardinalis renunciatur; & Legatus primò in Gallias contra Albigenses, deinde Constantinopolim adversus Sarracenos mittitur.

Carolus Siciliæ Rex, eo absente, Cassinenses hostiliter invadit, juribus, ac oppidis spoliat.

Cœnobii facultates recipit.

Sanctô fine quiescit.

Hisce omnibus feliciter confectis, cùm Cœnobio Cassinensi annis propè viginti summa cum laude, & industria præfuisset, à Clemente IV. hominis virtutem & merita præmiante, renunciatus est sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis; missusque est paulò pòst Legatus à Latere in Gallias pro expeditione sacra in perfidos Albigenses promovendâ: exinde altera legatione insignitus, concessit Constantinopolim pari industriâ ursurus bellum in Sarracenos, ut ipsemet in Prooemio speculi Monachorum meminit. Eo interim absente Carolus Siciliæ Rex, vel ab ipsâ regnandi libidine stimulatus, vel malis suorum consiliis depravatus, inter alia, quæ patravit detestanda facinora, Cassinates rerum capitalium foro. Jurisdictione, ac oppidis munitioribus sacrilego ausu spoliavit; militibusque suis in sacras Cœnobii facultates impunè grassandi licentiam fecit. Bernardus suis perfunctus legationibus ad Cœnobium redux, admirabili prudentia ac lenitate usus, infestas Caroli copias ab infessis Monasterii oppidis, ac castris submovit; omnesque facultates, Bona, ac jura iniquo hostium dominio liberavit. Quô peractô, senio confractus, meritisque repletus, prædictâ mortis suæ horâ, nonis Aprilis anno salutis 1282. sanctissimo fine stadium mortalitatis complevit Cassini: ubi nobili tumulo conditus, plurimorum inscriptiones, & elogia, apud alios, (ne longior sim) requirenda, promeruit. Scripsit vir doctissimus, ex Uvione, non contemnenda opera, inter quæ eminent:

Liber

Liber unus in Regulam D. Benedicti. *Scripta ejus.*
Speculum Monachorum.
Liber unus Collationum, Beneficiorum, & officiorum.
Montis Cassini Registra duo.
Inquisitorium Jurium, & Bonorum in Castris, & Villis.

Extant ad hæc in Tabulario Cassinensi nonnulla ejusdem insignia scripta, Ordinis S.P.Benedicti Religiosis, præsertim Cœnobiorum Præfectis, & Abbatibus multùm utilia. Illos enim & superiorum Abbatum exemplis, & proprio usu atque experientia seriò admonet, enixeque etiam obtestatur, ut si officio suo ritè perfungi; & à subditis suæ fidei commissis integram, inviolatamque sacri Instituti observantiam exigere, & consequi velint: illud ipsi vicissim cum primis meminerint, exacteque observent, ut quæ illorum victûs & cultûs ratio expostulat, prompta manu, ac liberali animo suppeditent. Alioquin irritum, & inutile fore quidquid dixerint; quosvis labores ac conatus pro religiosa disciplina vel retinenda, vel restauranda susceperint, nihil omninò profuturos. Neque fieri ullo pacto posse, quin sacer Ordo (quo tantopere Christianus orbis gloriatur) quotidie in pejus ruat, sensimque deficiat, & pessum eat, si hæc Rectorum in suos Alumnos charitas, industria, vigilantia, & paterna solicitudo desideretur. Hæc ille, sed longè uberiùs nervosiusque, atque hìc ego. Quæ sanè omnia hominem industrium, prudentem, pium, doctum, peritum, sanctumque, (qualis ipse citra controversiam erat) clarè demonstrant.

Salubria monita Rectoribus sui Ordinis relinquit.

Ejus mentionem faciunt Marcus Antonius Scipio in Elogiis Abbatum Cassinens. Claudius Robertus in Gallia Christiana. Arnoldus Uvion in Ligno vitæ. Frizonius in Gall. Purpurata. Chronologia SS. Lerinensium. Chronicon Cassinense. Ciaconius in Vita. Ughellius, & Oldoinus in additionibus ad Ciaconium. & Alii.

ANNO 1271.

SEDENTE GREGORIO X. PONTIF. MAXIMO.

De

S. BONAVENTURA
S. R. E. CARDINALE.

SANCTUS Bonaventura, ita futuræ sanctitatis vaticiniô à S. XCIV.
Franciscô nuncupatus, in Baptismo *Joannes* dictus, à Græcis in Concilio Lugdunensi *Eutychius*; ab aliis *Eustachius* (quod Bonaventuræ nomini correspondet) appellatus, Balneoregii nobili Hetruriæ Urbe, ortus anno redempti orbis 1221. Patrem habuit Joannem Fidanzam, matrem verò Risellam, probos ac nobiles conjuges. Major factus, altæ indolis ac rari ingenii puer didicit præprimis Latinos characteres eleganter scribere, vel potiùs in picturæ cujusdam artificiosæ modum, & speciem delineare, atque adeò sacris libris tersè describendis sedulò vacare: ex quorum venali pretio, (sublatis præsertim morte parentibus) inopiâ pressus, victum sibi,

Cur dictus Bonaventura?

Litteris eleganter describendis ad comparandum victum à teneris vacat.

sibi, & media ad discendum comparabat. Infans, cùm in extremum vitæ periculum incidisset, votô à matre ad S. Franciscum emissô, protinùs convaluit, quod deinde vigesimum secundum ætatis annum agens opere ipso complevit. Ordinem Minorum sanctissimis, juxtà ac doctissimis viris florentem anno salutis 1243. ingrediens sub Generalatu Beati Haymonis in Monasterio Balneoregiensi Provinciæ Romanæ, mutato Joannis nomine, Bonaventura vocatus, illicò Lutetiam Parisiorum studiorum gratiâ perrexit. Ubi Alexandrum de Ales, virum ea ætate eruditissimum, integrô septenniô, mira sedulitate audivit, quo temporis intervallo tantâ vitæ integritate & doctrinâ excelluit, ut septimo ab ingressu Ordinis anno, ætatis verò suæ undetrigesimo, jussu Fr. Joannis Parmensis totius Seraphici Ordinis Ministri Generalis, Magistralem cathedram Parisiis conscenderit; & sacras litteras (licèt ob ætatis defectum nondum Doctoratûs insignibus ornatus esset) magnâ omnium admiratione & gratia publicè professus fuerit. Successit autem in cathedra Parisiensi Joanni Rupellæ, Doctori ea ætate famosissimô, & (ut habet Trithemius) *Viro in divinis litteris, ac Philosophia Aristotelica magnificè erudito.* Illo igitur tempore, vel potiùs die, quo doctoralem cathedram S. Thomas Aquinas in eadem Academia assecutus est, suam etiam ascendit Bonaventura, de quo ita scripsit Gersonius: *Nescio, si unquam talem Doctorem, sicuti Bonaventuram, habuerit studium Parisiense.* Erat enim in declamando zelosus, discretus & vehemens; Orator excellens, facundus, suavis & nervosus; in excitandis populorum animis mirificus; verbis & sententiis ornatus & gravis; corporis gestu ac membrorum agitatione decorus, compositus, modestus & per omnia gratiosus. Ejus ingenium, animi dotes, mentis candorem, morum integritatem, fidei sinceritatem, ac inculpabilis vitæ tenorem aliquando penitiùs contemplans, & admiratus Alexander de Ales, in hæc verba prorupit: *Videtur mihi Adamum in Bonaventura non peccâsse.* Nec fefellit perspicacissimum virum eximia de eo concepta opinio: siquidem innocentissimæ vitæ puritate, qua cum Angelis mortalis contendere poterat; Virtutum cumulô, quibus ad invidiam omnibus præluxit; fidei sinceritate, qua nemini cessit; sanctis operibus & meritis, quorum ingentem thesaurum collegerat; & in enucleandis arduis quæstionibus, fideique Mysteriis, ac sacris Scripturis dilucidè interpretandis ita eminuit, ut nemini Doctorum omnium secundus haberetur.

Voto à matre concepto satisfacturus, Ordinem Minorum ingreditur.

Alexandri de Ales Auditor in sacris litteris mirificè proficit; eosdem q; Parisiis magna omnium admiratione profitetur.

Ejus animi dotes prorsus singulares.

Alexandri de Ales memorabile de eo testimonium.

Inter reliquas virtutes, quibus mirificè decorabatur, humilitatem cæterarum omnium reginam & fundamentum, tanto studio excoluit, sibique affinem fecit, ut licèt ob doctrinæ, & sanctitatis præstantiam in omnium ore ac admiratione esset, nihilominùs contemptis laudibus, ad vilissima quæque obeunda ministeria incredibili fervore raperetur. Testis est probatissimus vitæ ejus Auctor Oldoinus S. J. cujus genuina in hanc rem verba referre non piget: *Bonaventuræ animus ad humilitatis officia apprimè eruditus, nunquàm turgescebat, neque tumebat; vascula detergebat, & lavabat: tricliniis & cubiculis domûs verrendis, aliisq; istiusmodi ministeriis exequendis, quæ cæteri fastidiosiùs præstare videbantur, alacrem operam navabat; ab iisq; vix abduci poterat, nisi superiorum, quibus obediendum erat, jussu.* Quinimò tantâ præstitit humilitate, ut cùm

Multis virtutibus, sed præcipuè humilitate eminet.

Augustini Oldoini S. J. de eo testimonium.

ut cùm adhuc in flore juventutis constitutus, indignum se, qui sacratissimo Christi corpore, ad morem aliorum pasceretur, reputaret: Deus humilium amator ad illius animi demissionem respiciens, stupendô miraculô, particulam de manu celebrantis Mystæ per Angelum mutuatam illius ori, cunctis inspectantibus, mirabiliter immiserit.

Luculentô miraculô sacram Eucharistiam suscipit.

Præcipuam verò ægrotantium, maleque habentium curam gerere; iisque quovis officiorum genere, prompto hilarique animo ministrare adeò solemne habuit, ut licèt pernicioso aliquo affectu, facileque affabili lue infecti essent, à quibus reliqui plurimùm ob vitæ discrimen abhorrerent, ipse tamen nunquam ab eorum se latere, quamdiu morbus invalesceret, divelli passus est. Charitate autem erga omnes tam profusâ exarsit, ut si quem subtristem, conturbatum, aut pusillanimem conspiceret; quietem non admitteret, donec vel ejusmodi perplexum, hilarem, lætumque redderet; vel in mœrore jacentem, consolando erigeret; vel denique à bono proposito declinantem, salubri aliquo consilio ad rectam salutis viam revocaret. Ipse autem diu noctuque admirabili lacrymarum ubertate diffluens, tam intenso studio ad divina Passionis Christi mysteria contemplanda incumbebat, ut non rarò totus à corporis sensibus (altiori illectus cogitatu) in aëra raperetur.

Charitas ejus insignis in omnes commendatur.

Passioni Dominicæ intentus extasim patitur.

Nihil potius ei fuit labore, atque diligentiâ, nihil detestabilius desidiâ, & inerti otiô, quo plerique hominum diffluentes, turpiter in eo hebescunt; atque ad salutaria prorsus languescunt. Itaque cùm primùm Seraphicæ Religioni ex voto se addixit, præter consuetas injuncti muneris functiones, quas multas & varias, ad præscriptas Ordinis leges præstare eum oportebat, in eo etiam sibi laborandum putavit, ut Sanctorum monumenta Patrum studiosè perlegeret; lecta ruminaret, ruminata conscriberet, & exinde doctrinæ ac disciplinæ præcepta excerperet. Ea propter Librum illum egregium (cui *Pharetræ* titulum præfixit) in ipso Religionis ingressu ex operibus sanctorum Doctorum Gregorii, Ambrosii, Augustini, Hieronymi, Cypriani, Chrysostomi, Isidori, Anselmi, Bernardi, Cassiodori, aliorumque multorum magno labore ad legentium solamen & fructum contexuit. Tanto certè studio in divinas exarsit litteras, ut Bibliorum exemplaria duo eleganti charactere, sua manu descripserit: quorum alterum Balneoregii in Ecclesia Fratrum Minorum; alterum Mediolani in Bibliotheca Borromeiana etiamnùm pro thesauro asservatur. Unde minimè mirum videri debet id, quod de ipso constanti assertione refertur, nimirùm vetus ipsum & Novum Testamentum memoriâ ad unguem tenuisse: cùm non modò utrumque Testamentum studiosissimè perlegerit, usque continuo contriverit, sed & semel, atque iterum ex integro descripserit. Eo ipso tempore tum sacris studiis, quorum ardore flagrantissimus erat, tum incredibili zelo charitatis, quo fratres sui Ordinis eximiè in Domino diligebat, incensus, præclara aliquot Opuscula doctrinæ spiritu, & fructu refertissima composuit, quæ eorum Cœnobiis in Eleemosynam contulit, ut in summa rerum inopia inde etiam honestè, pieque victum quæritarent.

Otii perpetuum hostis, litteris indefinenti studio vacat.

Minister Generalis totius Ordinis Minorum efficitur.

Tertio decimo Professionis suæ anno, ætatis verò trigesimo quinto, cùm Seraphici Ordinis Minister Generalis Fr. Joannes Parmensis spontè se magistratu abdicâsset, ejus judicio, & omnium Patrum suffragiis in comitiis Romæ præsente Alexandro IV. celebratis octavus Minister Generalis, inscius & absens, renunciatus est; cui dignitati (postquàm diu in primordio, sed frustrà, obluctatus esset) annis deinde decem & septem ea præfuit vitæ integritate, ut genuinam Seraphicæ perfectionis imaginem præseferret : illud præcipuè curans, ne auctoritate tantùm, & verbis, sed exemplo etiam, atque opere concreditum sibi ordinem condignè moderaretur.

Vitam S. Francisci Seraphici mirabili stylo describit: afferuntur nonnulla hac de re Auctorum testimonia.

In Comitiis Narbonensibus eidem totius Ordinis calculô labor demandatus est concinnandi Historiam Vitæ S.P. Francisci : quam feliciter auspicatus est Parisiis anno salutis 1261. nihil ei admiscens nisi probatum, certum, & candidis testibus assertum. Mirabili stylo hanc scripsisse historiam testatur S. Antoninus, eamque summis laudibus effert Aloysius Lippomanus Episcopus Veronensis, qui *puro & simplici stylo descriptam*, ait, *tantâ rerum copiâ, & sententiarum gravitate refertam, ut totus mundus ejus lectione instrui possit, & ad amorem Dei per Beati Francisci exemplum instaurari* Ubi etiam de se ipso fatetur, *quòd quoties hanc vitam legerit, toties non solùm accensus sit, sed in ejus etiam meditatione totus exarserit.* Leonardus Aretinus, Scriptor notæ eruditionis & eloquentiæ, cùm hanc ipsam historiam attentiùs percurrisset, sententiam rogatus, dixit : *in illo scribendi genere, à nemine illum superari posse.* Neque id mirum ! dum inter divinas potiùs meditationes dictitatam, quàm humanâ industriâ elaboratam indicet sequens eventus.

Præclarum Divi Thomæ Aquinatis de eo testimonium.

Divus Thomas Aquinas, qui eadem tempestate pari virtutis, & doctrinæ merito claruit, cùm Bonaventuram, ob morum similitudinem magna sibi familiaritate conjunctum, inviseret, per rimulas ostij prospiciens, vidit illum in contemplatione raptum, & à terra palmari spatio sublevatum: tum ad suos conversus, *Sinamus*, inquit, *sanctum pro Sancto laborare.* Magni viri magnum profectò testimonium ! quo viventem amicum, *Sanctum* appellavit; & rectè pro Sancto scribentem condigno elogio posteritati commendavit. Locus, in quo hoc contigit, adhuc Parisiis in Æde Minorum extat instar Sacelli tanquàm rei præclarè gestæ indubium monumentum. Laudatam verò Historiam S. Francisci in plures Sectiones distinctam, ipsemet posteà ad preces cujusdam Episcopi Galli in compendium redegit, quæ *Legenda Minor* nuncupatur, & per dies octavæ S. Francisci in divino officio quotannis ab Ordinis Seraphici Alumnis recitatur.

Scripta ejus multa, & varia ordine hic digesta recensentur.

Cæterùm mirum est, quæ in publica rerum cura, atque in vasti regimine Sodalitii doctè scripserit, & docuerit ? In editione Vaticana sub Sixto V. Pontifice Maximo à viris doctissimis, præsertim Constantio Cardinali Sarnano collecta, & luci publicæ commissa, tot sunt sancti Doctoris Opera, quot septem justis complendis Tomis sufficiunt ; Eorum Indicem ad notitiam secundùm ordinem Voluminum exhibeo.

Tomo

Tomo Primo continentur.
Principium ſacræ Scripturæ.
Illuminationes Eccleſiæ.
Expoſitio in Pſalterium.
Expoſitio in Eccleſiaſten.
Expoſitio in Sapientiam.
In Lamentationes Jeremiæ.
Tomo II. continentur:
Expoſitio in Cap. VI. Matthæi.
In Evangelium Lucæ.
In Joannem.
Collationes in Joannem.
Tomo III. continentur:
Sermones de Tempore.
Sermones de Sanctis.
Sermones de comuni Sanctorum.
Tomo IV continentur:
Commentaria in Librum I. & II. Magiſtri Sententiarum.
Tomo V. continentur:
Commentaria in Librum III. & IV. Magiſtri Sentent.
Tomo VI continentur.
De Reductione Artium ad Theologiam.
Breviloquium.
Centiloquium.
Pharetra.
Declaratio Terminorum Theologiæ.
Principium compendioſum in Libros Sententiarum.
Sententiæ Sententiarum carmine digeſtæ.
De quatuor Virtutibus Cardinalibus.
De ſeptem Donis Spiritûs Sancti.
De Reſurrectione à peccato ad gratiam.
De tribus Ternariis Peccatorum.
Diæta Salutis.
Meditationes vitæ Chriſti.
Lignum Vitæ.
De quinq; Feſtivitatib. Pueri JEſu.
Officium de Paſſione Domini.
Opus contemplationis.
De ſancta Cruce laudatio.
Philomela Paſſioni Domini apta per 7. horas.
De ſeptē Verbis Domini in cruce.
De coronâ B. Mariæ Virginis.
Speculum B. Mariæ Virginis.
Carmina ſuper Canticum *Salve Regina.*
Laus B. Mariæ Virginis.
Pſalterium majus & minus B. M. Virginis.
Tomo VII. continentur:
Sermones de decem Præceptis.
De Regimine Animæ.
Formula aurea de gradibus Virtutum.
De pugna ſpirituali contra 7. Vitia Capitalia.
Speculum Animæ.
Confeſſionale.
De Præparatione ad Miſſam.
De Inſtructione Sacerdotis ad dignè celebrandum.
Expoſitio Miſſæ.
De ſex Alis Seraphim.
Collatio de contemptu Sæculi.
De ſeptem Gradibus Contemplationis.
Exercitia quædam ſpiritualia.
Faſcicularius.
Soliloquium Animæ.
Itinerarium mentis in Deum.
De ſeptem Itineribus æternitatis.
Incendium Amoris.
Amatorium.
Viginti quinque Memorialia.
De Eccleſiaſtica Hierarchia.
Legenda S. P. Franciſci, ſive Hiſtoria Vitæ ejuſdem.
Quare Fratres Minores prędicent, & Confesſiones audiant?
Libellus Apologeticus in eos, qui Ordini Minorum adverſantur.
De 3. quæſtionibus ad Magiſtrum innominatum Epiſtola.
De Paupertate Chriſti.
De Sandaliis Apoſtolorum.
Apologia Pauperum.
Alphabetum Religioſorum.
Epiſtola ad quendam Principalē Miniſtrum.
Epiſtola ad Superiores Minorum de reformandis fratribus.

Biblia

Bblia Pauperum.	Summa de Indivisibilitate, & immensitate Dei.
Collationes octo.	De Essentia Dei.
Speculum Disciplinæ.	De sex Alis Cherubim.
De Profectu Religiosorum.	De modo Confitendi, & puritate Conscientiæ.
De Institutione Novitiorum.	Mystica Theologia.
Regula Novitiorum.	Compend. Theologicæ veritatis.
Remedium defectivum Religiosi.	
De Perfectione vitæ ad Sorores.	

Observandum hìc, quòd etsi viri doctissimi, accuratissimique omnem impenderint operam in indagandis,& colligendis sancti Doctoris operibus, nonnulla tamen eorum subterfugerint diligentiam. Nam Lucas Waddingus libros tum Bibliothecæ Vaticanæ, tum magni Conventûs Assisiatis, aliorumque locorum sedulò discutiens, ultra jam memorata Opera, etiam hæc, quæ subjicio, superaddit, nimirum:

Alia ejusdem Scripta opera commemorantur.

Summam Grammaticæ speculativæ.
TractatumLogicæ de signis universalibus quadripartitum.
Quæstiones super libros de Generatione.
Quæstiones super 4. libros Topicorum.
Quæstiones super libros Meteororum.
Epistolas aliquot ad diversos,
Postillas in Cantica Canticorum.
Metrum in eadem Cantica.
Tractatum super illa verba Psalmi 45. *Vacate,& videte, quoniam ego sum DEus.*
Tractatum in caput 5. Ezechiëlis.
In caput 10. ejusdem.
In caput 4. & 5. Apocalypseos.
In universam Apocalypsim Commentaria.
Opusculum inscriptum *Verbum abbreviatum.*
Opusculum de Corpore, & Sanguine Christi.

Alia item permulta scripsisse testantur Auctores non contemnendi, inter quos Sixtus Senensis libro 4. Bibliothecæ reliquisse eum ait, *Compendium metricum Scholasticum utriusque Testamenti versibus Dimetris Jambicis, libera, solutaque syllabarum lege, quos ita disponit, ut singula Tetrasticha summam unius Capituli contineant* Petrus Galesinus in ejus vita, multos Veteris Testamenti, & omnes Novi nodos exposuisse testatur. Ptolomæus Lucensis ad omnes D. Pauli Epistolas Commentarios adhibuisse scribit. Petrus Rodulphus, in Evangelia & Epistolas totius anni scripsisse; & opus se accepisse à Laurentio Campeggio Felitrensium Episcopo narrat. Insuper addit composuisse illum

Officium S.P. Francisci.
Libellum majoris Introductorij.
Dialogum de Partibus Domûs Religiosæ.
Librum de Consideratione.
De Divisione rerum Universi.
Epistolas aliquot ad Michaëlem VII. Græcorum Imperat.
Epistolas ad suam Sororem.
Epistolam ad Sororem S. Claræ.

Joannes Rioche affirmat ejus Opus esse metrum illud *Lauda Sion Salvatorem* : idipsum asserit Bartholomæus Pisanus suo Catalogo. In Bibliotheca Florentina Patrum Conventualium habetur ejus opusculum inscriptum *Doctrina Cordis.* Gregorius Valentinianus in sacra Hymnodia Bonaventuram aliquot Hymnorum Auctorem nominat, eorum scilicet, quos Seraphici Ordinis Alumni in præcipuis S. P. Francisci solemnitatibus recitare solent: quorum initia sunt,

Crucis Christi Mons Alverniæ &c.
Crucis arma fulgentia &c.
Proles de cœlo prodiit &c.

Scripsit insuper de Jacobo Oddo Perusino, & Bartholomæo Pisano:

De Opere sex dierum.
De Contemplatione.
Officium sanctæ crucis, rogante S. Ludovico Galliæ Rege.

Miru Deipara Virginis cultor & amator exiſtit.

Rursùm, Alphonso Ciaconio, & Augustino Oldoino testibus, Integrum Psalterium Davidis, Cantica, quæ ex sacris litteris in officio recitantur, Symbolum S. Athanasii *Quicunque vult salvus esse* &c. Hymnum SS. Ambrosii, & Augustini, vulgò *Te Deum laudamus* &c. mutatis subinde verbis Deiparæ Virgini ingeniosissimè accommodavit; ac in laudem ejus felicissimè transtulit. Hoc autem Psalterium gratia, & adjutorio ejusdem Deiparæ Virginis *ex scintillulâ*, ut ipse ajebat, *suæ parvulæ intelligentiæ à se conditum & compactum* quibusdam Virginibus Deo sacris in munus obtulit, ut ejus lectione ad amorem sacratissimæ Deiparæ magis magisque inflammarentur. Id quòd cum stomacho improbat Jacobus Hoffmannus Basileensis, novitius Author, in suo Lexico Universali Historico sub annum 1677. Basileæ edito, in Verbo *Maria*, ferociter intonans: *Non ferendum est Bonaventura, dum in Psalterio suo, quæcunque de Deo dicuntur, Beatæ Virgini tribuit:* quasi verò sobriam Virginis Matris laudem in cœlis egrè ferat filius JESUS, qui eidem etiam in terris constitutus, subjectionem, honorem, & obsequium promptissimè detulit? Redundat in filium quidquid almæ Matri in Psalterio Bonaventuræ, honoris, & laudis impenditur. Hoffmanne, si pice calvinianâ infectus non esses; si æquus rerum æstimator livoris vitio non laborares, non certè rectam Sanctissimi Doctoris mentem, remque prudenti adeò consilio, ipsaque Virgine Deipara dictante, auspicatam, & perfectam impugnares. Displicent plerumque noctuis, & tenebrionibus, quæcunque filii lucis de *Solis Justitiæ* Matre in lucem proferunt. At non proptereà omittenda, aut improbanda; quin imò tantò alacriùs & proferenda, & prosequenda.

Jacobi Hoffmanni Basiliensis improbum de eo judicium refellitur.

Alphonsus Ciccarellus insignis confictor librorum, (qui sub Gregorio XIII. perniciosas imposturas, & fraudes capitali supplicio luit) hæc Bonaventuræ adfinxit opuscula.

Adficta eidē ab impostore Ciccarello Opuscula deteguntur.

Flos florum.
Lilium Originalium.
De Pœnis Inferni.
De Gloria Paradysi.

At hæc Apocrypha sunt, & spuria. Genuina Sancti Bonaventuræ

Opera ad trecenta perveniſſe aſſerunt Marianus Florentinus, Octavianus à Martinis, & Stephanus Bruliſer. Nonnulli tamen aliqua ex prædictis Opuſculis in controverſiam vocant, & tanquam ſuppoſititios fœtus aliis Patribus attribuunt. Videndi hac de re Cardinalis Bellarminus de Scriptoribus Eccleſiaſticis obſervatione in Opera D. Bonaventuræ; & Lucas Waddingus de Scriptoribus Ordinis Minorum, qui prævio examine ſpuria à legitimis exactè ſegregat. Hos, ne longior ſim, conſulat Lector veritatis percupidus: ego ad Inſtitutum redeo.

Unde tantam ſcientiarum ubertatem hauſerit, Divo Thomæ petenti candidè aperit.

Multiplicem Bonaventuræ doctrinam, altamque rerum omnium cognitionem, & eruditionem quondam admiratus S. Doctor Aquinas petiit ab illo libros ſibi eos oſtendi, ex quibus tantam ſcientiarum ubertatem hauſerit? Ille ſubridens, protensô in Chriſti cruci affixi imaginem digitô, *Ex hoc*, ait, *æternæ Sapientiæ fonte, quidquid vel lego, vel ſcribo, vel intelligo, me haurire profiteor.* Nimirùm habent hoc Sancti, ſincerique homines, ut ex indita humilitatis virtute, nihil ſuæ induſtriæ; nihil proprio adſcribant ingenio, ſed quidquid vel ſcribunt, vel faciunt, in totum id divinam referant virtutem, ex qua omnis eorum ſufficientia velut ex inexhauribili ſcaturigine procedit.

Ampliſſimâ Archiepiſcopatum Eboracenſis dignitatem, à Gregorio IX. oblatam recuſat.

Doctrinæ ſingulari præclaras adjunxit actiones Bonaventura: Galliam omnem, ac Italiam, bonamque Germaniæ partem, nullo vſus vehiculo, aut equo, pedes peragravit: ut ſui Ordinis Alumnos ad paupertatis, & religioſæ obſervantiæ obſequium vel ſuô hôc exemplô impelleret. Coruſcantibus ejus virtutibus, & meritis illectus Romanus Pontifex, illum ad ſedem Eboracenſem in provincia Northumbriæ tunc vacantem promovit; eique ſingulares has, & graves literas, ut decretum in ſe honorem admitteret, ſcripſit. Quæ cùm peculiarem ſancti Viri laudem contineant, eas hic exſcribere, huicque loco inſerere è reduxi, & ſunt tales.

Litteræ Gregorii hac de re ad Eum ſcriptæ referuntur.

GREGORIUS EPISCOPUS SERUUS SERVORUM DEI,
Fratri Bonaventuræ, Miniſtro Generali Ordinis
Fratrum Minorum, electo Archiepiſcopo Eboracenſi.

Summo Paſtori JESU Chriſto, generali ſolicitudine ſuper omnes Eccleſias incumbenti, in eo præcipue nos, (qui ad ferendum tanti onus officii, licèt indigni dignatione divinâ ſumus aſſumpti) obſtrictos eſſe cognoſcimus, ut circà Proviſionem Eccleſiarum ipſarum, cùm fuerint de Paſtoribus ordinandæ, maximè vigilemus, & noſtro attento ſtudio perſonas idoneas, ac utiles animarum regimini præficiamus, quæ meritorum claritate Deo amabiles, & acceptæ, ſibi per vitæ honeſtatem proficiant in bonum, & ſubditis per exempla ſalubria omnimodâ diligentiâ commiſſarum ſibi Eccleſiarum in ſpiritualibus & temporalibus incrementum procurent.

Vacante igitur Eboracenſi Eccleſia per mortem bonæ memoriæ Eboracenſis Archiepiſcopi, & electione, quæ de dilecto filio ejuſdem Eccleſiæ Decano in ipſa celebrata extitit (juſtitia per nos exigente) caſſatâ Nobiſq; hac vice ipſius Eccleſiæ proviſione retentâ, diu ſuper ea vigilavimus, diu ſedulis & profundis cogitationibus defiximus mentem noſtram, diu ob ipſam noſtrum ſpiritum proſpectus varii diſtraxerunt. Nam pro tam magna, & honorabili Eccleſia; pro tam nobili, & devota ſedis Apoſtolicæ filia, & pro inclyto, & Catholico

Regno

Regno Angliæ ipsi Sedi charissimo, ubi eadem Ecclesia opibus amplis prædita, refulget Archiepiscopalis eminentiâ dignitatis, amplioris solicitudine urgebamur. Exacuerunt hac in Nobis curam; accenderunt vigilantiam cogitatum auxerunt, ut meditaremur vehementius, & diligentiùs attenderemus, quid ipsi Ecclesiæ, quid dictæ sedi, quid eidem Regno, in facienda provisione hujusmodi, potius expediret. Aspirantes totis affectibus, & solicitis studiis intendentes ad virum dilectum & devotum sedis ejusdem, Ecclesiæ præfatæ utilem, & ipsius Regni pacis & concordiæ amatorem; ad virum vitâ conspicuum, insignem scientiâ, providentiâ spectabilem, quem diligeret Dominus, & in cujus requiesceret bonitate; ad virum profusis claris operibus digna imitatione sequendum, per quem grex Catholicus tanquàm per lucis speculum convenienter posset dirigi ad salutem. Unde nostra in his desideria totaliter convertentes ad Dominum, & hujusmodi provisionis negotium ejus beneplacito committentes, ac sub spe solius suæ gratiæ fidenter procedentes, de illo habito tractatu super hoc cum fratribus nostris, ex ipsorum consilio ad te direximus nostræ considerationis intuitum; in te vota nostra firmavimus; in te noster spiritus plena deliberatione quievit. Attendentes igitur in te Religionis asperitatem, nitorem vitæ, conversationis munditiam, eminentiam scientiæ, providentiæ circumspectionem, & compositionem gravitatis, & quòd tamdiu, tam laudabiliter toti tuo præfuisti Ordini, susceptum generale Ministerium super illum gerendo fideliter, & prudenter; & salubriter exequendo ad magnum honorem ipsius Ordinis & profectum; quodq́; sic innocenter conversari assiduè studuisti sub observantia regulari, quòd, divina te semper gratia prosequente, reddidisti te placidum, & amabilem quasi omnibus, & ubique; ac propter hoc sperantes firmiter, quòd plenè in te prosequemur affectu id, quod circà præfatam Ecclesiam, sedem eandem, & ipsum Regnum in hac ejusdem Ecclesiæ ordinatione avidè affectamus: de Persona tua ipsi Ecclesiæ auctoritate Apostolica providemus, & te illi præficimus in Archiepiscopum, & Pastorem: absolventes te à vinculo Ministerii generalis præfati Ordinis, & ad dictam Ecclesiam transferentes, liberam tibi transeundi ad illam, licentiam concedimus.

Singulare Divi Bonaventuræ elogium.

Ideoq; prudentiam tuam monemus, & hortamur attentè, & affectuosè rogamus, tibiq; in virtute sanctæ obedientiæ districtè præcipimus, & in remissionem injungimus peccatorum, quatenùs ejusdem Ecclesiæ curam suscipias; honorem & commodum dictæ Sedis procures; & statum præfati Regni, gravibus diebus tempestate turbatum, & intestina vexatione divulsum, ad concordiam, auxiliante Domino, promovere satagas, solerter considerans, & sapienter advertens, ne divinis in hòc beneplacitis repugnes; néve nostris jussionibus difficultatis, aut tarditatis obstaculum opponas, sed vocationi cœlesti humiliter acquiescas, & de superno ac nostro confisus auxilio, reverenter, ac devotè suscipias impositum tibi à Domino onus, regendo ac dirigendo, juxtà datam tibi ab ipso gratiam, prædictam Ecclesiam, & in spiritualibus, & in temporalibus ampliando, ita ut exinde grande præmium apud Deum, & penes nos uberioris favoris beneficia merearis. Datum Perusii VIII. Kal. Decembris anno Pontificatûs nostri primo.

Archiepiscopus Eboracensis constituitur.

Ut has litteras accepit & legit Bonaventura, tota mente conturbatus illicò Perusium concessit, Pontificem oraturus, ne tantum sibi onus imponeret, aut sublimem adeò dignitatem, cujus & indignum se, minimeque sufficientem profitebatur, conferret. Et certè post crebros verborum congressus tam efficaciter, tamque constan-

Oblatam dignitatem instantissime recusat.

ter peroravit, ut ægrè consentientem, diuque reluctantem Pontificem tandem vicerit, qui ejus animi demissionem, constantiam,& nobilem dignitatum contemptum demiratus tandem subjunxit illud Ecclesiastici: *Sta in testamento tuo, & in illo colloquere, & in opere mandatorum tuorum veterasce.* Qua licentiâ sibi factâ, læto hilariqùe ad suas regressus ædes, à curâ tanti muneris liber, majori deinceps diligentiâ animum suum ad rerum cœlestium studia applicuit.

Unà cum Joanne de Toleto Cardinale Gregorio X. ad summum Pontificatû Auctor est.

Cùm post Clementis IV. Romani Pontificis obitum, Sedes Apostolica propè triennium, ob contraria Patrum studia, Pastore viduata in luctu jacuisset, hortatu Bonaventuræ Cardinales animô redintegrati, inque unum coëuntes, summum Pontificem renunciârunt Thedaldum, seu Theobaldum Vicecomitem Placentinum, Archidiaconum Leodiensem, in Syria tum agentem, dictum Gregorium X. Sunt, qui electionis Gregorii hujus nonnisi Bonaventuram auctorem faciant, at hos plùs æquô sanctô Viro attribuere certum est: constat enim Joannem Cardinalem de Toleto, Anglum, præter Divum Bonaventuram multùm pro electione Gregorii X. apud Purpuratos Patres, eo tempore factionibus scissos laborâsse. Videantur quæ de hoc ipsô argumento suprà in vita Joannis de Toleto, numero 82. enarravimus.

Ab eodem Gregorio Purpurâ, & Infula Albanensi decoratur.

Gregorius igitur proclamatus Romanus Pontifex, non tam ut pares pro accepto beneficio Bonaventuræ grates redderet, quàm ut super Ecclesiæ candelabrum, insigne hoc lumen collocaret, statuit eum sacro Cardinalium cœtui quamprimùm adscribere. Ille verò mentem in hoc Gregorii subodoratus, tantæ dignitatis declinandæ causâ, delusis arbitris, clàm aufugit in Galliam: sed exinde monitoriis litteris in Italiam revocatus, (dum moras necteret) absens Purpurâ, & Infulâ Albanensi donatur. Hærebat tum ille itinerans in Cœnobio Nemoris *de Mugello*, bis septem milliaribus Florentiâ distante; atque à prandio pro more suo culinæ vascula tergebat. Allabuntur interim Româ Legati Pontificis, cardinalitium insigne,& litteras deferentes, ejusque alloquium postulantes. Ille horum admonitus, nihilque inopinato eorum adventu commotus, legationem priùs audire, aut in conspectum admittere renuit, donec cœptum abluendorum munus vasculorum explêsset; imò oblatum sacræ dignitatis Galerum ex adversæ arboris ramusculo suspendens, *fungamur*, inquit, *priùs sancto humilitatis officio, cui ex voto consecrati sumus, deinde honorum insignia, quæ nobis oneri sunt, in conspectum admittamus.* Cùm verò fratres repetitis precibus, ne culinæ majorem quàm Legatorum rationem haberet, instarent; atque adeò vascula lavare pergenti vi è manibus eriperent, renitentemque in conspectum Legatorum protruderent, conversus ad eos dixit: *Postquàm fratris minoris munia explevimus, experiamur ista graviora: salutaria hæc sunt, & salubria, mihi credite fratres, illa verò magnarum onera dignitatum, uti ponderosa, sic & periculosa.* Tum accedens ad arborem suspensum ex ea Galerum cum lacrymis accepit; eôque ornatus Pontificios Nuncios comiter honorificeque, ut decuit, excepit. Deinde Romam contendens, Pontificem, tantum deprecaturus honorem, gemebundus accessit. Verùm cùm diu obluctando nihil proficeret, ex obedientia decretum in se honorem

Insignis ejus humilitas pluribus commendatur.

admi-

admisit, rituque solemni ab ipso Gregorio Episcopus Albanensis consecratus est.

Anno salutis 1274. Gregorium ad Concilium generale II. Lugdunense abeuntem secutus Bonaventura, ibidem in Concilio coram Imperatoris Rudolphi I. & Philippi Audacis, Galliarum Regis Legatis, aliisque Principibus viris utriusque statûs insignem habuit orationem, iis præpositis verbis : *Exurge Hierusalem, sta in excelso, & circumspice ad Orientem, & inde collige filios ab oriente usque ad Occidentem.* In hoc Concilio Præsidem egisse Bonaventuram expressè asserunt duo Romani Pontifices Sixtus IV. & V. Primus in Bullâ anno Domini 1482. editâ, qua eidem *Sancti honores* decrevit. Alter in Decretali, quo primis eum Ecclesiæ Doctoribus anno 1588. adnumeravit. Non tamen primas egit totius Concilii, aut in Generalibus Sessionibus primus sedit, cùm ipse Gregorius Pontifex Concilii Sessionibus interfuerit semper, & præfuerit. Sed in privatis cœtibus, quos per se quotidiè celebrâsse Cardinales absque Pontificis interventu habet historia ejusdem Concilii : quique etiam cogi solent in Conciliis tanquam præparatorii & dispositivi ad Sessiones publicas, ne res indiscussæ & immaturæ in universali omnium consessu magis proponantur ad strepitum & ad lites, quàm ad malorum remedium, placidum, & unanime reportaturæ judicium. Ipsi igitur incumbebat onus, ut Orientem cum Occidente; Græcam cum Latina Ecclesiam conjungeret, quas intermedius discrepantium in quibusdam Religionis Capitibus opinionum paries dirimebat; hunc Verbi Dei malleo disjecit, ac disturbavit. Docuit enim Græcos Sanctum Dei Spiritum unà cum Patre & Filio, ab utroque, non ab altero tantùm, manantem adorare. Docuit Pontificem Romanum, summum esse toto Orbe Pastorem, primumque Christi Vicarium. Docuit delicta nostra post mortem igne purgatorio expiari. Docuit celebrandam pane azymo Eucharistiam. Quare in Bibliotheca Vaticana, ad æternam rei memoriam, hanc grati animi ergô Sixtus V. totius Ecclesiæ nomine apposuit Inscriptionem:

In Concilio Lugdunensi luculentam ad Patres, Orationem habet. Eidemq; Concilio præsidet.

Quomodò verò præsederit explicatur.

Ecclesiam Græcam cũ Latina in multis dissentientem conjungit.

Quæ docuerit in Concilio?

GREGORIO X. PONTIFICE MAXIMO GRÆCI AD
S.R.E. UNIONEM REDEUNT. IN HOC CONCILIO
S. BONAVENTURA EGREGIA VIRTUTUM OFFICIA
ECCLESIÆ DEI PRÆSTITIT.

His, aliisque præclarè, & feliciter gestis in Romanæ Ecelesiæ obsequium, summo omnium mœrore, magnoque Reipublicæ Christianæ detrimento, in ipso Concilio, die 15. Julii anno reparatæ salutis 1274. (antequàm celebraretur quinta ejusdem Concilii Sessio) vir signis, doctrinâ, virtutibus, meritis & sanctis operibus clarus ad superos evolavit. Narrat Petrus Galesinus probatus Auctor, in ejus obitu *unam omnium fuisse vocem, dicentium ac lamentantium Reipublicæ Christianæ columnam, Ecclesiæ Romanæ decus, sapientiæ sedem, perfectionis apicem, virtutum omnium ornamentum, eo decedente, corruisse.*

Signis, ac virtutibus illustris, sanctè decedit Lugduni.

Elatus est Bonaventura funere, quale ab hominum memoria (Auberto Myræo teste) splendidius, aut gloriosius non legitur. Nam interfuit, suâque præsentiâ exequias illustravit ipse summus Pontifex Gregorius; affuêre Germanorum & Græcorum Imperatorum Pro-

Funus ejus frequentiâ incredibili Principum, Cardinalium, ac Oratorũ pompâ curatur.

Proceres; affuit Orientis Imperator Balduinus, Philippus Galliæ, & Jacobus Arragoniæ Reges; affuêre Patriarchæ Constantinopolitanus & Antiochenus; Cardinales universi, Præsules, quingenti, Abbates centum sexaginta, aliique minorum Gentium Antistites, ac Sacerdotes millenarium numerum excedentes. Regum ac Principum Legati; Tartarorum Oratores; Nationum diversarum deputati; sacri demùm ac politici Ordinis homines innumeri. Tota denique Civitas Lugdunensis, lacrymis & luctu squallida, sese ad sancti hujus viri inferias condignè celebrandas effudit. Fr. Hugo de Dina vir virtutibus, ac prophetiæ dono celebris mortem hanc Bonaventuræ diu, antequàm eveniret, cum omni circumstantia prædixit; cui vir sanctus nihil aliud, nisi *cùm Domino placuerit, libens & paratus migrabo*, reposuisse fertur. Franciscus Maurus non ignobilis Poëta, sequens carmen Epitaphii locò, Bonaventuræ cineribus inscripsit:

Elegia ejus funeralia afferuntur.

Ille Hominum plausu nequicquam excitus inani:
Sed cura majore actus, melioraq; versans
Pectore consilia, insani praconia vulgi
Despicit, & varios ultrò aversatur honores.

Extat & aliud encomium, ejusdem Sancti tumulo ad perennem memoriam affixum, quod ex Augustino Oldoino S. J. mutuatum huc appono:

Et hoc demùm, Viator,
Omnis spei extremum,
Et commune solatium est:
Bona Sua
Semper *Ventura* credidit
Bonaventura cùm vixit.
Præsentia ubi vidit,
Mutavit nomen cum vita.
Anno salutis 1274.

Primus omnium Romæ Confraternitates instituit.

Illud pietati Bonaventuræ tribuunt peculiare probati Auctores, quòd primus omnium instituerit è Laicis Sodalitates, qui certo tempore, & hora ad preces recitandas, aliaque pia opera obeunda per hebdomadam convenirent. Initium verò laudabilis hujus instituti factum Romæ in Sodalitate, seu Archifraternitate *Confalonis* circa annum salutis 1270. Cujus exemplo innumeræ postmodùm in Orbe Christiano formatæ Sodalitates, quarum institutis & legibus omnia fermè pietatis munera comprehenduntur.

Sanctitatem ejus crebris Deus miraculis orbi testatam facit. Eorum nonnulla breviter recensentur.

Insignem viri sanctitatem multis Deus miraculis orbi testatam voluit, quæ luculentis postmodùm testimoniis commendata sunt posteritati, è quibus unum, alterumve obiter dumtaxat attingam. Cùm Lugduni ipse ægrotaret ad mortem, (vomitu quippe continuo ob stomachi debilitatem fatigabatur) jussit ex more Christiano Augustissimum sibi Eucharistiæ sacramentum adferri, ut ejus saltem aspectu, cùm sumere vereretur, confirmatus, lætiùs & constantiùs excederet. Allatam pixidem cum sacro pane, summô animi desideriô, pectori devotissimè admovit; & ecce! mox in formam rubentis rosæ aperto ejus latere, corpus Christi è pixide in ejus cordis intimum penetravit, nullô aperturæ post se relictô vestigiô. Lug-

Lugduni cùm esset Bonaventura, Symma lectissima matrona (quæ opinione sanctitatis ejus illecta, religioso eum à multo tempore prosequebatur affectu; quamque ille languentem sæpè sæpiùs inviserat) sinistrô puerperiô mortuum filium pepererat. Vocatus ille mox affuit. Expositô itaque ejus ante pedes exanimi fœtus cadavere, genitrix è lecto ingemiscens sancti viri opem implorat. Ille nihil cunctatus provolvitur in genua, erectisque in cœlum oculis, ac manibus Numen pro demortui infantis vita deprecatur. Soluta oratione puerum crucis signaculo notatum resuscitat, vivumque matri, stupentibus cunctis, qui aderant, in manus consignat.

Crucis signaculo infantem mortuū resuscitat.

Est & alterum priori non absimile mirum ab eo patratum. Joanna Lugdunensis, opulenta & præpotens fœmina, octo dies continuos utero distenta, assiduoque parturiendi enixu cruciata de salute vitæ ulterioris jam jam desperaverat. Monita ab obstetrice, quæ laboranti aderat, ut se Sancti precibus commendaret, spemque in ejus suffragiis certam collocaret. Paruit illa, votôque pro sua, & filii salute susceptô, è vestigiô mitigatis doloribus, incolumis incolumem peperit filium.

Puerperio laborantem à cruciatibus liberat.

Francisca nobilis virgo Lugduni lue, sive formicâ in collo laborabat, cujus ignis sensim per membra serpens, ac sese in totum denique corpus diffundens, teneras puellæ carnes miserè vorabat. Parens Gilbertus nomine, Divo Bonaventuræ apprimè notus, ad eum, conclamatæ filiæ opem imploraturus, accessit. Exposito casu peractisque precibus, bonô animô esse jussus domum revertitur, filiamque extinctô igne salubri corpore obviam habuit.

Virginem Lugdunensem lue infectam sanat.

Sunt præterea & alii utriusque sexûs innumeri, qui suffragantibus Sancti hujus viri meritis, extra omnem aleam se esse conspexerunt, cùm se vel maximè in capitali periculo constitutos judicarent. Plura id genus miranda legere qui desiderat, Augustinum Oldoinum, aliosque Auctores vitam, & acta ejus referentes adeat. Egó quod reliquum est, prosequor.

His, & similibus totô orbe divulgatis miraculis Sixtus IV. Romanus Pontifex solemnes illi sanctorum honores decrevit anno salutis 1482. Et Sixtus V. (ut suprà dictum est) inter Maximos eum Ecclesiæ Doctores connumeravit pridiè Idus Martii anno 1588. festumque ejus diem pridiè Idus Julii sub ritu duplici ab omnibus, qui ad Canonicas horas tenentur, celebrari jussit. Urbanus verò VIII. eodem die in SS. duodecim Apostolorum Basilica Romæ sacrum solemne coram sacro Purpuratorum Collegio quotannis celebrandum curavit. Extat apud eandem SS. duodecim Apostolorum Basilicam Collegium, à Sixto V. sub D. Bonaventuræ auspiciis institutum; in quo nullius, præter Sancti hujus Doctoris doctrina traditur, & propugnatur.

Sanctorum fastis adscribitur; eique sacri honores decernuntur.

Ejus mentionem faciunt Lucas Waddingus tomo 1. & 2. Annal. Min. Item de Scriptor. Ord. Minor. Arturus in Martyrolog. Francis. Petrus Galesinus in Vita. Bzovius in Annal. Odericus Raynaldus in Annal. Hyppolitus Marraccius in Purp. & Biblioth. Mariana. Julius Nigronius. Heribertus Rosweydus. Petrus Rodulphus in Hist. Seraph. Panvinius in Vitis Pontif. Binius in Conc. Ciaconius in Vita. Victorellus & Oldoinus in addition. ad Ciaconium. Morerius. & Alii.

ANNO

ANNO 1271.

SEDENTE GREGORIO X. PONTIF. MAXIMO.

De

THEOBALDO DE CECCANO
S.R.E. CARDINALE.

XCV. THEOBALDUS de Ceccano Italus, Campanus, ex nobilissimo Tarracinensium Comitum sanguine progenitus, Jordani de Ceccano Cardinalis amplissimi propinquus, vir fuit magnæ prudentiæ, eruditionis, & probitatis. Decem & novem annos natus, mundi crepundia fastidiens, ut pietatem cum doctrina opportuniùs conjungeret, divino se famulatui mancipavit in sacro Cisterciensium Ordine. Crescentibus in dies virtutum ejus meritis, viduatô pastore Cœnobiô, Abbas Fossæ-novæ propè Tarracinam primò electus, deinde circa annum Domini 1274. à Gregorio X. virtutum ejus famâ permoto, inter Presbyteros Cardinales relatus, varias legationes ad diversas Italiæ Civitates utiliter, & cum laude obivit. Florentinos, & Genuenses armis inter se collisos, pacis fœdere conjunxit. Hetruscos in perniciem Pisanorum conspirantes, ab armis discedere sub anathematis & interdicti censura coëgit. Venetos, & Genuenses mutuis se cladibus, & cædibus conficientes, sublato internecini odii fomite, ad pacis & concordiæ amplectenda studia pertraxit.

Abbas Fossæ-Novæ, & Cardinalis eligitur, variisq; legationibus perfungitur.

Gregorium Pontificem post suscepta coronationis insignia Lugdunum, ad indictam Synodum Oecumenicam ibidem celebrandam, proficiscentem, non dum Cardinalis creatus, comitatus est. Ea occasione interfuit spectaculo illi commiseratione digno, quod Pontifici in Gallias iter habenti haud procul Florentiâ ex insperato occurrit. Rem ex Oldoino haustam paulò altiùs in gratiam Lectoris repetam. Gregorio relictâ Florentiâ Flaminiam versùs contendenti obviàm factus est reus quidam pœnitens, habitu sordidato, resti ad cervices obligatus, excalceatus pedibus, comâ promissâ, ore pallenti, cum lugubri catervâ, simili schemate pullatâ. Is erat Guido filius Simeonis comitis Monfortii, in Britannico bello per insidias nuper interempti: qui innoxii parentis cædem ulturus, Henricum regiæ stirpis adolescentem, Richardi Cornubiæ comitis, electi Romanorum Regis filium Viterbii in primario Templo (dum Sacerdos aris operans divinam hostiam, ut adoraretur, ritè attollebat) præsentibus Philippo Galliæ & & Carolo Siciliæ Regibus, multisque aliis utriusque Regis Aulæ proceribus, nil tale cogitantem impressis aliquot ense vulneribus immaniter, ac sacrilegè confecerat. Itaque facti pœnitens, luctuosâ eâ scænâ, à transeunte Pontifice facinoris à se patrati supplicium, non veniam efflagitabat. Pontifex cædem insonti juveni illatam, funestam Templo; Sacrificio injuriosam; Regibus, qui tum aderant, tristem; sed & Odoardo Britanniæ Principi, utpotè patrueli, præ cunctis gravem, ac lamentabilem

Pontificem Lugdunum ad Synodum properantem comitatur.

Tristi spectaculo à Guidone Monfortio parricidâ in via edito interest.

Pontificis in reum clementia.

lem mente revolvens, pluribusque pro merito exaggerans, diu, quid faceret, attonitus, subdubiusque deliberavit. Sed quia Guidonem isto in habitu comparentem, multisque cum lacrymis sinceræ pœnitentiæ certissima signa dantem, seque ad quælibet arbitrariæ mortis supplicia ultrò offerentem, & paratum conspexerat, tristissimam hominis sortem miseratus, promeritæ justitiæ rigorem paternâ cum clementiâ miscendo sic temperavit, ut reus quidem compos vitæ esset, sed expers tamen omnis lætitiæ, & libertatis deinceps existeret. Quare carceri adjudicatum, ac anathemate defixum, ad severam per anni spatium in vinculis transigendam pœnitentiam damnavit. Guido laudatâ, alacrique animo susceptâ Pontificis sententiâ, illa pœnitentis Psalmistæ verba crebriùs repetendo : *Justus es Domine, & rectum judicium tuum* in carcerem concessit, annuôque spatio injunctam sibi pœnitentiam inter suspiria, & gemitus cumulatissimè complevit. Pontifex ea re multùm delectatus, ne hominem diutiùs affligeret, jussit illum & carcere, & anathemate exsolvi per Patriarcham Aquileiensem, dummodò libertate donatus, Apostolicæ Sedi debitam obsequii reverentiam sponderet : quam cùm ille rorantibus præ gaudio lacrymis, editô in fidem juramentô promisisset, in gratiam receptus, ac liberati restitutus est. Jam ad institutum.

Guidonis rei sincera pœnitentia, & liberatio.

Pontifex in consortio Theobaldi Abbatis, aliorumque Procerum Ecclesiasticorum iter suum Lugdunum versùs prosequens, Urbem illam celebri pompâ, eoque civium, nobilium, Antistitum & Clericorum comitatu ingressus est, qui Christi Vicarium vel maximè decere videbatur. Ibi summis honoribus exceptus, inque Palatium Episcopale deductus, postquàm diem unum & alterum quieti dedisset, ipsis Kalendis Maii anno salutis 1274. Sacrosanctam Synodum Oecumenicam post invocationem divini Spiritûs inchoavit, quam, superfluis parcens sumptibus, discussis properè negotiis, in menses non ampliùs tres produxit, ne tot Ecclesiarum Præsules (quorum, teste Binio, septingenti numerabantur) æquô diutiùs à suis sedibus cum gregis detrimento abessent. Quæ verò in ea Synodo potissimùm proposita, ac pertractata fuerint, enarrat breviter ex laudato Binio Oldoinus in vita Gregorii: nimirùm actum esse de norma morum; de Cleri reformatione; de subsidio Christi fidelibus in Syria laborantibus ferendo, quibus non modò pecunia pro stipendiis, sed & miles pro belli prosequutione deerat. Rursùm de unione Ecclesiæ Latinæ cum Græca in Oriente procurandâ ; ac electione novi Cæsaris in Occidente urgendâ.

Gregorius X. Lugdunum ingressus, Concilium Oecumenicum II. ibidem celebrat.

Quæ in Concilio acta sint.

Ad hanc Synodum pariter Gregorius nonnullos Præsules vitâ, & vitiis infames per Theobaldum Legatum citari jussit, quos comparentes ac quæstioni admotos, cùm diversorum criminum reos invenisset, de gradu honoris, ad terrorem aliorum, submovit. In hoc genere celebris fuit depositio Henrici Geldriæ comitis, ac Episcopi Leodiensis, qui ad amplissimam Infulæ dignitatem præter stemmatis claritatem præclari nihil attulerat. Erat enim (ut uno ore Scriptores loquuntur) effusissimæ libidinis, luxuriæ, atque incontinentiæ, nullo non obscæni actûs genere contamminatus,

Lugduni in Concilio in Episcopos culpabiles animadvertit.

Ee

Henricus Leodiensis Episcopus, luxuria sordibus infamis, reus agitur.

tus, incestuosus, adulter constuprator. Hunc seriò & crebriùs commonefecerat Gregorius statim renunciatus Romanus Pontifex, dignasque Christi Vicario literas, ad ejus correctionem spectantes, dederat: quibus Episcopi munus primùm graviter descripserat, ejusque onus ad concrediti gregis vel salutem, vel interitum pro pastoris studio, vel negligentiâ ob oculos posuerat: detectis denique vulneribus, saluberrima remedia suggesserat, acria nonnulla divini judicii terrore; pleraque suavia, amore parentis filium ad frugem revocantis. Hic igitur sæpè sæpiùs, sed in cassum, admonitus, ad Synodum tandem ad dicendam causam vocatus adfuit, sed usque adeò superbo, profano, ac insolenti fastu, habitu, & comitatu, ut non iam Episcopi modestiam, sed Principis cujusdam dissolutissimi speciem præferre videretur. Dissimulavit omnia initio Pontifex, & quis esset interrogavit? ille se Francimonii Dominum & Marchionem dixit. Tum Pontifex è suo eum conspectu facessere jussit, dicens Leodiensem Episcopum, non Francimonii Marchionem illa die exspectari. Vocatus postridiè venit iterum, sed quasi illustris Geldriæ comes, magnâ stipatus aulicorum coronâ: verùm perinde ac anteà repulsam passus est, affirmante Pontifice, ea sibi die cum Episcopo Leodiensi negotium esse. Mandatum igitur ei, ut sepositâ omni principatûs temporarii pompâ, adesset ut Episcopus, modesto cum habitu, & comitatu, cruce scilicet, togâ, & insignibus sacris ornatus. Quòd cùm demum fecisset, atque in eo habitu, qui sacrum Antistitem condeceret, Concilium intrâsset, tum Pontifex in solio sublimatus, adgeniculatum, commemoratis nefandis ejus excessibus, in publico Patrum conspectu reum egit; ademptisque annulo, cidari, & lituo (nullâ aliâ inflictâ pœnâ) uti scandalosum, atque infamem Episcopali dignitate privavit, privatùmque declaravit, utque protinùs è conspectu se suo, atque concilii proriperet, imperavit. Sed pœna mox gravior, & si sera, illata ei est à vindice scelerum Deo: nam paulò pòst à viro nobili, cujus honori, & thoro (ut immodicam suam libidinem expleret) infamiæ notam inusserat, adactô per viscera ferrô interemptus est.

Sæpiùs repulsam patitur.

Episcopatu deponitur.

In adulterio deprehensus occiditur.

Comitia Francofurti pro novi Cæsaris electione celebrantur.

Dum hæc Lugduni in Gallia aguntur interim Principes Romani Imperii in Germania, penès quos, ex Apostolica auctoritate, Romanum legendi Regem jus est, Francofurti comitia celebrabant. Fluctuabat eo tempore variis motibus agitata tota ferè Germania, quæ à Friderici II. Cæsaris obitu legitimum Rectorem integros viginti duos annos habuerat neminem, præter Guillelmum Batavorum, Hollandiæ Comitem; sub quo cùm respirare aliquantulùm cœpisset, mox eô à Frisiis occisô iterum destituta est. Electi post illum erant variantibus Principum studiis duo: Richardus Cornubiæ Comes, & Alphonsus X. Hispaniarum Rex, sed hic regno suo contentus in Germaniam non venit; alter à suis Aquisgrani coronatus, consumptâ multis largitionibus pecuniâ, contemptior in Angliam rediit.

Gregorius igitur, Lugduni etiamnùm residens, communi periculo motus, Theobaldum cum litteris Apostolicis ad Principes Imperii misit, quibus eos paternè hortatus est, uti ambitione & diffi-

Theobaldus legatur in Germaniam, ad urgendam novi Cæsaris electionem.

dissidiis positis, eum eligerent Regem, qui summæ rerum cum dignitate præesse; & convulsum Imperii statum in integrum restituere posset, quod si diutiùs facere supersederent, tum se, quod sui officii sit, rebus consulturum. Congregatis ergo ad instantiam Apostolici Legati Principibus commodùm adfertur nuncius, Richardum Anglum diem suum jam obiisse. Cùm itaque nonnulli proponerentur, Mainardus Comes Tyrolensis, vir magni inter Principes nominis, tres viros aliis præferendos adfirmabat; Bernardum Carinthiæ Ducem, Albertum Seniorem Goritiæ Comitem, & Rudolphum Habspurgicum. Rogatus verò ipse primus omnium sententiam, quem ex tribus potissimè eligendum putaret? Rudolphum nominavit: cui accedens Fridericus Burggravius Norimbergensis (dum reliqui Principum parùm concordibus votis inter se convenirent) dilaudatô per omnia Rudolphô, potiorem partem in suam pertraxit sententiam. Rudolpho præ cæteris maximè studebat Archipræsul Moguntinus, multa de ipsius virtute, animique magnitudine prædicans. Hunc olim Rudolphus Româ redeuntem, humanitatis gratiâ, splendido convivio, juxtà ac hospitio exceperat; & abeuntem obsequioso famulatu Argentoratum usque deduxerat; feruntque tunc obtestatum Archipræsulem esse Divos, *ne mori se permitterent, antequàm urbano huic Comiti gratiam retulisset*, quòd tum maximè facere se posse videbat. Itaque eo adnitente, re diu expensâ, Principes (ne iterum in diversa studia abiretur) Ludovico Palatino eligendi potestatem deferunt. Ille diu reluctatus, denique, (urgente Moguntino) quarto nonas Octobris anno salutis 1274. Rodulphum Habspurgicum Cæsarem dicit, reliqui Auctores fiunt, & faustis acclamationibus Rudolphi, uti Augusti, nomen ingeminant. Illum genere, morumque integritate ac prudentia inclytum, atque adeò unum esse, qui rebus propè deploratis opem ferre; Imperium à multis annis bellorum tumultibus, discordiis, oppingnorationibus, ac rapinis pœnè oppressum erigere, & in pristinum vigorem asserere posset. Sunt, qui eò libentiùs in hanc electionem consensisse Principes volunt, quòd Moguntinus inter alia dixerat, esse Rudolpho sex filias eximiâ formâ atque indole præstantes, in quibus elocandis magna fore ad Principes inter se conjungendos momenta. Bohemorum historiæ dignitatem illam ad Regem suum Ottocarum delatam esse asserunt, qui dixerit, *malle se Regem Boëmiæ, quàm Cæsarem Germaniæ esse.* Id cùm à reliquis ejus moribus, vitæque instituto multùm abludat, potiores mihi Auctores sunt, qui summâ ope, & minaci ambitione eum affectâsse Imperium confirmant, neque per Germaniam tantùm Principum suffragia expugnare pecuniâ aggressum, sed Lugdunum quoque Legatos eâ de re cum loculis misisse: quibus auditis Gregorium, qui Rudolpho faverat, dixisse: *Nihil opus esse Sclavo, cùm in Germania multi egregii Principes inveniantur, inter quos nemo facilè Rudolpho sit potior.*

Varii proponuntur, sed his præfertur Rudolphus Habspurgicus.

Archiepiscopus Moguntinus Rudolpho studet.

Rudolphus Cæsar eligitur.

Falsa narrat Boëmici Scriptores.

Gregorius Pontifex Rudolpho studet.

Rudolpho igitur, qui tum bello cum Henrico III. Basiliensi Antistite implicitus, Basileam obsederat, nihil tale cogitanti nuncium in castra primum adfert Henricus Pappenheimensis Mariscalcus (uti vocant) Imperii, cui & exulibus quibusdam Basiliensibus gratu-

Rudolpho Basileam obsidenti nuncius electionis suæ adfertur.

gratulabundis cùm vix haberetur fides, ſequenti nocte ſupervenit Fridericus Zollerenſis, Burggravius Norimbergenſis, nepos Rudolphi ex ſorore, diploma principum & electionis decretum adferens. Rudolphus igitur Dei voluntatem jam agnoſcens, cujus nutu factum erat, uti ipſe multis inferior, omnibus præferretur, Baſilienſi bello defungi voluit, primaque luce eundem Burggravium, tanquam pacis arbitrum, in civitatem miſit, uti cum Epiſcopo de pace ageret. Prævenerat jam eò fama, & qui adhuc in Epiſcopi ſocietate erant, palàm dicebant; contra Rudolphum Comitem ſe quidem fœdus cum eo iniiſſe; at contra eundem jam Cæſarem deſignatum, arma ferre nefas ducere. Epiſcopus ea re vehementer attonitus, protenſâ in cælum manu exclamâſſe in hæc verba fertur: *O Chriſte! firmiter te in ſedili tuo contine, ne hic te Comes decutiat.* Mox pace compoſita, ex ſuis, qui hanc Rudolpho fortunam gratularentur, miſit: quos ſecutus ipſe, magno Nobilium ſtipatus comitatu, cum eo in gratiam rediit, multatus (uti habet Baſilæa ſacra) nongentis argenti marcis. Captivi utrimque redduntur, & Stelliferæ factionis cives Baſilienſes è nobilitate, Rudolphi partes contra Epiſcopum ſecuti, poſtliminiò indemnes in civitatem reſtituuntur. Briſacum Epiſcopo, Neoburgum Imperio addicitur. Non multò pòſt Rudolphus Cæſar, ubi Gregorium Pontificem, fautorem ſuum, Lauſannam veniſſe audiviſſet, ad eum, dicturus gratias, profectus eſt. Ibi Pontifex eum amplexus, electionem illi ratam eſſe juſſit in has conditiones, uti ante annum exactum Romam veniret; coronâ ſuſceptâ, ad liberandos à Barbarorum immanitate Chriſtianos in Aſiam trajiceret. Ad hanc Expeditionem ducenta aureûm numûm millia Pontificem promiſiſſe ferunt.

Pacem cum Epiſcopo Baſilienſi init.

Rudolphus Cæſar Pontifici dicturus gratias, eum Lauſannæ convenit.

Dimiſſo humaniſſimè Pontifice, Rudolphus cum Uxore Baſileam repetiit, ab omnibus civitatis ordinibus ſummo cum honore exceptus. Cives ei certatim gratulantes, denique tanquam Cæſari fidei ſacramentum præſtitêre, abolitâ veterum offenſarum memoriâ. Inde ſecundo Rheno, cùm & cæteri Principes in itinere ad eum veniſſent, deſcendit, & Aquiſgrani ſolemni ritu coronatur. Ibi cùm Principes, in ejus verba juraturi, tergiverſari aliquantulùm viderentur, quòd non omnes adeſſe dicerent, neque ſceptrum ad manus eſſet, Cæſar arepta Cruce, quæ propè aderat: *Hoc*, inquit, *ſignum, in quo humanum genus redempti ſumus, hoc ego Sceptro in omnes mihi, & Imperio infidos utar.* His dictis moti, qui aderant Principes, crucem exoſculati, ſacramenta dicunt. Antequàm verò Aquiſgrano diſceſſum eſt, Moguntino adnitente, Machtildis Rudolphi filia Ludovico Palatino; Agnes Alberto Saxoni; & Hedwigis Othoni Brandemburgico deſpondetur. Sed hæc Rudolphi glorioſiſſimi Cæſaris initia, à quo ter inclyta & potentiſſima Domus Auſtriaca genus ſuum ducit, hoc loco commemorâſſe ſuffecerit, plura volenti cumulatiſſimè ſubminiſtrabit Gerardus de Roo in Hiſtoria ſua Auſtriaca, à quo, quæ hìc indicavimus, mutuati ſumus. Nos ad Theobaldum redeamus.

Aquiſgrani ritu ſolemni coronatur.

Is adhuc Abbas exiſtens, hoc etiam meruit ſingulare, ut in ejus Cœnobio Theologorum Princeps Divus Thomas de Aquino, cui

ob lite-

ob literarum commercium addictissimus erat, dum ægrotans Cantica Canticorum explanaret, sanctitatis & miraculorum gloria illustris ad superos migraret nonis Martii anno nostræ salutis 1274. ætatis quinquagesimo, cui ad tumulum hanc addit Epigraphem Theobaldus: *In Ejus Cœnobio D. Thomas de Aquino sanctè moritur.*

Occidit hîc Thomas, Lux ut foret amplior orbi,
Et Candelabrum sic Nova Fossa foret:
Editus ardenti locus est, non Fossa Lucerna,
Hanc igitur Fossam quis neget esse Novam?

Theobaldus meritis plenus, quintô à Divi Thomæ obitu anno, qui fuit Christi 1279. Ecclesiæ habenas moderante Nicolao III. ex nimio cerebri fluxu ad pectus descendente suffocatus, vitam posuit: Cujus nonnulla ingenii monumenta, quæ me latent, quidam enumerant. *Obitus Theobaldi.*

Ejus mentionem faciunt Cathalogus Abbatum Fossæ Novæ. Gaspar Jongellinus in Purpura D. Bernardi. Ughellius Tom. 1. Italiæ sacræ. Ciaconius in Vita. & Alii.

ANNO 1277.

SEDENTE NICOLAO III. PONTIF. MAX.

De

LATINO FRANGIPANIO
S.R.E. CARDINALE.

LATINUS Frangipanius, posteà de Ursinis dictus, Romanus, (quem Joannes Villanus contra omnium Scriptorum sententiam Brancaleonum familiâ satum pronunciat) à Nicolao III. summo Pontifice, cujus ex sorore nepos erat, in Ursinorum familiam adoptatus, Lutetiæ Parisiorum juri Pontificio, & Cæsareo operâ data, Doctoratûs insignia magno cum plausu suscepit. Exinde altiori ductus spiritu Ordinem Prædicatorum ingressus, Magister primò Theologiæ; deinde Prior S. Sabinæ de Urbe; mox Definitor Capituli Provincialis Urbevetani; ac demùm ab Avunculo suo Nicolao III. non tam ob sanguinis propinquitatem, quam virtutis ac meritorum exigentiam, Episcopus Cardinalis Ostiensis & Veliternus creatus, ac Generalis Inquisitoris munere decoratus est circa annum Domini 1278. XCVI. *Jo: Villani sententia improbatur.* *Cardinalis à Nicolao III. renunciatur, Generalis Inquisitor constituitur.*

Virum hunc doctrina, & vitæ puritate præstantem cum Jacobo Columna Cardinale Nicolaus III. absens Urbis Rectorem primò mox Bononiæ ac Romandiolæ Legatum eo fine nominavit, ut Æmiliæ recuperatæ possessionem sedis Apostolicæ nomine iniret, additô ei præsidii loco Bertholdo Ursino viro strenuo, ac forti, qui armis eam Provinciam, ad defectionem novasque molitiones nimis proclivem, in officio, & fide contineret. Hic, cùm concionator eximius esset, maximâque dicendi facundiâ polleret, à Nicolao Avunculo sedis Apostolicæ Legatus mittitur in Tusciam ad Florentinos, ut sublatis eò loci dissidiis, pacem inter Guelphos & Ghibellinos *Variis Legationibus magnorerû emolumento perfungitur.*

bellinos componeret. Florentiam delatus, cultuque decenti exceptus, adunato pro concione Populo injuncti sibi muneris partes explicuit; concordiam, Reipublicæ benè administrandæ necessariam, multâ argumentorum congerie probavit; ac tandem pacem compositis discrepantium animis persuasit: Ne verò facilè in aperta iterum odia lubrici populi recrudescerent, mutuis utramque eorum factionem matrimoniis (à quibus hactenùs abhorruerant) conjunxit, devinxitque. Urbis magistratum ex octo Primariis Guelphis, ac totidem Ghibellinis constituit, eisdemque formam ritè administrandæ Reipublicæ præscripsit: Refractarios statutis pœnis & suppliciis compescuit; obsequentibus Romanæ sedi, benignitatis radios exeruit; Hæreses ob continuos belli tumultus impunè grassantes eradicavit. In eos, qui Inquisitores fidei injuriis Parmæ affecerant, censuris Ecclesiasticis; atque exilio animadvertit: Bona Ecclesiæ Romanæ, malæ fidei possessoribus erepta, sedi Apostolicæ asseruit. Auctoritatem Romani Pontificis adversùs plurimos, oppositis armis, & congressibus sæpè cruentis vindicavit. His aliisque similibus sobriè, prudenterque gestis, magna cum gloria ad Urbem rediit.

Florentinos præclaris institutis reformat, ac pacificat.

Nicolao III. inter hæc è vivis sublato, cùm summus cleri ordo novum Pontificem suffragio designaturus Viterbii convenisset, Richardus de Hannibaldensibus Conclavis Custos, Ursinis infensus, Ursum defuncti Pontificis pernecessarium, Viterbii Prætorem Magistratu deiecerat. Id indignè ferentes duo Ursinæ gentis Cardinales Matthæus & Jordanus, qui comitiis intererant, communicato cum Latino consilio palam fremere; contestarique cœperunt, se non passuros novum Pontificem, nisi honor per iniuriam Urso ademptus priùs restitueretur. Viterbienses Ursi imperium perosi, Richardi impulsu, tumultuantes Conclave irruperunt: & duos Ursinæ gentis Cardinales, vi abstractos in carcerem compegerunt, Latino interim fugâ dilapso. Videantur, quæ de hac Viterbiensium seditione suprà numero 92. in Matthæi Cardinalis vita commemoravimus.

Viterbiensium tumultû ac seditionem fugâ declinat.

Post Nicolai IV. obitum cùm Cardinales numero duodecim, Romani sex, Italici quatuor, Galli duo, novum designaturi Pontificem in gravissimas, & Ecclesiæ multùm perniciosas factiones discessissent (nam eorum aliqui, quorum Princeps erat Matthæus Cardinalis Ursinus, studiosum Caroli Regis Siciliæ Pontificem ambiebant; alii è contrariò, quorum antesignanus Jacobus Cardinalis Columna habebatur, Italum Ecclesiæ addictum affectabant: quo Patrum dissidio res in longùm protrahebatur) Latinus Episcopus Ostiensis nervosa, atque eleganti ad Cardinales habita oratione, eorum animos ita delinivit, convicitque, ut initâ neutiquam speratâ concordiâ, positisque affectibus, post longam sedis Romanæ vacationem (caruerat enim duobus jam integris annis, mensibus tribus, die uno) Petrum à Murone Eremitam, Cœlestinorum Congregationis Patriarcham & Fundatorem, in Apulia tunc quadam sub specu latitantem; corporique macerando, & cœlestium rerum contemplationi intentum, Romanum Pontificem sub nomine Cœlestini V. salutaverint.

Cœlestino V. ad summum rerum Auctor est.

His

His peractis, Latinus paulò pòst, ut inquit Ptolomæus Lucensis, lethalem in morbum ex senio, laterumque dolore contractum incidit: susceptisque ad immortalitatis iter Ecclesiæ Sacramentis, non sine sanctitatis opinione, v. Idus Augusti anno à Christo nato 1294. animam exhalavit Perusii. Cineres ejus Romam translati, nobilem in marmoreo Sarcophago ad Minervam sepulturam obtinuerunt. Ferunt Latinum Cardinalem viventem, ac mortuum miraculis claruisse. Paulus Cortesius doctorum virorum Encomiastes inter alia hòc eum exornat elogiò: *Latinus Romanus sic dicendo illa ætate valuit, ut Florentiæ seditiosam discordiam oratione sedârit; plebisq́; intercessione sublatâ, quatuordecim Viratum dicendo statuerit, cui esset à tota Civitate parendum. Itaq́; eam orationem, quæ ab eo est in concione habita, scriptam reliquisse fertur, quæ simul & cauta & prudens, atque verborum concinnitate nitens erat.* Alibi his verbis describitur Latinus:

Perusii vitâ sanctâ morte concludit.

Pauli Cortesii de eo Elogium.

Erat aspectu venerabilis, ore decorus, sermone blandus, judicio maturus, consilio gravis, moribus comis, fide integer, & vitâ probatissimus. Primum in Ecclesia S. Mariæ Novellæ Ordinis Prædicatorum Florentiæ lapidem die S. Lucæ sacro posuit. Monasterium S. Sabinæ in Urbe Roma insigni, & exquisita Bibliotheca ornavit, annuisque redditibus auxit; Sacrarium ejusdem Cœnobii sacris vestibus gemmis & auro gravibus locupletavit: id quod pari liberalitate pluribus aliis Romanæ Provinciæ sui Ordinis Monasteriis præstitit. Fuit pauperum amator studiosissimus, ac Religiosus in paucis egregius, consanguineis, ac propinquis nihil ultra vitæ necessaria elargiens. Narrant aliqui Latinum Ecclesiam S. Salvatoris in Lauro de Urbe construxisse; sed hos errare incomperto est, nam alius ab hoc nostro Cardinali Latinus de gente pariter Ursina illam excitavit, pro ut ex illius Ecclesiæ monumentis, inscriptione, & anno exploratum habetur.

Qualis fuerit? & qua porrò gesserit? Ejus munificentia in Deum, & homines.

Cùm verò doctissimus esset Latinus, multa ingenii sui monumenta posteritati M. S. reliquit, ut videre est in Bibliotheca Ordinis Prædicatorum Romæ. Inter alia celebrantur apud Eisengrenium Poëmata quædam de B. Virgine Maria, eleganti stylo conscripta, quorum exemplar in lucem produxit in sua Purpura Mariana Hippolytus Marraccius è Congregatione Clericorum Regularium. Scripsit etiam Prosam, quæ in missa Defunctorum hodiedum canitur: *Dies ira, dies illa &c.* Quam tamen aliqui Divo Bonaventuræ; aliqui S. Bernardo attribuunt. Latini nihilominùs genuinum esse fœtum agnoscunt probati Auctores. Edidit insuper sermones de Tempore & de Sanctis. Orationes item elegantes coram Cœtu Cardinalium diversis temporibus habitas.

Scripta ejus.

Author sequentia creditur.

Ejus meminêre, Odericus Raynaldus in Annal. tom 14. Hippolytus Marraccius in Purp. Mariana. Ptolomæus Lucensis. Leander Albertus. Antonius Senensis in Bibliotheca Prædicat. Hieronymus Garimbertus. Ciaconius in Vita. Ughellius tomo 1. Ital. Sacr. Aliiq́.

ANNO

ANNO 1277.

SEDENTE NICOLAO III. PONTIF. MAXIMO.

De

MAGISTRO BENTIVENGA S.R.E. CARDINALE.

XCVII. MAGISTER Bentivenga de Bentivengis doctus, ac nobilis Umber, Aquaspartæ exiguo Tudertinæ Diœcesis Oppido natus, Ordinem Minorum sexto decimo ætatis anno ingressus est Tuderti; In eo cùm plurimùm pietate & doctrina profecisset, Magistri Theologiæ titulos, & Cathedram adeptus est. Is successu temporis ex Umbriæ Provinciæ Custodiâ Episcopus primò Tudertinus à Joanne XX. dicto XXI. mox à Nicolao III. (cui à confessionibus, & sacrificiis erat) Episcopus Cardinalis Albanensis, ac Major Pœnitentiarius renunciatus, eundem Nicolaum Pontificem eò permovit, ut pro impetranda à summo Deo in perturbatissima Republica Christiana pace, publicas toto Orbe indicendas preces decreverit; atque in hunc finem orantibus largissimas ex Apostolico thesauro Indulgentias proposuerit, quatenùs cœleste Numen Regum, ac Principum Christianorum animos ad mutuam concordiam inclinare; eorumque arma in communem omnium hostem Soldanum Babylonis, qui terribili instructus exercitu, ultimam Christianis Orientalibus ruinam minitabatur, convertere dignaretur. Quod & factum.

Episcopus Tudertinus, mox Cardinalis Episcopus Albanensis, ac major Pœnitentiarius efficitur.

Pontificem ad indicendas adversùs Sarracenos publicas preces inducit.

De eo Paulus Cortesius hæc habet: *Bentivenga Tudertinus Episcopus, inter alia maximè laudari poterat, propterea quòd ab eo in Theologia scripta ferantur, quæ jam aut vetustate arefacta latent, aut in publicum suppostitii nominis usurpatione prodierint.* Divum Thomam Aquinatem, doctrinâ & sanctitate illustrem annis plurimis Discipulus audivit; eundemque multis amicitiæ signis, & officiis perquàm studiosè excoluit. Qui tandem multis pro Ecclesia exantlatis laboribus clarus, dum Nicolai IV. Pontificis jussu Legatione in Umbria fungeretur, subita prostratus apoplexia excessit è vitâ Tuderti VII. Kal. Aprilis anno Dominicæ Incarnationis 1289. Sepultus in Ecclesia S. Fortunati apud Minores, ut scribunt Ciaconius, & Petrus Rodulphus, quibus potiùs inhærendum judicaverim ex Waddingo, quàm Mariano asserenti Romæ mortuum anno salutis 1280. & ad suos Consodales S. Mariæ de Ara Cœli sepulcro donatum.

Pauli Cortesii de eo testimonium.

Obitus ejus & Scripta.

Scripsit Veritatis Theologicæ Volumen,
Postillas in aliquot S. Scripturæ libros.
Sermones de tempore.
Summas varias.

Ejus meminêre Registra Pontificum sui temporis. Gaspar Jongellinus in Elogiis Cardin. Min. Lucas Waddingus de Script. Min. Ciaconius in Vita. Ughellius tom. 1. Ital. sac. Oldoinus in addit. ad Ciaconium.

ANNO

ANNO 1277.

SEDENTE NICOLAO III. PONTIF. MAX.

De

ROBERTO KILWARBIO S.R.E. CARDINALE.

ROBERTUS Kilwarbius, quem alii Hilwardeyum appellant, cognomento Biliberi, natione Anglus, iactis in patria primis litterarum fundamentis, ad Parisiensem Academiam, viris ea tempestate ut doctissimis, sic & sanctissimis florentem, se contulit: in qua scientiarum Palæstra (suffragante præsertim docili ejus ingenio) eos brevi fecit progressus, ut susceptis omnium plausu Doctoratûs insignii, publicè in eadem Academia, quas didicerat, docuerit scientias. Interim ne inter vanos hominum plausus, qui pari, eâdemque sæpiùs celeritate & enascuntur & pereunt, æternæ salutis negotium in discrimen adduceret; divino sese famulatui in sacro Prædicatorum Ordine devovere decrevit, addixitque. Tribus à tyrocinio transactis annis, in patriam redux, sacrarum litterarum studium amplexus, non modò Theologiam accurrentibus undique invenibus tradidit; sed & ingenii præstantia, ac doctrinæ gravitate æquales suos longè antecessit. Exinde totius Ordinis Provincialis, reluctans licèt, creatus, munus illud decennio summâ prudentiâ, dexteritate, atque integritate rexit. Quo elapso à Gregorio X. excellentia virtutis ejus & doctrinæ famâ excito, ad preces Henrici III. Angliæ Regis Archiepiscopus Cantuariensis, & Angliæ Primas Anno salutis 1272. renunciatus, sexto pòst anno à Nicolao III. Episcopus Cardinalis Portuensis & S.Ruffinæ electus est. XCVIII.

Sacras litteras Parisiis profitetur, ordinemq; Prædicatorû ingreditur.

Archiepiscopus Cantuariensis, ac mox Episcopus Portuensis efficitur.

Anno 1275. Robertus Eduardum IV. Angliæ Regem diademate regio præsentibus Regina matre, Alexandro III. Scotorum Rege, & Joanne Britanniæ Duce, suis affinibus; Episcopis item totius Regni, Abbatibus, & Proceribus, incredibili omnium pompa ac plausu cohonestavit. Synodum Londini celeberrimam ac maximè utilem coëgit, in qua præter alia ad forum spectantia, saluberrimos Canones ad depravatos Clericorum mores corrigendos edidit. Patribus Dominicanis insigne Cœnobium, adjectis annuis redditibus, unde victum ad Dei servitium ritè peragendum transigere possent, erexit, librisque selectissimis, eorum Bibliothecam referfit.

Angliæ Regẽ solemni pompa coronat; ac Synodum Londini pro Cleri reformatione celebrat.

Gratus, jucundusque fuit Eduardo Regi, regnique proceribus ob excellentem doctrinæ, & sanctæ conversationis opinionem, quorum studiô & operâ Archiepiscopus Cantuariensis (ut suprà dictum) designatus, eorum consortio & familiaritate domi suæ frequenter potitus est. In Purpure dignitate constitutus, vestem Divi Dominici, cujus consors Ordinis erat, nunquam dimisit: religiosæ humilitatis, & observantiæ apprimè tenax, itinera quæcunque pedibus semper confecit, nullô nisi duorum fratrum, totidemque famulo-

Humilitas ejus memorabilis.

Ejus meminère Antonius Senensis in Bibliotheca Prædicatorum. Franciscus Maria Turrigius de Scriptoribus Cardinalibus. Nomenclator Cardinalium. Aubery in Vita. Lucas Waddingus tom. 3. Ann. Min. Nicolaus Harpsfildius in hist. Ecclesiast. Anglicana. Pitsæus de Scriptor. Anglic. Ciaconius in Vita. Ughellius Tomo 1. Ital. sacra. Parisius citatus. & Alii.

ANNO 1277.

SEDENTE NICOLAO III. PONTIF. MAXIMO.

De

GERARDO BLANCO
S.R.E. CARDINALE.

XCIX.

Primordia ejus exigua.

GERARDUS Blancus ex Villa *Gainaco* Diœcesis Parmensis, Italus, filius honesti, sed pauperis viri, victum arte quærentis. Is à puero operam suam ad literarum rudimenta contulit sub Pandulphi viri docti disciplina, quorundam concreditorum sibi puerorum Institutoris. Ab eo cum amplissimo benè navatæ operæ testimonio dimissus, Parmam Jurisprudentiæ vacaturus se contulit; ubi, ne egenti victus deesset, Pædagogi munere aliquamdiù apud nobilem, ac opulentum civem functus est. Studium interim suum toto ille conatu ad Juris-utriusque scientiam consequendam applicuit, in qua exiguo temporis intervallo tam longè processit, ut Doctoris Lauream omnium Magistrorum votis adeptus sit. Obtento deinde Patronorum operâ honesto in Ecclesia Parmensi Beneficio Romam petiit, ad jus suggerendum nobili cuidam civi Parmensi ea in Urbe judiciô cum extraneo quodam contendenti: quam litem usque adeò prosperè, prolatis in contrarium argumentis, confecit, ut principis causarum Patroni famam apud omnes collegerit. Eapropter ex Canonico Parmensi Protonotarius primò Apostolicus; mox Presbyter Cardinalis Basilicæ sanctorum duodecim Apostolorum à Nicolao III. renunciatus, demùm sub Martino II. dicto IV. Infulam Sabinensem promeruit.

Miros in Jurisprudentia progressus facit.

Ad Purpurã, & Infulam Sabinensem evehitur.

Variis Legationibus perfungitur.

Legatus Nicolai III. cum Hieronymo Cardinale Asculano, posteà ad summam rerum, sub Nicolai IV. nomine, evecto, in Hispanias profectus, pacem inter dissidentes Franciæ, & Castellæ Reges firmavit. Romam redux, mox alteram legationem à Martino II. dicto IV. ad Carolum Siciliæ Regem sibi demandatam habuit, quam sub Honorio IV. ejusque successore Nicolao pariter Quarto continuavit, arduam sanè, oppidoque difficilem, eo tempore, quo Siculi à Carolo desciscentes, Petrum Aragoniæ Regem in Insulam, cæsis multis millibus Gallorum, receperant. Legatus cum Carolo Rege ad expeditionem Siculam profectus, eidem fideli opera usque ad Messanensium obsidionem adhæsit. Messanenses arctè obsessi, diuque afflicti, cùm se, deficiente præsertim annonâ, Regis viribus impares esse cognoscerent, missis ad Gerardum Legatum Oratoribus enixè postularunt, ut ipse urbem ingressus, æquas pacis conditio-

Messanensiũ Obsidioni interest; eorumque causam suscipit.

nes pro rerum exigentia condere; Regique offerre dignaretur: quarum summa hæc fuit. Ut Rex injuriarum oblitus, memorque clementiæ petitam supplicibus veniam impertiretur. Ne plùs tributi, aut vectigalis deinceps pendere cogerentur, quàm majores eorum Regibus Guiscardis persolvissent. Ne Præfectos & Magistratus Gallos in Insula crearet, sed Provinciales dumtaxat ex veteri more & lege constitueret. Carolus, adversante licèt Gerardo, has conditiones, ut parùm honorificas aspernatus, nullis eos nisi belli legibus in deditionem accipere volebat, dira interim quæque non obtemperantibus minitans; nec varios belli eventus attendens. Messanenses sævum Regis animum admimadvertentes, obstinatiores facti Legato nunciant, nulla se ratione Urbis deditionem facturos; quin potiùs ultima quæque passuros, ac nominatim filios, si fames urgeret (Urbe incendiô deleta) devoraturos, intollerabile jugum Gallorum esse, qui justis precibus flecti nollent, mille convitiis vociferantes. Legatus, qui saniora suaserat, dolens nihil apud contumaces se proficere; urbe interdicto suppositâ, eâque relictâ rediit ad Regem, qui paulò pòst inopinato adventu classis Petri Regis Aragonum perterritus, arreptâ fugâ, obsidione submotus est. Inter hæc Carolo Regis filio à Rogerio de Doria ingenti strage propè Neapolim victo, captoque; cùm Neapolitani, Gallos perosi, rebellionem agitarent; superveniens cum exercitu Rex, eâ perfidiâ irritatus, urbem incendio tradere constituerat; à quo proposito Legati precibus avocatus, præcipuos nihilominùs tumultûs Auctores (quorum centum quinquaginta numerabantur) ultimô suppliciô affecit: atque ita aliquantisper quiete potitus est.

Messanenses in gratiam Caroli Regis interdicto supponit.

Neapolim ab incendio liberat.

His peractis Legatus ex mente Pontificis nonnullas arces ditionis Ecclesiæ Romanæ in Regno Neapolitano sitas Carolo Regi, præsidio militari communiendas tradidit; imò cùm Siculorum pertinacia nullis hortationibus flecti, nullisque minis frangi posset, explicatis in eos Crucis vexillis & signis, amplissimam in bello contra eos occumbentibus peccatorum condonationem proposuit: Ipseque præsens nervosas de induenda cruce conciones habuit, atque aliis præstantibus viris, ut idem facerent, munus commisit. Cùm autem Rex ob improsperos belli successus, mœrore animi sensim tabefactus è vita excessisset, ne Regnum, detento ab hostibus in Catalano carcere Carolo II. demortui Regis filio, sine certo moderatore fluctuaret, Honorius IV. Pontifex Maximus (ad quem supremi jus imperii in Siciliam & administratio tum ex veteri instituto; tum ex pactionibus cum defuncto Rege initis spectabat.) Gerardum Legatum, & Robertum Atrebatensem Comitem, Regiæ Siculæ Procuratores instituit. Susceptas ab his Regni habenas meminit etiam Chronici Suessani Scriptor, sed in eo emendandus, dum illa auctoritate à Carolo instructos, inspecto rerum exitu, putavit. *In prædicto*, inquit, *Regno Siciliæ Carolus Rex reliquit Gerardum Legatum & Robertum Comitem Atrebatensem Baiiios Regni Caroli ejus primogeniti, & tempore ejus Dominum Carolum dimisit sub protectione & defensione sanctæ Romanæ Ecclesiæ.* Gerardus Regnum procuratorio titulo suæ curæ commissum, summâ prudentia, fidelitate, & vigilantia administravit; usque

In Siculos pertinaces crucis vexillum explicat.

Carolus Siciliæ Rex ex animi mærore moritur.

Siciliæ Procurator jussu Pontificis constituitur.

usque quo Carolus II. captivus, libertate donatus suæ spontis, & arbitrii esset. Extant in Regni Tabulariis plurima Instrumenta Gerardi titulo in hæc verba obsignata: *Gerardus S. R. E. Cardinalis, Episcopus Sabinensis Regni Ballius*. Carolus intereà II. cùm paulò pòst in libertatem assertus esset; præstitoq; Pontifici fidelitatis sacramento Regni gubernacula suscepisset, dictis Legato pro impenso sui causâ labore gratiis, summo eum honore regiisque affectum muneribus dimisit; atque illius amore Jacobo Blanco, Legati Cardinalis Nepoti, magnificas Ædes, in perpulchro urbis loco sitas dono dedit: cujus donationis plura invenies apud Camillum Tutinum in Historia familiæ Blanchæ. *A Carolo II. Siciliæ Rege muneribus afficitur.*

Gerardo vixdum Romæ appulso aliam mox legationem injunxit Nicolaus Pontifex ad Francorum, Anglorum & Arragonum Reges. Causa legationis erat, ut gravissimas simulates, inter eos exortas, ac proximè in apertum bellum erupturas, extingueret; pacem procuraret; eorumque arma in mutuas cædes jam jam districta, in Sarracenos, communes Christiani nominis hostes converteret. Pontificis imperia Legatus adimpleturus, arduo itineri se mox committit; suaque dexteritate rem brevi eò perduxit, ut Pontifex intra spacium sex mensium, Reges mutuo fœdere copulatos, ad obsequia paratos & in Sarracenos pugnantes haberet. Ea occasione Legatus Ecclesiæ etiam necessitatibus consulturus, ad expurgandos depravatos Ecclesiasticorum mores animum adjecit; insigni Decreto in hunc finem edito, & publicato, quo jussi sunt Clerici omnes, cujuscunque Ordinis, & dignitatis essent, intra bimestre concubinas, quarum infami consortio passim infecti erant, à se abigere: incussis intermittendi muneris, atque sacerdotii amittendi pœnis, si eas vel in propriis, vel alienis ædibus retinerent. Ne verò Archiepiscopi, Episcopi, aliique Ecclesiasticorum Rectores in exequenda statuti Decreti severitate remissiores essent, iis sacrorum usum, atque ingressum Ecclesiæ, si injuncto muneri deessent, interdixit. Quòd si muneribus corrumpi se paterentur, accepti duplum in pios usus derivandum, atque ab officio removendos sanxit. Conquerentibus verò mox Præsulibus legis hujus acerbitatem majora parituram discrimina, ac nimis facilè exercendi muneris potestatem ereptum iri; tum iniquum videri nullam ipsorum dignitatis habitam rationem, ac Patriarchas, Archiepiscopos, Episcopos iisdem, ac cæteros inferioris Ordinis Clericos pœnis subjici, Nicolaus IV. re perpensa, Decreti rigorem mitigaturus sanxit, ut lex in inferioris Ordinis Clericos dumtaxat valeret; in Præsules verò ex Canonicis sanctionibus, si muneri deessent, animadverteretur. Quo prudenti temperamento Legati simul honori, Præsulumque dignitati, ac Clericorum integritati egregiè providit.

Legatus ad Gallorum & Anglorum Reges missus, eosdem dissidentes pacificat.

Clerum proscripto concubinatu in ordinem redigit.

Gerardus posteà Romæ allapsus, rebus ubique ad mentem Pontificis pro Ecclesiæ commodo & incremento compositis, senio, meritisque gravis, Romæ ipsis Kalendis Maji anno à Christo nato 1302. mortalitatem exuit: sepultus in Laterano cum prolixo, sed barbarè scripto Epitaphio, res ab eo gestas continente: quod refert Oldoinus in additionibus ad Ciaconium. *Obitus ejus.*

 Dum

Ejusdem pietatis monumenta. Dum viveret Gerardus Ecclesiam Parmensem, in quo est fons Baptismatis, annuis redditibus; ejusdemque urbis principem Basilicam ære campano donavit. Monasterium & Ecclesiam sancto Martino dedicatam à fundamentis erexit. Romæ in Basilica Lateranensi sumptuosum Altare Divæ Mariæ Magdalenæ ad honorem in media Ecclesiæ navi propè Odæum consecravit: quod deinde successu temporis inde amotum, tumulo Martini III. dicti V. locum fecit: ipsum verò Altare ad dextrum latus prope Parastatam translatum est, ubi usque ad proximam Basilicæ restaurationem ab Innocentio X. factam, superfuit.

Quæ scripserit? Scripsit plurima ad Jurisprudentiam spectantia.

Constitutiones pro reformando Clero.

Sermones aliquot.

Ejus mentionem faciunt Ranucius Pius in Apendice ad Sanctos Parmenses. Camillus Tutinus in hist. familiæ Blanchæ. Hieronymus Garimbertus in Vitis Pontif. Aubery in Vita. Panvinius de Rom. Pontif. Odericus Raynaldus in Annal. Bzovius tomo 13. Annal. Waddingus tomo 2. Annal. Min. Historia Siciliæ. Nomenclator Cardinalium. Ciaconius in Vita. & Alii.

ANNO 1281.

SEDENTE MARTINO II. DICTO IV. PONTIF. MAX.

De

HUGONE ATRATO
S.R.E. CARDINALE.

C. HUGO Atratus, natione Anglus, à patrio oppido cognomentum de Evesham sortitus, parentum cura, & docili præprimis indole, ac fertili ingenio suffragante, prima cùm virtutis, tum litterarum fundamenta posuit domi inter coætaneos tam admirabili quidem, & erudito præ cæteris profectu, ut vel invenis adhuc sæculi sui Phœnix (teste Pitsæo) omnium ore sit dictus. Vir summa postmodùm eruditione præcipuus, & in arte Medica, ut Ciaconius loquitur, in paucis egregius, qui ex continua illustrium Gymnasiorum, ac doctorum virorum frequentatione, totâ sensim Europâ inclaruit. Medicinæ studiis jucundam Mattheseos cognitionem sic immiscebat, ut dubio locum fecerit, præstantiornè Medicus, an Mathematicus fuerit? Tanti igitur viri famâ permotus Martinus II. dictus IV. eundem anno reparatæ salutis 1281. (exortis Romæ circà rem medicam, ob grassantia variorum morborum contagia, difficillimis quæstionibus) ad Urbem ex Angliâ vocavit, ut ejus inter alios Medicorum peritissimos sententiam coràm perciperet. Quæstioni itaque admotus, non modò conceptæ de se opinioni abundè satisfecit; sed & omnium spem atque exspectationem, doctissimis in medium prolatis rationibus, longè superavit; ut Auctor est laudatus Joannes Pitsæus de Scriptoribus Anglicanis. Quapropter eum sacerdotio jam jam initia-

Romam à Pontifice vocatur, ac paulò post purpurâ condecoratur.

tum

tum Martinus Pontifex in vicem præmii & gratitudinis sacro Purpuratorum Collegio titulo Presbyteri Cardinalis S. Laurentii in Lucina adscripsit; variisque legationibus obeundis diversis temporibus præfecit. Quæ autem legationum causæ vel genera fuerint? cùm Auctores non prodant, in certùm manet. Conjectura tamen est, illum ad Petrum III. Aragoniæ Regem, Legatum fuisse missum, explorandi causâ, quid sibi vellent maximi apparatus bellici, quos Rex clanculùm nullo lacessitus bello, instruxerat? Allapsus itaque Cæsaraugustæ Regem ex pontificio nomine super ea re percontatur: cui Rex, *in Sarracenos proximè moturus, me præparo*, Instanti verò Legato, contra quos Sarracenos? *id se jam nolle aperire*, reposuit Rex: addens, *quòd si altera ex ejus manibus id sciret, eam se protinùs amputaturum, quò res occultior esset*. Non diu tamen arcanum hoc in tenebris delituit, sed maximo paulò pòst Gallis exitio in publicùm prorupit. Siquidem Anno salutis 1282. Siculi nobiles (quorum motum Petrus in Sardinia eo apparatu instructus exspectabat) superbiam, libidinem, petulantiam, avaritiam, & truculentos Gallorum mores ampliùs sufferre nequeuntes, Joannis Procitæ, (qui olim Manfredo Regi à consiliis & medicina fuit) suasu, hortatione, & miro astu, in Carolum & Gallos omnes, validam conjurationem hac lege inierunt, ut cùm primùm die Paschæ Vesperarum sonus è turri exaudiretur, ubique Galli, nullo sexûs, ætatis & ordinis habito discrimine, ad internecionem totâ Insulâ cæderentur. Qua in re ab exagitatis Siculis ita sævitum est, ut & mulieres Gallico compressu prægnantes (ne ulla inteneri generis proles superesset) necatæ tradantur. Atque ita cælis una die Gallis omnibus, Regnum Siciliæ Petro Aragonum Regi conciliatum est.

Legatus ad Petrum Aragonium mittitur. Ejus cum Rege colloquium.

Conjuratio in Gallos Auctore Joanne Porcita excitatur.

Vespera Siciliana.

Carolus, qui tum in Hetruria erat, perceptâ Siculorum defectione, & immani eorum sævitia, magnis itineribus Romam ad Pontificem, Petrum & Siculos super ea injuria & rebellione accusaturus, properavit. Pontifex Regis calamitati compatiens, ad instaurandum in Siculos bellum, commeatum, aurum & opem Gallis promisit; scriptisque ad Petrum Aragonium litteris, gravissimis eum sententiis objurgavit: cui Petrus se misericordiâ motum, calamitoso populo, & servilem in modum à Gallis vexato petitum auxilium denegare non potuisse; quamquàm id quoque Regnum jure sibi hæreditario deberetur ob uxorem Constantiam, Manfredi olim legitimi Regis filiam, quo Carolus Usurpator, occisô priùs ejus patre, impiè eam spoliâsset.

Crescentibus verò ultrò citròque jurgiis, tandem Pontifex, Carolo gratificaturus, Petrum regiis titulis privatum anathematis sententiâ percussit, Regnumque ejus, laxatis fidelitatis sacramentô Aragoniis, in Carolum Philippi Francorum Regis secundo genitum contulit; ac Cruce signatos contra eum, tanqua bonorum Ecclesiasticorum invasorum, concitavit. Litteras Martini Pontificis, lati in Petrum anathematis indices refert Everhardus in Chronico. Plura de Petro Aragonio, ejusque vitæ exitu, numero proximè sequenti dicturi sumus.

Pontifex Carolo gratificaturus Petrum Aragonia Regem regno privat & anathemate percutit.

Reverso inter hæc ex Sicilia Hugoni Pontifex ob summam ejus

Hugo Minorum Ordini egregiè patrocinatur. doctrinam, discutiendam tradidit Declarationem Regulæ Minorum, à Nicolao III. annis abhinc tribus in gratian Minorum conscriptam ad reprimendos quorundam insolentes ausus, refrænandasque æmulorum impudentes detractiones; qui Minorum vitæ & Regulæ turpiter obloquebantur. Hugo Seraphico Ordini egregiè patrocinatus, obiit tandem ex peste circa salutis annum 1287. postquàm egregium de lue pestifera, quæ tum maximam hominum utriusque *Lue pestiferâ extinguitur.* sexûs stragem ediderat, Tractatum conscripsisset, sepultus est in Basilica S. Laurentii in Lucina, in marmoreo & eleganti Monumento, quod extare prope Sacristiam sine ullo elogio affirmant Ciaconius & Nomenclator Cardinalium, contra eos, qui Hugoni defuncto sequens incultum inscripsêre Epitaphium:

Putatitium Ejus Epitaphium.

Hac in Capella latet Orbis fulgida stella,
Cujus fulgore, Templum hoc fuit in honore.
Francia Legatum suscepit eum sibi gratum,
Formam virtutum, Anglorum nobile scutum
Hic vir compositus, vir verax, virq; peritus,
Justus, munificus; Papa specialis amicus.
Hinc mecum plores Hugonis funera, & ores
Ut post hos flores, fructus capiat meliores.

De illo hæc habet Paulus Cortesius: *Hugo Atratus habitus est Theologicam scientiam doctus, qui maximè tum princeps Genealogia Christi humana explicanda fuit: ex qua cæteris postea aditus facilior ad interiora enodanda patuit.*

Laus & scripta Ejus. Scripsit inter alia Medicinales Canones.
Problemata varia.
Super opere febrium Isaac.
Distinctiones Prædicabiles.
Tractatum de Peste.
De morbis curandis.
Postillas super Biblia.
Genealogiam Christi Humanam.

Ejus mentionem faciunt Aubery in Vita. Paulus Cortesius Nomenclator Cardinalium. Ciaconius in Vita. Joannes Pitsæus de script. Anglic. Ughellius in addit. ad Ciaconium. & Alii.

ANNO 1281.

SEDENTE MARTINO II. DICTO IV. PONTIF. MAXIMO.

De

JOANNE CHOLETO
S. R. E. CARDINALE.

CI. JOANNES Choletus, natione Gallus ex Oppido Nointre Diœcesis Bellovacensis, patre Eduardo Equite & Domino dicti Oppidi procreatus, canonum & legum Ecclesiæ peritissimus, Francorum Regibus Philippis Audaci & Pulchro charissimus, ex Canonico Bellovacensi, vel (ut placet Brulio in Annalibus Luteti-

anis)

anis) ex Præsule Bellovacensi, à Martino II. dicto IV. Presbyteris Ecclesiæ Cardinalibus titulo S. Cæciliæ adscriptus, in fratrem habuit Odonem Abbatem ad S. Lucianum, virum ea ætate doctrinâ, morumque integritate conspicuum. *Cardinalis à Martino II. dicto IV. renunciatur.*

Anno æræ Christianæ 1283. legationis munere functus ex imperio Martini ad Eduardum Anglorum Regem, ut indictum singulare certamen inter Carolum Neapolitanum & Petrum Aragonium Reges, impediret. In litteris pontificiis Eduardo Regi ex Urbe veteri nonis Aprilis prædicti anni scriptis, hæc de Joanne leguntur: *Dilectum filium nostrum Joannem tituli S. Cæcilia presbyterum Cardinalem, virum utique grandi scientia praditum, prudentia & morum honestate decorum, quem sua probitatis obtentu grandi affectione prosequimur, ad te, ut ejus consiliis in his, qua propositurus est, aquiescas, duximus destinandum &c.* *Legatus ad Angliæ Regê constitutus singulare certamen Regis Siciliæ & Aragoniæ impedire conatur.*

Ut autem hæc probè intelligantur, sciendum est, Carolum Siciliæ Regem & Petrum Aragonium ob *Vesperas*, quas vocant, *Sicilianas*; seu potiùs immanem lanienam à Siculis in Gallos excitatam (de qua numero 100. disseruimus) maximis inter se dissensionibus collisos, mortali odio conflagrâsse. Crescentibus itaque in dies magis magisque eorum jurgiis, tandem ex Caroli provocatione res ad singulare certamen deducta est, hac conditione: ut uterque Regum centum sibi ad certamen commilitones ex nobilitate selectos ascisceret. Locus pugnæ decretæ apud Burdegalam in Regis Anglorum Eduardi, qui utriusque Regis affinis erat, ditione designatus est. Rex Carolus, filio ad Regni curam relicto, præfixa die ad locum certaminis se contulit: Petrus itidem, relicto in Sicilia secundo genito Jacobo Burdegalam abiit. Stata pugnæ die adfuit Carolus, ubi cùm usque ad vesperam, nemine ex adverso comparente, exspectâsset; se delusum conquerens, cum indignatione discessit. Illicò sub vesperam advenit Petrus, itineris difficultatibus retardatus, qui Carolo non invento, ejus apud Judices contumaciâ accusatâ, & ipse fremens ad sua regressus est. Pontifex tantorum Principum vitæ & sanguini consulturus, Joannem Choletum ad Eduardum certaminis arbitrum cum litteris expedivit, rogans ut quocunque modo, interdictam ab Ecclesia pugnam impediret, Regesque sanguine & affinitate conjunctos, mitiori via ad ponenda odia, pacemque amplectendam reduceret. Eduardus Pontifici gratificaturus, submissis nunciis, Reges concursuros, à concepto certamine amolire; atque propositis pacis conditionibus, mutuò conciliare strenuè satagit. Verùm adversante maximè Petro, qui Regnum Siculum hæreditario sibi jure deberi asseruerat, omnis conatus Eduardi supervacaneus fuit. Eapropter Martinus Pontifex Petro iratus, eum anathemate percussum Regno privavit; illudque Carolo Valesio Philippi Audacis Francorum Regis filio contulit. Latâ itaque in Petrum Aragonium, veluti Siciliæ invasorem excommunicationis sententiâ, Pontifex Joannem Legatum in Gallias misit, ut eundem, per censuras fidelium cœtu dejectum, omnique honore regiô exutum publica præconis voce denunciaret; atque Aragoniam ex Romanæ Ecclesiæ nomine Carolo Valesio Philippi Regis secundo-genito vectigalem traderet, eundemque tanquam legitimum possessorem

Carolus Siciliæ Rex Petrum Aragonium ad singulare certamen provocatur.

Regum dissensiones Eduardus in cassum componere nititur.

Petrus Aragonius Regno privatur, & anathemate percutitur.

Aragoniæ Regnum Carolo Valesio confertur.

forem investiret. Extant hac de re Martini Pontificis litteræ ad ipsum Joannem datæ, quas refert & recitat Odericus Raynaldus tomo 14. Annalium Ecclesiasticorum. Quæ verò circà hoc negotium Joannes Legatus gesserit, ipsemet specialibus litteris ad Martinum directis fusiùs explicat, quæ omnia Pontifex rata habens, eadem de Cardinalium consensu auctoritate Apostolica confirmavit. Harum tenorem, qui legere cupit, adeat Augustinum Oldoinum in additionibus ad Ciaconium in vita Joannis Choleti.

Joannes Cardinalis Carolo Valesio adversùs Petrum Aragonium præsto est.

Post assertum ex imperio Pontificis Carolo Valesio Aragoniæ Regnum, Joannes sedis Apostolicæ Legatus crucem primò contra Petrum depositum prædicavit; deinde cum cruce signatis militibus, & Philippo Francorum Rege in Aragoniam hostiliter movens, Civitates Caroli imperium detrectantes, aut resistentes destruxit; fautores Petri, si quos comprehendere potuit, carcere, exilio, & suppliciis affecit: nec strictum semel gladium recondidit, donec cæsis hostibus, & Regno superato, legitimo possessori quies daretur & fides. In atroci hac pugna duo Reges cecidisse memorantur Philippus Audax Rex Galliæ, qui in Villa Perpiniana saucius decessit; & Petrus Aragonius, qui multis vulneribus confossus in ex communicatione interiit. Acta hæc sunt, ut testatur Chronicon Ecclesiæ S. Pauli Narbonensis circa annum Domini 1285. Kalendis Maij, funesto Regis Philippi Natalitio.

Philippus Audax & Petrus Aragonius cadunt.

Joannes alia egregia operatur.

Rebus prosperè gestis Joannes Legatus Sanctium Castellæ Regem, & Philippum cognomento Pulchrum malè inter se affectos, ob Alphonsum & Ferdinandum Sanctii nepotes in Murella, munitissima arce ab avunculo detentos, ad pacem compulit. Pro libertate Caroli Principis Salernitani, Primogeniti Regis quondam Caroli Neapolitani multa, nec in cassum, elaboravit. Siquidem is paulò mox libertate donatus, defuncto Patri Carolo I. in Regno Siciliæ successit. Collegium Cholethæum sui nominis Lutetiæ amplissimum funditùs erectum liberalissimè dotavit : è quo successu temporis plures egregii viri, de virtute & litteris optimè meriti prodiêre. Præ foribus Collegii hoc legitur cœlato marmori incisum Epigrama:

Parisiis insigne Collegium, à suo nomine Choletheum appellatum exædificat, & dotat.

Belgarum me primus ager nutrivit, hononat
Roma, seni cura fœdera pacis erant.
Religio, pietas, studiorum insignia crescunt
Me duce: quis fuerim comprobat ista domus.

Alia ejus pietatis monumenta enarrantur.

Moriturus Testamentum condidit in Monasterio Cellensi Diœcesis Tricassinæ, primâ Adventûs Dominicâ anni 1289. quo legavit Monachis S. Luciani Bellovacensis in ære parato duo millia aureorum. Decrevit item corpus suum apud eundem S. Lucianum honestâ pompâ terræ mandari ac centum calices argenteos inauratos fieri, quemlibet ponderis unius libræ, quorum sexaginta mandavit distribui Diœcesi Rothomagensi, & quadraginta reliquos Bellovacensi. Vitam cum morte mutavit secunda die Augusti anno salutis 1292. postquàm integro propè triennio cum morbis & morte sensim obrepentibus patienter colluctatus fuisset. Sepultus in Andrio S. Luciani monumento magnificentissimo, cui superposita fuerat ipsius Cardinalis justæ staturæ effigies ex puro argento conflata: quæ postcà

Piè moritur.

ſteà reædificandæ Eccleſiæ causâ, quam Angli hæretici flammis conſumpſerant, divendita eſt. Ejus verò epitaphium rudi carmine conſcriptum (quod reſpondente rhythmo non minùs ineptè, quàm ridiculè clauditur) tale eſt.

D. O. M.

Iſta legens ſiſte, penſa, quantus fuit iſte?
Cujus tam pulchrum cernis fulgere ſepulchrum!
Eſt Roſa ſub Petra, quam primùm ſubdita metra, *Ejus inſigne Epitaphium.*
Et tanti floris via ſe diffundit odoris.
Ecce ſub hoc tumulo venerabilis oſſa Joannis,
Cæciliæ titulo decorati pluribus annis.
Poſteà Legatus fuit inclytus, atq; probatus,
Vir magni cordis, cujus mens neſcia ſordis,
Gloria Francorum, decus Orbis, formaq; morum.
Fautor Juſtorum, conſtans ultor vitiorum.
Canonis & Legum Profeſſor erat generalis,
Francorum Regum Conſul bonus & ſpecialis,
Provocet ad fletum pietas recolendo Choletum,
Tanquàm deletum fontem bonitate repletum,
Mors quid feciſti? vita reſecans iter iſti?
Multa gregi Chriſti, heu! chariſmata ſurripuiſti!
Dapſilis & mundus, verax fuit, atq; fidelis,
Floreat in cælis, quia nunc ſibi nemo ſecundus.
Annos depromens octo de mille trecentis
Auguſti Nonas quarto lux eſt morientis.

Religioſi Sandionyſiani in Francia Joannis Cardinalis Choleti commemorationem quotannis penultima Julii renovant, apud quos nonnulla ejuſdem M. S. Opera aſſervari dicuntur. *Perpetua ejus memoria apud Religioſos Sandionyſianos celebratur.*

Ejus meminère Aubery in Vita. Petrus Frizonius in Gallia Purp. Odericus Raynaldus tomo 14. *Annal. Nangius de Geſtis Philippi Galliæ Regis. Bzovius tomo* 13. *Annalium. Nomenclator Cardinalium. Ptolomæus Lucenſis. Ciaconius in Vita. Oldoinus in addit. ad Ciaconium. Morerius in Diction. hiſtorico. & Alii.*

ANNO 1281.

SEDENTE MARTINO II. DICTO IV. PONTIF. MAX.

De

GERVASIO DE CLINCHAMP S.R.E. CARDINALE.

GERVASIUS Giancoletus de Clinchamp, Gallus, in Cenomaniæ finibus natus, vir magnæ nobilitatis, excelſi ingenii, & profundæ eruditionis: quemadmodùm ex veteribus Monaſterii S. Remigii Rhemenſis monumentis, & fragmento ſepulchralis ejus Inſcriptionis colligimus: in quo exeſis reliquis vix bina hæc metra ſuperſunt. CII.

De

De Patria clarus, de magno sanguine natus,
Qui sapiens pectus; Juris vexilla ferebat.

Cardinalis à Martino II. dicto IV. renunciatur.

Is à Martino II. dicto IV. (cui ob præstantem doctrinam, & probatissimos mores gratissimus, nexuque amicitiæ singularis conjunctissimus erat) ex Archidiacono Parisiensi Presbyter Cardinalis SS. Silvestri & Martini titulo Equitii renunciatus, summis in Curia Romana discutiendis quæstionibus præfectus est.

Ciaconii de ejus Legatione opinio improbatur.

Hallucinatur in Gervasio Alphonsus Ciaconius, dum eum Legatum in Gallias missum asserit, ut Regi Francorum Philippo Audaci, bellum contra Petrum Aragonium Siciliæ invasorem, & proptereà Regno à Pontifice privatum, gerenti assisteret; crucemque adversùs eum prædicaret. Constat enim ex probatissimis Auctoribus, ipsisque Pontificum decretis hanc legationem à Martino non Gervasio, sed Joanni Choleto (cujus paulò antè meminimus) fuisse commissam. Id quod etiam Guillelmus Nangius, Scriptor illius ævi candidissimus, luculentis hisce verbis innuit. *Iveruntq; cum Rege Philippo Ecclesiæ Romanæ Legatus, Dominus Joannes Choletus, sanctæ Ceciliæ Presbyter Cardinalis, & ferè totius Franciæ nobilitas universa.*

Multa scripsisse perhibitur, quæ tamen non extant.

Cæterùm fuit Gervasius in facultatibus Theologicis apprimè versatus, unde plurima ad Theologiam spectantia plausibili methodo scripsisse perhibetur, quæ tamen injuria temporum ad nostram ætatem non pervenerunt. Hujuscè meminit Paulus Cortesius his verbis: *Quin etiam illo ipso tempore Gervasius Gallus Theologica laude præstitit; ex quo facultas Theologica illustrior facta; tantumq; ab illo scripti relictum, quantum ad posteros admonendos esset satis.*

Pauli Cortesii de eo elogium.

Peste moritur.

Lue pestifera, Romæ tum maximè grassante, vir pius & doctus sublatus est Anno Domini 1287. Sede ex obitu Honorii IV. vacante. Sepultus in Æde sacrâ SS. Martini & Silvestri, cum Epitaphio, ut diximus, vetustate propemodùm consumpto.

Ejus mentionem faciunt Aubery in Vita. Petrus Frizonius in Gallia Purp. Joannes Antonius Philipp. de Basilica SS. Sylvestri & Martini. Ciaconius in Vita. Oldoinus in addit. ad Ciaconium & Alii.

FINIS LIBRI PRIMI.

PURPURÆ DOCTÆ


LIBER II.

Continens Centum & quatuor Vitas,

S. R. E.

CARDINALIUM

Qui Ingeniô, Doctrinâ, Eruditione, Scriptis, Libris editis, &c. ab An. M. CC. LXXXV. usque ad Annum M. CCCC. X. floruêre.



LIBER II.

De DOCTIS

S. R. E. CARDINALIBUS

Continens centum & quatuor Eorum vitas.

ANNO 1285.

SEDENTE HONORIO IV. PONTIF. MAXIMO.

De

JOANNE BUCCAMATIO S.R.E. CARDINALE.



OANNES Buccamatius, nobilis Romanus, Honorii IV. affinis, Rector primùm Ecclesiæ S. Fortunati de Vernote Senensis Diœcesis ; deinde Archiepiscopus Montis-Regalis in Sicilia ; demùm, promovente Honorio, Episcopus Cardinalis Tusculanus. Qui cùm vir magni ingenii, excelsi animi, altæque eruditionis esset, ab Honorio IV. Legatus in Germaniam ad Rudolphum I. Cæsarem designatum mittitur, ut eum Romam ad accipiendum Imperii diadema deduceret : In litteris Honorii ad Rudolphum datis, hæc de Joanne nostro leguntur : *Quòd si forsan interim, quod absit, aliqua difficultas emergeret, quæ tuum ad nos in prædicto termino impediret adventum, quodcunque aliud ad hoc tempus duxeris eligendum, de consilio venerabilis fratris nostri Joannis Episcopi Tusculani (qui vir probatæ discretionis, scientia præditus & virtute dignoscitur) id eligas, ac nobis per illum significes. Missus enim ad Te est, non alia de causa, nisi ut Tibi ab invio præcavens, tuos ponat gressus in via recta ; Teq; in tuis opportunitatibus consilio dirigat, & auxilio fulciat efficaci &c.* Rudolphus pro innata Austriacis in Sedem sanctam reverentia, Legatum ad se destinatum, eo quo decuit honore excepit;

I.

Cardinalis creatur, ab Honorio IV.

Legatus in Germaniam ad Rudolphum I. Cæsarem designatum mittitur.

cepit; atque ea omnia, quæ ad maturandam intentæ coronationis solemnitatem spectare videbantur, cum illo transegit.

Principes Christianos ad Coronationem Rudolphi Cæsaris invitat, aliisq; legationibus perfungitur.

Ea occasione Joannem quoque ad Regem Boëmiæ; atque ad Henricum & Ludovicum Duces Bavariæ; Menardum Ducem Carinthiæ; Alphonsum & Conradum Marchiones Brandeburgenses; ad Sclavorum Principes; aliosque Imperii Proceres & Magistratus, ut eos ad ornandam Imperialis Coronationis pompam, stipandumque Cæsarem invitaret, legationis munere perfunctum esse, constat ex modò citatis Honorii ad Rudolphum litteris. Quin & legationem gessisse in finitimis Germaniæ Regnis, videlicet Dania, Suecia, Polonia, Pomerania, atque Moravia, declarat Pontificum Registrum. Huic legationi insistens, quum itineris prosequendi causâ Basileam transiret, ab ejus loci Episcopo (is erat Petrus ab Aspelt recèns electus) summo honore exceptus, nonnullisque diebus liberaliter detentus, eundem pontificio nomine confirmatum, ritu solemni in Ecclesia principe Basileensi consecravit. Lubet hoc loco ad ornandam historiam paucula de hoc Petro Episcopo Basileensi, ex Augustino Oldoino desumpta commemorare.

Basileæ existens Petrum II. ab Aspelt, recèns electū consecrat.

Cùm circa annum dominicum 1305. (inquit ille) Clemens hujus nominis Quintus, Pontifex Maximus, post acceptam Lugduni in Gallia magno apparatu supremam Tiaram, Burdegalam pervenisset, ancipiti morbo, ex gravi pituita contracto laborare cœpit. Eapropter Petrum Basiliensium Antistitem, medica arte, quam olim professus fuerat, excellentem, ad se accivit; curandæque valetudini suæ non vano studio adhibuit. Receptâ paucorum dierum invervallo sanitate, Pontifex ut gratiam medenti Petro reponeret, opimis eum muneribus donatum, è Basileensi ad Moguntinam sedem tum fortè vacantem, transtulit, addito notabili hoc elogio: *Quia Petre, tam felix corporum curator es; convenit omninò, ut & insignis cujusdam Ecclesiæ, qualis Moguntina reputatur, animarum Pastor, curator, & medicus constituaris.* Sed jam ad institutum.

Petrus olim medicinam professus, Clementem V. curat, & in præmium Moguntinam sedem consequitur.

Joannes Basileâ Herbipolim digressus, ibidem præsente Rudolpho Cæsare, Electoribus, Archiepiscopis, multisque aliis Germaniæ Proceribus concilium celebravit, in quo, post emendatos Clericorum exorbitantium mores, Principibus sæcularibus interdictum est, ne vectigalia deinceps sacerdotibus, in consulta Sede Apostolica, imponerent; néve Clericos in concubinatu deprehensos, suo arbitratu, punirent; sed Episcopis Ordinariis juxta SS. Canonum rigorem mulctandos, denunciarent.

Joannes Legatus Herbipoli Conciliū celebrans, nonnulla pro immunitate Ecclesiastica statuit.

Post Honorii obitum, qui contigit tertio nonas Aprilis anno salutis 1287. Joannes Romam reversus, interfuit comitiis sacris, in quibus Nicolaus, hujus nominis IV. electus est Romanus Pontifex; à quo Monasteria S. Quiricii Vallis Antrodoci Diœcesis Reatinæ, & S. Mariæ Farfensis in Sabina obtinuit. Bonifacii VIII. jussu patrocinatus est Eremitis S. Guillelmi Aquitaniæ Ducis. Ecclesiæ S. Mariæ super Minervam; & Monialibus S. Syxti de Urbe, larga manu ingentem auri summam elargitus est: quarum etiam Dormitorium, casu igne consumptum, suis impensis de novò excitavit. In Gallias postea, cùm se negotiorum causâ, ad Pontificem Romanum contulis-

Electioni Nicolai IV. interest, & in varia Monasteria Patrocinium obtinet.

set:

set: subito prostratus morbo, die decima Augusti anno 1309. Collegii Decanus obiit Avenione, sepultus ad Patres Dominicanos. Ex testamento supra centum aureorum millia piis locis, in Religiosorum Claustralium, & Christi pauperum subsidium reliquit. Singulas Urbis Parœcias calice argento unius libræ, Cardinalium quemlibet annulo aureo; ipsum verò Pontificem ingentis pretii cruce, ex auro gemmisque confecta, donavit. Monasterio S. Syxti plurima prædia, ac in paratis duodecim aureorum millia eo fine legavit, ut deinceps supra ordinarium numerum, aliæ quindecim nobiles Virgines alerentur ad pietatem, & castimoniam. *Obitus ejus, & munificentia in varios.*

Fuisse Joannem, virum pium, ac doctum vel ex eò constat, quòd præter eum Honorius IV. rigorosissimus hominum æstimator, nullum alium purpurâ ornaverit. Ea de re sæpius interpellatus, & quæsitus respondit: *Viros dumtaxat bonos, virtutibus ac doctrinâ conspicuos; rerumq; humanarum ignaros & contemptores, intra Sacri Collegii septa cooptaandos esse.* Scripsit nonnulla pia & utilia Opuscula, quæ tamen publicæ luci hactenus denegata, inter manuscripta Bibliothecæ Vaticanæ asservari dicuntur. *Commendatur à doctrina.* *Notabile dictum Honorii IV.* *Scripta Joannis.*

Ejus mentionem faciunt Panvinius, Ciaconius, Joannes Aloysius Lellus in Histor. Montis Regalis. Odericus Raynaldus Tomo 14. Annalium. Tritbemius in Chronico Hirsaug. Annales Colmarienses. Francis. Maria Turrigius in Historia Imaginis B. Mariæ Virg. Binius in Conciliis. & Alii.

ANNO 1288.

SEDENTE NICOLAO IV. PONT. MAXIMO.

De

MATTÆO AQUASPARTANO

S.R.E. CARDINALE.

MATTHÆUS de Aquasparta, ab Oppido patrio sic nominatus, Tudertinæ Diœcesis, Italus, ab ineunte ætate in Monasterio Provinciæ Umbriæ Minorum S. Francisci Ordinem ingressus, ob doctrinæ & vitæ præstantiam per omnes honorum gradus ex sacri Palatii Lectore ad sui Ordinis Generalatum ascendit, electus Montispessuli in locum Arloti de Prato, anno 1287. vitâ functi. Hunc Nicolaus IV. ob spectabilem vitæ rationem, ac doctrinæ eminentiam Presbyteris Cardinalibus Titulo S. Laurentii in Damaso, in prima Cardinalium creatione adscripsit; eundemque in secunda Episcopum Portuensem nominavit; noluitque, ut Religionis curam deponeret, sed eam, ad exemplum D. Bonaventuræ, usque ad novi Ministri Generalis electionem moderaretur. Quo tempore libellum famosum, à Fr. Nicolao Franciæ Ministro contra declarationem Regulæ Minorum à Nicolao III. factam, editum rejecit; atque in auctorem severa animadversione, ad terrorem aliorum, est usus. II. *Ordinis Minorum Minister Generalis eligitur.* *Cardinalis Episcopus Portuensis creatur.* *Famosum libellum Fratris Nicolai Franciæ Ministri rejicit.*

Anno 1289. indixit Generalia totius Ordinis Comitia Assisii pro Successore deligendo circa Festum Pentecostês; quibus Reate deinde

Renunciat Generalatui Minorum, & Successorem cum aliis eligit.

inde celebratis interfuit ipse Romanus Pontifex, Cardinalis Bentivenga Episcopus Albanensis, ac Matthæus Aquaspartanus Cardinalis, ubi comunibus suffragiis electus est Generalis Minister Fr. Raymundus Gaufredi, Gallus, vir vitæ sanctimonia illustris.

Regimen ejus à Luca Waddingo & Dante Poeta perstringitur.

Non parum nocuit (teste Luca Waddingo) Minorum Ordini regimen Aquaspartani; *non quòd ipse malus fuerit*, (utor illius verbis) *aut malè præceperit; sed quòd eo mitiùs & laxiùs agente, paulatim attenuata sit regularis observantia. Compatiebatur omnibus; nullum querulum, sed cunctis satisfactum volebat. Omnium condescendebat votis absque pravio examine an expediret? auxit malum, quòd Cardinalis factus, nec ut opportuit, attendere potuit ad Ordinis gubernium; nec ausus est ad arctiora cogere, dum suaviorem, ipse Princeps post Cardinalatum, vivendi formam præferret.* Dantes Aligerius, celebris illius ævi Poëta, Hetrusco carmine laxioris habenæ hujus Aquaspartani, & corruptæ sub eo disciplinæ meminit in fine Cantici duodecimi de Paradyso. Quamvis Christophorus Landinus ejusdem interpres, quam Dantes reprehendit in Aquaspartano Regulæ dissolutionem; ille affigat Ubertino Casali, quem etiam ex errore, nescio ubi haulto, Ministrum Generalem Ordinis Minorum fuisse scribit.

Legationibus variis egregiè, & cum emolumento Ecclesiæ perfungitur.

Bonifacius VIII. Romanus Pontifex Matthæum anno salutis 1294. Legatum destinavit in Galliam Cisalpinam, ea potissimùm de causa, ut Cesenam, Forolivium, Faventiam, & Forum-Cornelii, quæ Pontificis, & Romanæ Ecclesiæ imperia detrectabant, ad obsequium & obedientiam reduceret. Ille perlustratâ Provinciâ contulit se Bononiam, ubi pacatis rebus, cùm inde Ravennam rediisset, omnes convocavit Provinciæ Magistratus & Proceres, ac sexto decimo Kalend. Martii eo loco (cui vulgi vocabulo *Canazosia* nomen est) in Ravennatum ac Faventinorum finibus conventum habuit, in quo ita sobriè, prudenterque cum Principibus se gessit, ut illi plurima loca hactenus controversa Ecclesiæ & Pontificis Romani Imperio restituerint. Ejusdem Bonifacii jussu in hac ipsa legatione, propositis maximis Indulgentiarum præmiis, fideles ad Crucem induendam incitavit contra illos, qui Romanum Pontificem injuriis ac molestiis afficiebant. Jacobum insuper Paganum Episcopum Aretinum, ob malè ibidem administratam Provinciam, Episcopali dignitate ad tempus privavit; ac denique, cùm resipiscere nollet, episcopatu pœnitùs amovit.

Episcopum Aretinum corripit, & deponit.

Legatur in Hetruriam ad sedandos tumultus Florentiæ à seditiosis exortos.

Cùm autem seditionibus duarum factionum, quarum alterius sequaces *Nigri*; *Albi* alii dicebantur, Hetruria pœnè tota infecta esset, Bonifacius, ut malis occurreret, Matthæum Aquaspartanum Portuensem Episcopum Cardinalem (quem Joannes Villanus, eumque secutus S. Antoninus *Ostiensem* per errorem vocant) Legatum in Hetruriam cum amplissima potestate misit. Florentiæ anno salutis 1300. mense Julio allapsus, magnis certatim honoribus, & obsequiis susceptus est. At cùm temperando Urbis statui animum partiali nimiùm studio applicare cœpisset; novis identidem exortis odiis & dissensionibus, adversas factiosorum voluntates expertus, eas nec sedare, nec conciliare potuit. Imò ob affectum in unam partem, cùm alteri in suspicionem venisset, coactus est (factiosis nescio quid vio-

violentum minitantibus) Florentiâ rebus infectis exire: quam ipse vicissim irâ percitus, à fidelium communione, religionis intentato telo, submovit: atque adeò subossensus rediit ad Curiam, ubi nusquam vacans à studiis, quibus ad mortem usque deditissimus erat, scripsit: *Florentiâ excedere rebus infectis compellitur.*

Scripta ejus.

- Commentaria in Job.
- Postillas in Psalmos.
- Expositiones in Epistolas D. Pauli.
- In 4. libros Sententiarum.
- Quæstiones Quodlibeticas.
- Pentiloquium de Potentia Papæ.
- Sermones varios.
- Inventarium Sententiarum.
- Indices per seriem litterarum in eosdem libros sententiarum.

Paulus Cortesius Matthæi doctrinam admirans, hæc ad posteros de eo transmisit. *Matthæus Aquaspartanus laudandus: à quo sunt Theologica Paradoxa explicata cultiùs, quàm esset ab inquinata illius ætatis æqualitate reposcendum.* Syxtus verò Senensis in sua Bibliotheca sancta eundem hôc (ex Trithemio mutuato) exornat elogio. *Matthæus de Aquasparta Ordinis Minorum duodecimus Generalis, & posteà Episcopus Portuensis S.R.E. Cardinalis in sæculari Philosophia juxta morem sui temporis magnificè doctus, & in divinis scripturis excellentissimus.* Sunt & alii, qui eundem, ob summam scientiarum cognitionem, miris laudibus efferunt. Protector Ordinis Servorum B. Mariæ Virg. à Nicolao IV. designatus, sanctum illud institutum semper promovit, virosque illius familiæ unicè dilexit. *Laudatur à Paulo Cortesio, & aliis.*

Clausit diem supremum, meritorum plenus, moderante Ecclesiam Bonifacio VIII. Anno salutis 1302. Romæ: ubi in Ecclesia Seraphica de Ara Cœli, nobili donatus monumento, quiescit. Ex asse hæredem instituit Monasterium suum Tuderti, à S. Fortunato nuncupatum, ad executionem Testamenti nominatis Matthæo Ursino, & Gentili de Montefloris, Cardinalibus. *Ejus obitus.*

Ejus mentionem faciunt Lucas Waddingus in Annal. Min. & de Scriptoribus Min. Odericus Raynaldus, & Bzovius in Annal. Trithemius de Script. Eccl. Syxtus Senensis in Biblioth. sancta. Archangelus Gianius. & Alii.

ANNO 1288.

SEDENTE NICOLAO IV. PONTIF. MAXIMO.

De

HUGONE SEGUINO BILLONIO S.R.E. CARDINALE.

HUGO Seguinus Billonius, natione Gallus, patriâ Arvernus, professione Monachus, sacrum Prædicatorum Ordinem, (cui à puero addictus, in eoque institutus, & altus fuerat) sexto decimo ætatis anno ingressus, mirum in modum III.

Archiepiscopus Lugdunensis primò, deinde Cardinalis S. Sabinæ, demùm Episcopus Ostiensis creatur.

dum in ea virtutis, & eruditionis palæstrâ profecit. Doctoratûs laureâ post emensa graviorum studiorum curricula donatus, publici lectoris munere functus est aliquamdiu Romæ in Conventu S. Sabinæ. Non multò pòst insignium meritorum intuitu Archipræsul Lugdunensis creatus, rexit eam Ecclesiam summa cum integritate usque ad annum 1288. Quo etiam anno à Nicolao IV. recèns ad Pontificium assumpto, uberrimo virtutis merito in sacrum Collegium cooptatus titulum S. Sabinæ obtinuit. Cœlestinus V. Nicolai successor, eundem in demortui Cardinalis Latini Malabrancæ locum provehens, Episcopis postmodùm Ostiensibus, & Veliternis adscripsit.

Error quorundam circa Hugonem refellitur.

Referunt aliqui Hugonem aliquamdiù in Ecclesia Lugdunensi Archidiaconum extitisse: At errore hos lapsos quis non videat? Etenim quì fieri potuit, ut Religiosus solemnibus votis claustro adstrictus, officiò Archidiaconi fungeretur in Ecclesia Cathedrali? cùm id præsertim & inusitatum esset & inconcessum, tum ex statutis Cathedralium; tum ex Ordinis legibus; tum ex ipsis sacrorum Canonum Decretis. Neque etiam ante emissa Religionis vota ejusmodi dignitate ornatus fuisse putandus est, cùm certò constet eum pœnè impuberem, Ordinem D. Dominici ingressum.

Scripta ejus, & obitus.

Cùm verò vir eruditissimus esset, plurima ad Theologicam facultatem spectantia, quam annis multis solidè interpretatus est, in lucem edidit: videlicet;

Commentaria in Threnos Jeremiæ.
In quatuor libros Sententiarum.
De immediata Visione divinæ Essentiæ.
Contra Corruptorium D. Thomæ Aquinatis.
Sermones plures, & alia.

Interfuit creationibus Cœlestini V. & Bonifacii VIII. Excessit vitâ non absque sanctitatis opinione in Urbe tertio Kalend. Januarii Anno Virginei partûs 1297. Sedente in Petri Cathedra Bonifacio VIII. qui viduatam Hugonis obitu Ecclesiam Ostiensem & Veliternensem Fr. Nicolao Bocasino, ejusdem Ordinis Alumno, commisit. Quare meritò rejiciuntur illi, qui Hugonis exitum ad annum 1328. prorogant. Nam intermedio hoc tempore tres, aut quatuor diversos Episcopos Ecclesiam Ostiensem rexisse constat ex actis. Sepultus est Hugo in Titulo S. Sabinæ ante aram maximam, ubi ejus adhuc Epitaphium, sed incultum, ac ideo à me omissum, legitur.

Meminère ejus Panvinius de Rom. Pontif. Petrus Frizonius in Gallia Purp. Antonius Senensis in Biblioth. Prædicatorum. Chronicon Ordinis Prædicat. Nomenclator Cardinalium. Ughellius tomo I. Italiæ sacræ. & Alii.

ANNO 1288.

SEDENTE NICOLAO IV. PONTIF. MAXIMO.

De

NEAPOLEONE URSINO
S.R.E. CARDINALE.

NEAPOLEO Ursinus, nobilis Romanus, ex Canonico Parisiensi, ac Pontifici Sacelli Sacerdote à Nicolao IV. ob excellentis doctrinæ famam Apostolici primò Scrinii Magister, deinde Cardinalis Diaconus S. Hadriani renunciatus, literis ac legationibus, quod vixit, inclaruit. Primo enim Nicolai jussu in Umbria; eoque sublato, Bonifacii VIII. auctoritate in Sabina, Piceno, totoque S. Petri Patrimonio legationis munere perquam strenuè functus est. Eundem posteà Clemens V. anno reparatæ salutis 1306. ad Provincias Tusciæ, Romandiolæ, Marchiæ Tarvisinæ, Patriarchatum Aquileiensem, & Gradensem Archiepiscopatum, Provinciam Ravennatem, Ferrariam civitatem, Archiepiscopatum Januensem; ad Insulas quoque Sardiniæ & Corsicæ, ac Venetorum dominium Legatum destinavit, ut seditiosis tumultibus, ab Albis & Nigris temerè excitatis finem imponeret, ac Italiam intestinis odiis flagrantem fœdeque concussam pacaret, atque Insulas illas ab infestis Pisanorum excursionibus, oppositis armis, vindicaret. IV.

Cardinalis creatus variis Legationibus perfungitur.

Is ad quintum Kalendas Majas Bononiam se conferens, inusitato hactenùs exemplo, in suum ac familiæ sumptum, annuum stipendium Archiepiscopo Ravennati, cæterisque sacratis viris civitatis & Diœcesis, etiam immunibus, imposuit. Ex quo cùm graves tumultus in Legatum à querulo Clero concitati essent, nec facilè, nisi rescisso decreto, sopiri possent: Legatus ab exactione destitit.

Bononiæ indictas exactiones remittere cogitur.

Cæterùm cùm Pacificatoris munus aggressus, concordiam, multis dilaudatam, inter Bononienses conciliare studeret; nec quidquam per oppositam Marchionis Senatoris factionem assequeretur; ad extremum à maleferiatis quibusdam civibus (quibus ex instinctu Marchionis ira cum audacia creverat) contra jus gentium violatus fuit. Ad decimum enim Kalendas Junii ad Episcopales ædes, in quibus hospes diverterat, armati accurrentes, clamore terribili excitato proditorem Legatum appellantes, ut quamprimùm moreretur, contendebant. Jam fores Palatii admotis machinis effregerant, cùm ecce Bernardinus Polentanus Prætor, vir strenuus & fidelis accurrit, ac Proceribus factiosis benignè rejectis tumultum sedavit; armatosque oppositis armis secedere jussit. Non tamen furorem, quo mortaliter flagrabant, ita extinguere potuit, quin eum in Neapoleonem Bononiâ mentito habitu discedentem, effunderent: nam eo ad Forum-Cornelii per devia & invia properante, aliqui ex Urbe erumpentes, cognitâ ex mulorum stragulis ejus

Ibidem à factiosis malè habetur, violatur, pellitur & spoliatur.

ſuppelleĉtili, mulis ac mulionibus interfeĉtis, ſarcinas omnes diripuerunt. Legatus, mutatis ſæpiùs equis, vix fugâ dilapſus, ad Forum-Cornelii deveniens, juſtâ irâ ob illatam contumeliam perctus, Bononienſes ignominiæ & proditionis auĉtores, anathemate percuſſit; Urbemque ſacris interdiĉtam Academiâ, honoribus, ac privilegiis privavit.

Scripta ejus & obitus.

Ipſe interim, omiſſis legationibus, ſtudiis vacans varia ſcripſit cùm aſcetica, tum Theologica opera, à Paulo Corteſio multùm dilaudata. Edidit præterea vitam ac miracula B. Claræ de Montefalco, cujus exemplaria extant in diverſis Bibliothecis, nimirùm S. Auguſtini de Urbe, S. Mariæ de Vallicella, & in monaſterio de Montefalco. Miracula etiam B. Margaretæ Cortonenſis juſſu Romani Pontificis perquiſivit, & approbavit. Vixit in Cardinalatu, raro exemplo, ſexaginta & ampliùs annos poſtquam ſeptem Romanorum Pontificum electionibus ſuo ſuffragio interfuiſſet: ac tribus eorum pontificiam Thiaram ſuis ipſe manibus impoſuiſſet. Tandem plenus dierum, nonagenario major è vita exceſſit Avenione anno à partu Virginis 1347. ſedente in Petri ſolio Clemente hujus nominis ſexto. Tumulatus eſt ibidem in ſacello ab ſe ſepulchri causâ extruĉto: ubi elogium ab ſe compoſitum in marmorea tabula etiamnum ſpeĉtatur.

En ego Napoleon ſummi qui culmen honoris
Attigeram, modico ſubtegor hoc tumulo.

Ejus mentionem faciunt Panvinius de Rom. Pontif. Aubery in Vita. Bzovius in Annal. Pomponius Vizanus in hiſt. Bononienſ. Jo: Baptiſta Piergili in Vita B. Claræ de monte falco. Lucas Waddingus in Annal. Min. Franciſcus Sanſovinus de familia Urſina. & Alii.

ANNO 1288.

SEDENTE NICOLAO IV. PONTIF. MAX.

De

THEOBALDO STAMPENSI
S.R.E. CARDINALE.

V.

THEOBALDUS Stampenſis obſcuro genere & loco ad Albim amnem in Anglia natus, ingentem ac propè ferream vim ingenii ad perdiſcendas literas attulit, tanto quidem proventu, ut planè imberbis adhuc ludum apud Cantuarienſes aperiret. Inde verò congeſtis ex colleĉta mercede pecuniis, nobilioris doĉtrinæ cupiditate incenſus, Galliam, Germaniam, totamque Italiam eruditâ curioſitate peragravit. Romam deinque ſcientiarum omnium, ac artium Palæſtram delatus, Nicolaum IV. non modò excelſi ſui ingenii admiratorem, ſed & munificum præmiatorem ſortitus, ab eodem ſub annum Chriſti 1288. uberrimæ virtutis merito, in ſacrum Purpuratorum Senatum titulo Presbyteri S. Sabinæ cooptatus eſt. Partâ itaque Romæ inſigni nominis famâ

Ob Virtutis, & doĉtrina famam Cardinalis à Nicolao IV. creatur.

famâ, ne literas, quas privatus unicè deperierat, purpuratus fastidire videretur, scripsit peregregium, utile, ac nervosum Opus, quo temeritatem asserentium, *Christum Dominum S. Petro, ejusq; legitimis Successoribus curam, ac regimen totius Ecclesiæ non tradidisse*, planè prostravisse, ac jugulâsse videri potest. Edidit etiam Librum unum adversùs errantes in Theologia elegantissimum. Verùm aliquantò nobilior evasit, quum insignem Tractatum variarum Disputationum ad Robertum Capitonem Episcopum Lincolniensem divulgâsset, ac Sermones plurimos sacros cum Epistolarum Volumine nitidissimè conscripsisset, quibus erudita commentatione magnum Theologiæ studiosis lumen attulisse judicatur, explosis scilicet Sophistarum interpretum ineptiis, quum SS. Patrum placita secutus, certiore utique vestigio niteretur. *Ejus egregia scripta.*

Sed vir consilio gravis, ac ob id obeundis Reipublicæ muneribus occupatus, neque satis otii ad studia literarum furari, neque ætatem (quòd tenuissima valetudine uteretur) longissimè proferre potuit. Fato enim functus est Romæ anno à Christo nato 1298. dum à Bonifacio VIII. Legatus in Galliam ulteriorem destinatus, itineri se accingeret. Subdubitant aliqui, an hic unquam inter S. R. E. Cardinales à Nicolao IV. cooptatus fuerit, eò quòd nulla ejus apud Panvinium, & Auberium mentio extet. Verùm gemino duorum horum Authorum dumtaxat initi velle testimonio, rejectis cæteris, qui eum Cardinalem asseveranter agnoscunt, meo quidem judicio temerarium videtur: præsertim quod constet, utrumque hunc Scriptorem sæpiùs in sua crisi errasse. *Obitus ejus.* *Dubium circa ejus Cardinalatum improbatur.*

Ejus mentionem faciunt Catalogus Scriptorum Angliæ. Nomenclator Cardinalium. Ferdinandus Ughellius, & Augustinus Oldoinus in Additionibus ad Ciaconium. & Alii.

ANNO 1294.

SEDENTE COELESTINO V. PONT. MAXIMO.

De

SIMONE DE BELLOLOCO

S.R.E. CARDINALE.

VI.

SIMON de Bello-loco, à Gallis *de Beau-lieu* nuncupatus, ortum habuit ex nobili prosapia in Bria Provincia. Is cùm esset Ecclesiæ Bituricensis, & S. Martini Turonensis Canonicus; quin & Archidiaconus Carnotensis, spretis pinguioris fortunæ obsequiis, Deo se totum in religiosam servitutem, monachus Cisterciensis factus, dicavit. Successu temporis, meritis ac suffragiis exigentibus, Abbas electus, celebre monasterium (dictum *de Charitate*) Diœcesis Bisuntinæ in Burgundiæ comitatu summa prudentia, & vitæ sanctitate rexit. Non tamen diu in claustro vixit, utpote ad Archiepiscopatum Bituricensem omnium votis assumptus: in cujus exordio Philippi Audacis, Perpiniani vitâ functi, regium corpus decimo quinto Octobris anno reparatæ salutis 1285. excepit: *Monachus Cisterciensis, & Abbas factus ad Infulam primò Bituricensem, deinde ad Purpuram assumitur.*

 cadaver

cadaver propriis humeris deferente Philippo novo Rege, ejus filio; Othone Burgundiæ Comite, aliisque principibus viris adjuvantibus, Simone ipso Archiepiscopo funebre Missæ sacrificium operante, Carducensi & Carontensi Episcopis præsentibus.

Legatur in Gallias ad Philippum Pulchrum Franciæ & Odoardum IV. Angliæ Reges.

Simonem hunc Cœlestinus V. ad apicem Apostolicum vixdum evectus, propter summam eruditionem ac vitæ probitatem Orbi clarum, Neapoli Cardinalem, atque Episcopum Prænestinum dixit. Hunc posteà Bonifacius VIII. qui abdicanti Cœlestino successit, Legatum unà cum Bernardo Gotho Cardinale Albanensi Episcopo destinavit in Gallias, ut concordiam inter dissidentes Galliæ & Angliæ Reges stabiliret. Re infecta Simon, relicto in Gallia Albanensi Episcopo, ad Curiam reversus; exindeque aëris mutandi gratiâ, Urbem veterem delatus; ibidem, ingravescente morbo, die 18. Augusti anno salutis 1297. Satis concessit, sepultus in Ecclesia S. Francisci ante Aram principem cum insigni epitaphio nigro marmori inscripto, in præsens prætereuntium pedibus penitùs attrito.

Moritur Urbe veteri.

Multiplici titulo à Martino IV. laudatur.

Meminit Simonis cum laude Diploma Martini II. dicti IV. in hæc verba: *Fuerat Simon Cardinalis Prænestinus magnis scientiarum dotibus præditus; conversatione laudabilis; honestate decorus; morum elegantia redimitus; variisq́; gratiis & virtutibus insignitus.* Referunt aliqui, sed non satis fido calamo, Simonem hunc ex Canonico Bituricensi, & Archidiacono Carnotensi renunciatum fuisse Archiepiscopum Bituricensem, eumque propterea ex Monachorum numero excludunt. Ego in re incerta, cum Authores pro me non habeam, subticere malim, quam obloqui.

Scripta Ejus.

Scripsit de Honestate vitæ Clericalis librum.
De Passione Domini.
De Testamentis ritè condendis.
Sermones de sanctis.

Quæ tamen in lucem publicam non sunt edita: asservata Urbe veteri inter manu scripta in Bibliotheca S. Francisci.

Ejus memoriam agunt Petrus Frizonius in Gallia Purp. Gaspar Jongellinus in Purpura D. Bernardi. Miræus in Chronico Cisterciensi. Claudius Robertus in Gallia Christ. Arnoldus Uvion in ligno Vitæ. Joseph Maria Suaresius in Prænestin. Antiquit. Ughellius tomo 1. Italiæ sacræ. & Aliiq́;.

ANNO 1294.

SEDENTE COELESTINO V. PONTIF. MAXIMO.

De

JOANNE MONACHO
S. R. E. CARDINALE.

VII.

Laurea doctorali in jure donatus, Auditor Rotæ efficitur.

JOANNES cognomento Monachus, natione Gallus, Cressiaci in Picardia Diœcesis Ambianensis juxta Abbavillam ortus, litterarum humaniorum ac Philosophiæ studia à primis annis singulari diligentia excoluit: quibus egregiè imbutus, juri Pontificio & Cæsareo, tanto ardore ac profectu operam dedit, ut inter

nter coætaneos primus habitus, facilè lauream doctoralem ea in facultate Magistrorum assensu obtinuerit. Adeptus exinde Canonicatum in Ecclesia Parisiensi, Romam se contulit negotiorum causâ, ubi cùm plurima insignis doctrinæ & virtutis specimina edidisset, Pontificis favore causarum Rotæ (ut vocant) Auditor effectus est.

Scriptores Gallici de Joanne Monacho tractantes, diversimodè, nec satis cohærenter loquuntur. Brulius in Annalibus Lutetianis, & Demochares in libro *de Sacrificio Missa*, nullo fundamento nixi, eum inter Episcopos Pictavienses numerant, cùm tamen ex aliis, iisque probatis Auctoribus liquidò constet, nunquam eo Episcopatu Joannem ornatum fuisse. Scribunt alii illum vix ephœbis egressum ex imperio parentum Romam migrâsse, ibidemque cum Philosophiæ, tum Jurisprudentiæ operam navâsse: quam opinionem, ut erroneam vel ipsus rejicit, dum in litteris ad Philippum Galliæ Regem datis, gloriatur altioribus se disciplinis Parisiis institutum fuisse. Claudius Robertus in sua Gallia Christiana sustinet Joannem Philippi Pulchri Regis Consiliarium extitisse; id quod identidem alii negant. In hoc conveniunt omnes, Joannem in Juridica facultate versatissimum, maximam cum Carolo II. utriusque Siciliæ Rege familiaritatem contraxisse; ejusque precum suffragio à Cœlestino V. Cardinalium Collegio adscriptum fuisse Neapoli anno salutis 1294. Qua in Urbe, factâ postmodùm ab eodem Cœlestino Pontificatûs abdicatione, interfuit comitiis Apostolicis, in quibus suffragatus est Bonifacio VIII. à quo paulò pòst in Gallias ad Philippum Pulchrum legatus est, ut illum ad officium, intentatô sacrarum pœnarum metu redigere studeret. Eo enim munere Joannem ob egregias animi sui dotes strenuè perfuncturum sperabat Bonifacius: quemadmodùm his verbis in suis litteris expressit: *Clara multiplicis merita probitatis, & virtutum dotes exuberes, quibus superni Numinis munere, à quo universorum charismatum dona proveniunt, nosceris insignitus, attenta considerationis indagine perscrutantes, ea quæ in desideriis gerimus; tuæ discretionis industriæ libenter committimus exequenda; firmâ ducti fiduciâ spemq; indubiam obtinentes, quòd circa executionem hujusmodi vigilanter & solerter intendes, ac operosa solicitudinis studium exhibebis.* In hac legatione Joannes nonnullos in Gallia abusus repressit; ac Philippo Regi arduos aliquod articulos proposuit, ad quorum singula capita è suorum consilio respondit Philippus; quæ posteà ad Pontificem delata, cùm ei ex apostolicis rationibus minimè placuissent, mandavit Cardinali, ut Philippum Regem à communione fidelium exclusum denunciaret, atque etiam inhiberet, ne quisquam ei quantumvis excelsæ dignitatis esset sacramenta administrare; aut Sacra coram eo facere præsumeret. Philippus ea re acriter offensus, atque commotus, Legatum datis custodibus observari jussit; Nicolaum verò Benefractum, Legati famulum, Bonificii litteras deferentem, in carcerem (Legato in cassum reclamante) detrusit, maleque habuit. *Agnovit tunc Gallia universa*, ut Scribunt Auctores, *agnovit & Roma, Orbisq; Christianus Joannem Cardinalem anei pectoris virum, multarum scientiarum ornamentis excultum, acerrimum Ecclesiastica libertatis propugnatorem, assertorem, & vindicem.*

Varia de illo Gallorum Scriptorum Opiniones.

Cardinalis renunciatus

Bonifacio VIII. suffragatur, & ab Eodem in Gallias Legatus destinatur

Bonifacii ad Ipsum litteræ

Philippus Galliæ Rex malè habet Legatum.

Ab animi fortitudine laudatur Joannes Cardin.

Ejus Scripta. Rebus deinde cum Philippo Rege, animi ejus constantiâ perterrito & emollito, compositis, libertate donatus, Glossam prorsùs auream confecit, quam inter alios egregiè illustravit Philippus Probus: errat tamen, dum in Præfatione ad Ludovicum Borbonium Cardinalem, Joannem inter Cardinales à Bonifacio VIII. cooptatum affirmat. Constans enim Scriptorum ferè omnium assertio est, Bonifacium VIII. ob inveteratum in Gallos odium, nullum ex ea natione, ne dignissimum quidem, ad purpuram evexisse. Scripsit præterea Commentaria in Sextum Decretalium Librum ab ipso Bonifacio Octavo congestum, aliaque non pauca, ad Jurisprudentiam spectantia.

Celebre Collegium Parisiis erigit, à suo nomine le Moyne *nuncupatū.* Amplissimum sui nominis Collegium Lutetiæ Parisiorum juxta Divi Victoris suburbium erexit anno salutis 1302. cujus statuta ipsemet Bonifacius, ut revidit, auctoritate Apostlica approbavit. Patère hoc suum Collegium voluit Joannes solis SS. Theologiæ studiosis, Legum studiolis non item, ne operam Sacerdotiis comparandis, aut litibus habendis impenderent. Ultimis vitæ suæ añis Meldensium Cathedram Episcopalem assecutus, eandem digno cuidam Sacerdoti, ad mentem pontificis, jam jam moriturus cessit. Pluribus annis S. R. E. Cancellarii munus nullo unquam corruptus munere, integerrima fide exercuit. Denique sedis Apostolicæ nomine legationis officio functus est Avenione, qua in Urbe post varios morborum

Obitus ejus, & Epitaphiū conflictus vitam cum morte commutavit Decimo Kalend. Septembris, anno salutis 1313. ut patet ex sepulchrali Inscriptione, quæ in Æde Collegii, *Le Moyne* dicti, Parisiis visitur; ad quam Urbem ejus corpus translatum est.

HIC JACET DOMINUS JOANNES MONACHUS, AMBIANENSIS DIOECESIS, TITULI SS. MARCELLINI ET PETRI PRESBYTER CARDINALIS, SUMMUM LITTERARUM DECUS, ET GALLIÆ ORNAMENTUM, FUNDATOR ISTIUS DOMUS. QUI OBIIT AVENIONE DIE XXII. MENSIS AUGUSTI, ANNO DOMINI M. CCC. XIII. SEPULTUS FUIT HIC PRIMA DIE OCTOBRIS, ANNO EODEM. ORATE PRO EO.

Statua hujus Cardinalis marmorea, breve corpusculum, magni animi indicem, caput exiguum, & rasum mentum referens, stans supra fornicem majoris portæ Collegii, à se Parisiis fundati adhuc visitur.

Error Arnoldi Wion, & aliorum circa Joannem refellitur. Existimârunt aliqui, sed perperàm; planè inter quos Arnoldus Uvion, Joannem hunc vocari Monachum ob professionem religiosam. Verùm toto cœlo aberrant: nam *Monachus* cognomine dictus est ex Monachorum gente, in Gallia apud Picardos præprimis nobili & memorabili. Quæ posteà Alphonsi I. Aragonum Regis auspiciis in Italiam transplantata, Neapoli ac Deprani in Sicilia armis, litteris, & agnationibus perquàm clara evalit, & etiamnum clara subsistit.

Ejus mentionem faciunt Claudius Robertus in Gall. Christiana. Frizonius in Gall. Purp. Philippus Probus in Præfat. ad Ludovicum Borbonium Cardin. Joannes Rubeus in Vita Bonifacii VIII. Odericus Raynaldus in Annal. Ecclesiast. Scipio Ammiratus de famil. Neapolit. Nomenclator Cardinalium. Andreas Victorellus in addit. ad Ciaconium.

ANNO

ANNO 1294.

SEDENTE COELESTINO V. PONTIF. MAXIMO.

De

ROBERTO CISTERCIENSI
S. R. E. CARDINALE.

ROBERTUS, cujus genus & patriam Auctores non produnt, natione Gallus, professione Monachus, à teneris propè annis Pontiniacum, celebre Cistercienfium Monasterium ingressus, cùm altæ indolis, excellique ingenii esset, tales pertinaci suo studio cùm in litteris, tum virtutibus fecit progressus, ut post adeptam omnium plausu Theologicæ facultatis lauream Abbas primùm Pontiniaci; deinde Præpositus Generalis Cistercii fuerit creatus. Hunc Cœlestinus V. primo sui Pontificatûs anno, ad instantiam Philippi Galliæ Regis, Presbyteris Cardinalibus titulo S. Pudentianæ adscripsit. Carolus II. Siciliæ Rex eundem ob nominis celebritatem, suavissimos mores, doctrinæ præstantiam, vitæque singularem probitatem, non solùm suum in contubernium ascivit, sed & arcanorum suorum omnium conscium, & consiliorum participem esse voluit. VIII.

Abbas Cisterciensis, & totius Ordinis Præpositus Generalis electus, in sacrum Purpuratorum Senatum cooptatur.

Affuit Robertus & abdicationi Cœlestini V. Neapoli circa annum 1294. factæ, & electioni Bonifacii VIII. cui postquàm cum aliis suffragatus esset, ab eodem in Galliam missus, ut gliscentes inter ipsum & Galliæ Regem lites componeret, pacemque diu desideratam firmaret, nihil profecit: quin imò ab exasperato Rege, in odium Pontificis, Parisiis contra jus gentium carcerali custodiæ traditus, diu indignè habitus est. Exacto in carcere sexto propemodùm mense, liber denique dimissus, cùm Avenionem, Pontificem aditurus, peteret; in itinere morbo inopinato correptus, Parmæ in Italia mense Augusto, anno salutis 1305. exspiravit. Ubi extra muros in S. Martini Cistercienfium Cœnobio sepultus, ac paulò pòst inde erutus, Cisterciumque delatus in majori Ecclesia ante presbyterium cum insigni Inscriptione, rerum gestarum indice, tumulatus fuit. Icon ipsius affabrè facta conspicitur hodiedum in Aula Cœnobii Cisterciensis majore, duobus hisce versibus ornata:

Legatus in Gallias à Rege Carceri mancipatur.

Obitus ejus, & Scripta.

Hunc Rex Robertum cæpit vitâ speciosum,
Cui Romana dedit rubeum pòst Curia sertum.

Scripsit Robertus. De 7. Sacramentis.
De Præceptis Ecclesiæ.
Commentaria in Psalmos.
Epistolas doctas ad varios.

Dum Robertus hic Ordini suo Generalis præsideret, excessit è vita Cistercii anno salutis 1294. celeberrimus ille, totoque orbe decantatus Alanus, Doctor Parisiensis, alias *de Insulis*, seu *Insulensis* nominatus, natione Germanus; qui ob exquisitam omnium scientiarum, artium, & linguarum cognitionem *Universalis* est appellatus. De quo

Eo vivente celeberrimus Alanus de Insulis Cistercii moritur.

quo mira quædam narrant Trithemius, & Cistercienses Historici, quibus non omnes fidem adstruunt, sed nec etiam temerè infringunt. Ejus corpus visitur Cistercii in Claustro parte læva Ecclesiam ingredientibus, cui Robertus ad æternam nominis gloriam sequens affixisse elogium commemoratur.

Alani Epitaphium.

Alanum brevis hora brevi tumulo sepelivit;
Qui duo, qui septem, qui totum scibile scivit.
Scire suum moriens dare, vel retinere nequivit,
Labentis sæculi contemptis rebus egens fit,
Intra Conversos gregibus commissus alendis.
Mille ducenteno, nonageno quoque quarto,
Christo devotus mortales exuit artus.

Plura de Alano qui desiderat, adeat Morerium, ejusque consulat Dictionarium magnum Historicum in Verbo *Alain de l'Isle:* legat etiam Præfationem in Librum Parabolarum Alani, qui aliàs *Doctrinale* inscribitur.

Meminêre Roberti Cardinalis Aubery in vita. Panvinius de Rom. Pontif. Gaspar Jongellinus in Purpura D. Bernardi. Frizonius in Gallia purp. Claudius Robertus in Gall. Christiana. Ughellius Tom. 2. Italia sacra. Aliiq.

ANNO 1294.

SEDENTE COELESTINO V. PONTIF. MAXIMO.

De

GUILLELMO LONGO

S.R.E. CARDINALE.

IX.

Rogatu Caroli Regis, cujus Cancellarius erat, Cardinalis creatur.

GUILLELMUS Longus Bergomensis (cujus nobilis familia antiquitùs ex Ciaconio, *de Longa Spata*; ex Leandro verò Alberto *de Alexandris* vocabatur) adolescens miræ indolis & ingenii, in Caroli Regis Neapolitani Curiâ natus, ejusdem Caroli ob excellentem litterarum cognitionem Cancellarius fuit, quo rogante à Cœlestino V. inter Diaconos Cardinales titulo S. Nicolai in Carcere Tulliano cooptatari meruit. Erat autem Guillelmus (ut ex ejusdem funerali Inscriptione docemur) vir in divinis Scripturis subtilis & doctus, in utroque Jure providus, in moralibus & chronicis peritissimus; consilio maturus; moribus gravis; rebus in agendis circumspectus: cujus inculpatæ vitæ tenor plurimis virtutum signis resplenduit. Carolus Rex eundem Cœlestino commendans his utitur verbis: *Considerantes gratiarum multitudinem, quibus personam Guillelmi, Cancellarii nostri, bonorum dator altissimus condecoravit, cùm in illo resplendeat scientiarum magnitudo; clareat altitudo consilii; niteat discretionis industria; reluceat virtutum excellentia; illum tuæ Beatitudini ad purpuram non immeritò commendandum duximus.* Hæc igitur virtutum dona in Guillelmo attendens Cœlestinus, ipsum Neapoli ad Cardinalatûs honorem, uti diximus, assumpsit, in quo solidis viginti quinque annis Deo & Ecclesiæ laudabiliter militavit.

Inter-

Interfuit Comitiis, in quibus ad summum Pontificatûs Apicem evecti sunt Bonifacius VIII. Clemens V. & Joannes XXI. dictus XXII. In Concilio Viennensi Bonifacii VIII. famam, à Rege Philippo, qui ejus acerrimus hostis fuerat, multis injuriis impetitam ac convitiis laceratam, tuendam in jure Canonico suscepit: idque adeò felici successu cum Richardo Senensi, & Fr. Gentili Minoritâ, Cardinalibus, præstitit, ut multi Gallorum Præsulum, qui Philippo Regi adhæserant, ejusque causam propugnaverant, palam convicti confusique Bonifacium ab impacta calumnia immunem proclamaverint. Magnâ semper apud Bonifacium Pontificem gratiâ polluit & auctoritate Guillelmus, cui uti homini integerrimo, ac profundè docto plurimas insignes, easque oppidò difficiles legationes ad diversos Principes & Regna commisit: quas ubique locorum accuratè semper, & ad vota Pontificis complevit. *Bonifacium VIII. in Concilio Viennensi adversùs Gallos propugnat.*

Narrant aliqui Guillelmum hunc Bonifacii jussu sextum Decretalium Librum cum duobus aliis præclarissimis viris condidisse. At hos nominis similitudine deceptos in errorem manifestum prolapsos esse constat ex ipso Bonifacio Pontifice in Proëmio Libri sexti Decretalium ita scribente: *Per venerabiles fratres nostros Guillelmum Ebredunensem; & Berengarium Episcopum Biterrensem; ac dilectum filium Magistrum Richardum de Senis S. R. E. Vicecancellarium, J. U. D. Decretales hujusmodi fecimus recenseri.* Ubi nulla Guillelmi de Longis Cardinalis; benè autem Guillelmi Ebredunensis, (cum quo noster malè confunditur) mentio ingeritur. *Error quorundam circa Guillelmū detegitur.*

In Ecclesia Urbis Bergomensis S. Francisco sacrâ, Sacellum S. Nicolai construxit, & ornavit. Monasterium item & Ecclesiam S. Nicolai de Rezano; uti etiam Hospitale, Monasterium & Ecclesiam S. Spiritûs suis sumptibus à fundamentis erexit: quod deinde annuis redditibus ditatum Monachis Ordinis Cœlestinorum inhabitandum concessit. *Liberalitas ejus, & munificentia commendatur.*

Denique multis sanctis operibus, & virtutibus clarus corruptibile hoc cum incorruptione, cœlo maturus, mutavit Avenione quinto Idus Aprilis, nostræ salutis anno 1319. Corpus ejus Bergomum ad Minorum Ecclesiam translatum, in Sacello S. Nicolai à se condito, marmoreo tumulo inclusum, terræ mandatum fuit cum hac brevi inscriptione: *Piè moritur.*

HIC JACET PIÆ MEMORIÆ
GUILIELMI CARDINALIS LONGI CORPUS.

Cyprianus Longus Bergomas, ejusdem Urbis Episcopus, Guillelmi Cardinalis nepos aliud Patruo in eodem Sacello inscripsit epitaphium, vitam ejus & gesta continens, quod refert in additionibus ad Ciaconium Augustinus Oldoinus S. J. Quæ verò scripsit, ad nostram notitiam non pervenerunt.

Meminère ejus Panvinius de Rom. Pontif. Aubery in Vita. Lucas Waddingus Tom. 3. Ann. Min. Antonius Beatillus in vita S. Nicolai. Paulus Cortesius. Nomenclator Cardinalium. Ughellius Tom. 4. Italia sacra. & Alii.

ANNO 1294.

SEDENTE BONIFACIO VIII. PONTIF. MAXIMO.

De

B. ANDREA ANAGNINO
S.R.E. CARDINALE.

X.

Oblatam purpuram ex humilitate rejicit.

BANDREAS Anagninus ex illustri Signiæ Comitum prosapia oriundus, Alexandri IV. pronepos; & Bonifacii VIII. Patruus, vir multis virtutibus & scientiis celebris, à Bonifacio VIII. Anno salutis 1296. Presbyter Cardinalis designatus, oblatam dignitatem ex humilitate, non absque Pontificis offensione, constanter rejecit; potiùs eligens in claustro sub rigida Seraphici Patris Regula (quam primis adolescentiæ annis professus fuerat) inglorius latere; quàm rejectô saccô, in ipso orbis & urbis theatro purpuratus incedere, *ut se similem omninò redderet*, inquit Bzovius, *Duci suo Christo, qui humiliavit semetipsum usque ad mortem.*

Inter multa ejus miracula stupendum hoc narratur.

Inter plurima, quæ ab eo patrata leguntur miracula, illud cùm primis jucundum auditu & singulare: quòd dum acri detentus infirmitate, fastidiente stomacho, præter aviculas, ciborum nihil appeteret: appositas & benè præparatas noluerit commedere; sed compatiens occisis, ut animum frangeret suum, factô super eas crucis signô, jussit abire, & è disco avolare: illæ licèt deplumes & assatæ essent, dicto audientes, vivæ mox & hilariter garrientes, è disco protinùs, stupentibus cunctis, evolârunt. Eidem apparuisse memoratur Carolus Andegavensis Siciliæ Rex, Foggiæ extinctus, lamentabili ejulatu rogans, ut pro se Deo preces fundere ne gravaretur, ad mitigandos gravissimos pœnarum cruciatus, quos in purgantibus flammis pati cogeretur.

Carolus Rex è purgatorio suffragium ejus implorat

Quæ scripserit?

Singulari prorsùs affectu, teste Hippolyto Marraccio, Deiparam Virginem, quoad vixit, prosecutus est, cujus nomine quidquid peteretur, concedere solemne habuit. Edidit de Partu ejusdem Virginis insigne Volumen; nonnullosque sermones sacros, ad populum, provehendi Deiparæ honoris causâ, declamatos.

Uti in Vita, sic & post obitum signis claruit.

Vitam morte sanctissima terminavit Pilei in conventu Provinciæ Romanæ, ubi multis hodiedùm floret miraculis: inter quæ illud perpetuum, quòd ab ipso ejus monumenti prospectu abhorreant energumeni; vi verò illuc pertracti statim liberentur. Tantam de ejus sanctitate opinionem concepit Bonifacius Pontifex, ut sæpè sæpiùs, interposita fide, assereret: Illum se dignum judicare, qui statim post mortem Sanctorum fastis adscribatur: idque se curaturum, si suâ illum ætate mori contingeret. Quo verò anno obierit, & an ipsi Bonifacio supervixerit, incertum est ex Luca Waddingo. Alii tamen, non spernendæ notæ Auctores, probabili conjecturâ arbitrantur, eum ad superos evolâsse, regnante Bonifacio, Kalendis Februarii anno salutis 1302. Ejus Elogium paucis perstrin-

Obitus ejus, & Elogium.

git

git S. Antoninus tertia parte Historiæ, Titulo 24. capite 9. dum dicit: *In Conventu Anagniæ obiit Frater Andreas, nepos Domini Papæ Alexandri IV. qui pronunciatus Cardinalis, oblatum honorem renuit, & miraculis clarius* Paulus Cortesius & Eysengrenius (probatæ fidei Scriptores) eundem, *Virum*, appellant, *moribus & doctrina insignem, & in omni litteratura sua ætate nobilissimum.*

Ejus meminère Panvinius in Vitis Rom. Pontif. Waddingus in Annal. Min. Bzovius in Annal. Maraccius in Purp. Mariana. Martyrol. Francisc. Alii;.

ANNO 1294.

SEDENTE BONIFACIO VIII. PONTIF. MAXIMO.

De

JACOBO CAJETANO DE STEPHANESCHIS

S. R. E. CARDINALE.

XI.

JACOBUS Cajetanus de Stephaneschis ex nobili Stephanidum genere satus, Romanus, à Bonifacio VIII. inter Cardinales Diaconos, titulo S. Georgii ad velum aureum adlectus est anno Redemptionis humanæ 1295. die 17. Decembris: prout ipsemet in Vita Cœlestini V. quam heroicô carmine complexus est, attestatur. *Cardinalis à Bonifacio VIII. renunciatur.*

Urbs mihi principium, generis mihi nomen Jacob
Cajetanus erat; fluvii Trans-tybridis amnem
Stephanidum de stirpe Status, producor ab Ursa.
Maronem cecini repetentem claustra, Monarcham,
Insertumq; Polo: Bonifacius utq; triumphet
Urbe sacrâ Diadema ferens. Quo cardine fultus
Prodiš; . . . . . Deus hinc Tibi laus est.

Et in Præfatione, vitæ ejusdem Cœlestini præfixâ, hæc inter alia de se ipso narrat: *Historiam, quam ex veridica re, velutì præsens, videns, ministrans, palpans & audiens compilavi, metris refudi. Dicor autem Jacobus nomine, cognomento Cajetanus, Bonifacii VIII. beneficio Diaconus Cardinalis S Gregorii ad Velum aureum, Urbe natus regione Trans-tyberis propè venerabilem Dei Genitricis Ecclesiam, quondam dictam Tabernam meritoriam, utroque Parente antiqua nobilitate conspicuus. Nam Petro Stephani patre, matre verò Perna, illo de Stephani filiis, seu Stephanensium; illâ de filiabus Ursi, seu Ursinorum domo progenitis prodii; quorum in metro fusiùs commemini. Patre tam armorum strenuitate, quàm justitia rectitudine clarè noto; Matre autem charitate pia, sanctitate præcipua, ambobus prole ditatis &c.* *Primordia Generis sui, & studia ipsius enarrat.*

Ex quibus Ciaconii, Panvinii, aliorumque errores facillimè refelluntur, qui Jacobum hunc Bonifacii VIII. nepotem ex fratre nominant. Nam parentes, quos expressit, nulla cum Bonifacio sanguinis conjunctione erant adstricti. Reliquum vitæ suæ cursum de-

scribit in eadem Præfatione his ferè verbis : *Ego igitur post Rudimenta Grammatica, adolescentia, pubertatisq́, primordiis scientiarum Parisiis, Philosophiaq́ disciplinis traditus, adeò Dei munere profeci, ut nondum triennio elapso, magna solemnitate, laudeq́ non minima meruerim Cathedram magistralem ascendere; & scholares prælectis libris, qui ad artes, ut vocant, liberales pertinent, erudire & docere. Dehinc, invitus tamen, cùm totus Philosophia, sacraq́ pagina sperarem insistere, majorum meorum jussu rediens in Italiam, Civili juri, Legumq́ apicibus sub magna profunditatis Præceptoribus operã dedi; modicoq́ tempore tantùm in iis profeci, ut nec auditos difficiliores ex illis libros sensu caperem; sicq́ memoria tenaci tenerem, ut & interrogantibus facilè respondere; & ignorantibus documenta dare possem. &c.* Hæc ille de se ipso, alique plura, quæ hîc ego brevitati studens spontè omittenda duxi. Ex quibus luculenter apparet, excelsi illum ingenii, magnæque eruditionis virum extitisse.

Atrium in Vaticano Jotti operâ exornat.

Ejus jussu ac sumptibus Jottus, seu Giottus, celeberrimus ævi illius pictor in atrio Basilicæ S. Petri opere vermiculatô mirè elaboratam navim quæ Ecclesiam repræsentat, perfecit, quam ipse deinde cultis, suo more, versibus posterorum memoriæ commendavit.

Legatus in Italia multa egregiè pro Ecclesia præstat.

Jacobus à Bonifacio VIII. cum Petro Valeriano Cardinale Legatus ad Cæsenates, Forolivianos, Faventinos, aliosque vicinos populos destinatus, conjurationes ab iis in Ecclesiam Romanam conceptas magna ex parte compressit, Bononienses novarum rerum studiosos, ad concordiam hortatus, in pace continuit; ac Jura Ecclesiæ, interpositis pro rerum exigentiâ vel armis, vel censuris, sarta tecta conservavit.

Jussu Joannis XXII. Ordinis Minorum Patrocinium suscipit.

Anno 1334. jubente Joanne XXI. dicto XXII. Ordinis Minorum curam & patrocinium suscepit. Placet hîc Joannis Pontificis litteras, ad eum hac de re datas exscribere, sunt autem tales : *Nuper dilecti filii, Generalis & Provinciales Ministri Ordinis Minorum, de Generali ejusdem Ordinis capitulo, novissimè Assisii celebrato ad sedem Apostolicam accedentes, Nobis juxta præceptum Regulæ ipsius Ordinis humiliter supplicarunt, ut cùm Ordo ipse protectore, gubernatore, & correctore ad præsens careat, Te, quem ad Ordinem ipsum noscunt specialis devotionis & dilectionis affectum habere, in protectorem, gubernatorem, & correctorem eidem Ordini concedere dignaremur. Nos igitur, qui Ordinem ipsum sincerè diligimus, supplicationi hujusmodi benigniùs annuentes, Te, de cujus probitate, scientia, & providentia circumspecta planè confidimus, in protectorem, gubernatorem, & correctorem Auctoritate Apostolica Ordini & Fratribus concedimus memoratis. Nulli ergo &c. Datum Avenione X. Kal. Augusti. anno Pontificatûs nostri XVIII. Christi verò 1334.*

Joannes Pontifex Ordinis Minorum Patronus & fautor contra quosdam obloquentes asseritur.

Ex his aliisque similibus litteris liquidò constat, Joannem Pontificem Ordini seraphico addictissimum, indulgentissimumque fuisse: Auctores verò, qui eum Minoribus adversatum criminantur, mendacii & imposturæ redarguendos. *Certè Franciscanam disciplinam* (inquit Oldoinus in Vita Joannis) *& paupertatem adversùs Præpositum Minorum Geraldum, & alios, qui ad explanandam formulam præceptorum S. Francisci temerè se ingesserant, toto pectore defendit.* Oldoino suffragantur litteræ ipsius Joannis, ad Reginam Francorum his verbis datæ: *si Fratres*, inquit, *Minoritæ vellent agnoscere, quanto periculo illorum Ordo subjacebat tempore, quo assumpti*

ad statum

ad statum Pontificatûs sumus, credimus, quòd nequaquam in dubium revocarent, quòd ex quo cœpit ipsorum Ordo, nullus efficaciùs quàm nos pro eorum statu pacifico laboraverit, nec adhuc recusamus laborem. Ut quid igitur lividi quidam Scriptores Joannem Pontificem ceu Ordinis Minorum hostem & adversarium traducunt? cùm tamen nullus Romanorum Pontificum (vel ipso Waddingo Minoritâ teste) legatur, qui vel plura in ordinem contulerit beneficia; vel majora indulserit privilegia; vel plures ex Minoritis ad infulas promoverit pontificias. Hæc non sunt hostis, non adversarii, aut malevoli signa, sed apertissima beneficentissimi patris argumenta; laudem & gratias, non vituperium & nominis contumeliam promerentia. Plura in hanc eandem rem dicturi sumus infra n. 26. in vita Vitalis à Furno Cardinalis. Cæterum affuit Jacobus Cardinalis suo suffragio (ex Panvinio, Ciaconio, & Auberio) quinque Pontificum Romanorum electionibus. Demùm annis & meritis gravis, acuta febri correptus, vitam, quam summa religione in seram usque ætatem duxit inculpatam, terminavit Romæ die 23. Junii anno salutis 1343. Vixit in Cardinalatu annos quadraginta & octo. *Jacobi Cardinalis obitus.*

Scripsit De Ratione, Institutione, & Celebratione Anni Jubilæi, de quo etiam culta edidit Carmina. *Ejusdem varia Scripta.*
Libros tres de stupenda Fratris Petri de Murrone ad Papatum electione, ejusque abdicatione.
Poëmata plura, sacra, prophana, & mixta terso & eleganti stylo.
Sermones multos.
Epistolarum volumen & alia quædam.

Ejus mentionem faciunt. Lucas Waddingus in Annal. Minorum. Aubery in Vita. Panvinius de Rom. Pontif. Nomenclator Cardinalium. Andreas Victorellus in additionibus ad Ciaconium. Ciaconius & Augustinus Oldoinus, aliiq;.

ANNO 1294.

SEDENTE BONIFACIO VIII. PONT. MAXIMO.

De

GENTILI DE MONTEFLORIS
S.R.E. CARDINALE.

GENTILIS nobilis Picenus, Italus, dictus *de Monte-floris*, quòd in stemmate gentilitio tres monticulos floribus ornatos gereret. Is insignis ævo suo Ordinis Minorum Theologus, ex Lectore sacri Palatii Presbyter Cardinalis titulo Equitii à Bonifacio VIII. renunciatus, ejusdem Pontificis acerrimus posteà propugnator contra quoscunque adversarios, ac maximè Philippum Galliæ Regem extitit, ut suo loco dicturi sumus. XII. *A Bonifacio VIII. purpura ornatur.*

Affuit electionibus Benedicti X. & Clementis V. à quorum ultimo ob summam rerum cognitionem, juriumque notitiam sedis

A Clemente V. in Hungariam destinatur. Apostolicæ Legatus in Hungariam destinatus, cùm per Bononiam iter in Hungariam haberet, magnis honoribus à Senatu, Populoque Bononiensi exceptus est die 17. Decembris, anni 1307. In hac legatione Hungaros, sacrorum usu (ob negata Carolo Regi, Apostolicâ sententiâ confirmato, obsequia) privatos, ad officium & concordiam redegit, indictis propè Pestum, vicinum Budæ oppidum, omnium Ordinum Regni Comitiis, in quibus, extinctis utcunque odiis, Carolus jam anteà Rex designatus, ab Hungaris susceptus; & Legati decretò confirmatus est.

Hungaros ne porrò Carolo Regi negotiû facesserent, legibus terret, & pœnis. Publicæ autem pacis amator, omnes, qui deinceps adversùs Carolum Regem conjurationes inire, suscitare, aut fovere præsumerent, non modò politicis legibus plectendos, sed & pœnis Ecclesiasticis, in posteros etiam valituris, afficiendos decrevit. Cùmque Corona Regia, quam *Sanctam* Hungari vocabant, eò quod S. Stephanus Hungariæ Rex à Pontifice Romano olim acceptam gestâsset, tantæ apud illos venerationi esset, ut simpliciores è plebe jus omne regium in eâ repositum arbitrarentur; & ea opinio anteà Wenceslao Rege Bohemiæ, dein Othone Duce Bavariæ, demum Ladislao Vaiwoda, eâ potitis, graves tumultus, ac rebelliones in Regno peperisset; Legatus, malo occursurus, statuit eam profanam habitum iri, nisi à Vaiwoda, in cujus tum potestate erat, constituto tempore restitueretur, aliamque Carolo Regi sacrâ lustratam prece à Romana Ecclesia in prioris locum ejusdem dignitatis tradendam.

Matthæum Palatinum anathemate desigit. Ecclesiastico deinde anathemate perculit Matthæum Palatinum ob multa in Deum, & Majestatem regiam, populumque Hungaricum patrata flagitia. In hac legatione confirmâsse Gentilem Ordinem Fratrum Eremitarum S. Pauli Primi Eremitæ in Hungaria sub Regula Divi Augustini constitutum, auctor est Panvinius. Hunc Legatum sua in historia egregiè laudat Bonfinius, eumque *Virum gravissimum, doctum, consilii & virtutis haud mediocris compotem appellat.*

Post Legationem Hungaricam aliis Legationibus in Galliis & Siciliâ perfungitur. Post legationem in Hungaria completam, aliis identidem obeundis, jussu Pontificis, admotus est Gentilis, tum ut Philippum Gallorum Regem, qui perperàm Bonifacii VIII. electionem in dubium vocaverat, ac propterea ad eam ventilandam iniquum Viennæ Concilium indixerat, à proposito deterreret; tum ut turbatis rebus Siculis, quæ maximè Pontificis animum urebant, qua posset arte succurreret, sublatisque dissensionibus mederetur: Siculos ad Ecclesiæ obsequium redire volentes, benigno sinu exciperet; in contumacia verò persistentes diris percelleret.

Bonifacium VIII. in Concilio Viennensi adversùs Gallos defenditseiusq; famam acerrimè propugnat. In Concilio Viennensi Bonifacium VIII. à Philippo infensissimo hoste, hæreticum, blasphemum, perjurum, simoniacum, & homicidam declaratum magno argumentorum pondere *Catholicum, probum, & innocentem* constantissimè asseruit. Eumque contra illos, qui ipsius memoriam tanquam hæretici à Clemente V. damnandam contendebant, petitis è Theologica & Juridica facultate gravissimis rationibus strenuè defendit, ac propugnavit. Præsente verò ipso Rege Philippo, pari fidei & doctrinæ zelo eundem Bonifacium verum & legitimum fuisse Pontificem demonstravit, & ab impositis calumniis, objectisque criminibus prorsùs insontem & alienum proba-

probavit: quin & litteris scriptis palam orbi testatus est, *Illum non furenti similem carmina morte* (ut quidam malevoli detractores ad captandam hostis Regis gratiam calumniabantur) *sed piè, sanctèq; integris sensibus, susceptisq; devotè Ecclesia Sacramentis ad Dominum migrâsse.* Gentilis verba ex actis Vaticanis desumpta hæc sunt: *Omnes Articulos fidei, more summorum aliorum Pontificum recognoscens & confessus coram octo Cardinalibus* (inter quos Gentilem fuisse nemo dubitaverit) *explicitè professus est, asserens & profitens, se firmiter tenuisse, & tenere eam fidem, quam tenet & docet sancta Romana Ecclesia; in eaq; se mori velle; uti reverà, susceptis priùs necessariis Sacramentis, mortuus est.* Gentili per omnia adstipulatur Mauclerus, probatissimus Auctor in hæc verba: *In Vaticano palatio spiritum Deo reddidit Bonifacius hujus nominis Octavus, non furenti similis, ut quidam calumniatorum, schismaticorum, ac hæreticorum deliria secuti, falsò scripserunt: sed pleno judicio, integro rationis sensu, veràq; commissorum peccatorum tactus contritione cordis.* Jacobus Stephanescus Cardinalis (cujus numero XI. memini) testis oculatus beatam Bonifacii mortem his versibus insinuat.

Calumnia in Bonifacii injuriam conficta refellitur.

Nonnulla in hanc rem bonorum Authorum testimonia adferuntur.

— — — *Lecto prostratus, anhelus*
Procubit, fassusq; fidem, veramq; professus
Romana Ecclesia, Christo tunc redditur almus
Spiritus, & sævi nescit jam Judicis iram,
Sed mitem placidumq; patrem, ceu credere fas est.

Non igitur, ut multi calumnias hæreticorum secuti mentiuntur, capite parieti illisô; arrosis digitis, & manibus, canis instar furentis decessit Bonifacius; sed, ut oculati testes referunt, placidè pieque, ut Pastorem summum in terris decuit, in Domino quievit. Certè cùm Anno salutis 1605. regnante Paulo V. Sepulchrum ejus post trecentorum annorum volumina in Basilica Vaticana, novæ structuræ causâ, apertum dimotumque esset, repertum est corpus ejus integrum, illæsum & incorruptum. Caput enim, quod debebat parieti illisum fuisse, sanum; manus, quas calumniabantur corrosas, integræ; nervi carne vestiti: venæ protuberantes, ac totum denique corpus (si nasi extremitatem non desiderâsses) ex omni parte integrum & incorruptum apparuêre. Quo admirando, prorsusque singulari testimonio iniquas Deus malevolorum linguas confundere; & innocentiam Vicarii sui Orbi manifestam reddere; initumque ab eo certamen pro Justitiæ defensione, cœlo & superis gratum demonstrare voluit. Atque hæc pauca pro justa Bonifacii defensione attulisse sufficiat. Lectori plura innocentiæ Bonifacianæ testimonia desideranti, subministrabit solidissima, præter Augustinum Oldoinum, Abrahamus Bzovius in Annalibus Ecclesiasticis ad annos 1300. 1301. 2. & 3. Ex quo brevem hanc, quam subjicio, rerum ejus gestarum Synopsim excerpsi, ad confundendam Jacobi Hoffmanni Basileensis, aliorumque calumniatorum petulantiam. Sic habet: Fuit Bonifacius Pontifex doctrina, prudentia, natalium origine, & rerum experientia præstans; moribus optimis, ingenio, memoria, & acri judicio prædius, magno & excelso animo ornatus; jurium ac libertatis Ecclesiasticæ constantissimus, acerrimus, & intrepidus assertor, qui sacram Ecclesiæ ditionem tum amplificavit,

Bonifacii corpus post trecentorum annorum decursum integrum ac incorruptum invenitur.

Bonifacii VIII. rerum gestarum brevis Synopsis.

cavit, tum defendit; sacrilegos & majestatis Pontificiæ violatæ reos fregit; Schisma universæ Ecclesiæ, Philippi Pulchri Galliarum Regis malignitate enascens, Dei fretus auxilio ingentibus ausis prævertit, inque ipso semine viriliter restinxit. Basilicam Vaticanam, in qua condi post obitum voluit, plurimùm ornavit: viginti quatuor Clericos in ea ad provehendum Dei cultum locavit; numerum Canonicorum adjecto præpingui salario auxit; in Sacello ab se Divæ Catharinæ dicato tres presbyteros, qui sacris perpetuò vacarent, constituit; eidem Basilicæ prægrandem aureum calicem, gemmis mirè exornatum (pretio trium millium florenorum) donavit, oppidaque, castra, agros, gratias, & indulgentias largitus est. Idem marmoreum suggestum cum porticu apud Basilicam Constantinianam Laterani condidit, ex quo, in die Cœnæ Dominicæ, & alio tempore, in Columnenses, & Philippum Regem Francorum, Ecclesiæ rebelles anathemata promulgavit: eâque re adversariorum animos, manus, linguas, & calamos ita in se exacuit, ut quidquid livor (mendaciorum & injuriarum parens) iis instillaret, in eum, nullâ dignitatis, nullâ veritatis habitâ ratione, velut phrenetici exonerarent. Produnt autem, qui ex vero de rebus Bonifacianis scripsêre, quòd cùm Columnenses de illatis sibi injuriis ad Reges, Principesque Christianos omnes scripsissent, eumque arrogantiæ, ambitionis, libidinis, hæresis, ac malignitatis insimulâssent, neque legitimum esse Pontificem, & mortis Cœlestini antecessoris reum esse infamâssent, eorum literas ut impuras, impias, scandalosas & blasphemas nemo susceperit, nemo legerit: quòd scirent omnia ab illis sacrilegè conficta, inter imposturarum & calumniarum strophas rejicienda esse. Sed jam ad institutum.

Infames adversariorum literæ à Principibus Christianis non recipiuntur.

Propugnatâ igitur in Concilio Viennensi Bonifacii Pontif. memoriâ Gentilis in Italiam rediens, jussu Clementis V. thesaurum Ecclesiasticum, ingentis precii, trans alpes tuto loco transferendum curavit. Lucam, claram Hetruriæ urbem perveniens, ultrà progredi noluit, quòd terrâ, mariq; factiosorum furore viæ omnes interclusæ essent: eum propterea in Sacrario S. Fridani conditum reliquit, quem Castrucius Lucensium Tyrannus, homo impius, dirisque devotus paulò pòst in odium Pontificis, ausu sacrilego invasit, diripuit, ac, ut dicitur, in scorta prodegit. At ultore Deo tantæ suæ temeritati non diu superfuit, siquidem ingruente pestilenti autumno ex Pistoriensis belli laboribus, quin & assiduis suis libidinationibus accersitâ fœdissimâ lue, inter enatos corporis & conscientiæ vermes, animam in execratione exhalavit, orcoque transmisit: Tyranni nomen ex atrocibus factis consecutus.

Thesaurus Ecclesiasticus à Gentili Lucam translatus, à Castrucio sacrilegè diripitur.

Infelix Castrucii obitus.

Spectat & hoc ad gloriosam Gentilis Cardinalis memoriam, quòd vivente etiamnum Bonifacio, adversùs Fraterculos hæreticos inquisitor constitutus, eidem pontifici author fuerit eos funditùs exstirpandi. Rem ex idoneis Scriptoribus desumptam, in gratiam Lectoris paulò altiùs repetum. Obrepserat circa salutis annum 1303. (qui fuit regiminis Bonifaciani supremus) nefanda quædam, sub pietatis specie, hæresis secta, Fraticellorum, seu, quòd idem est, Fraterculorum vulgo dicta: res suo quidem ortu læta, sed exitu de-

Gentilis Cardin. Inquisitor hæreticæ pravitatis constitutus, Fraterculos damnat.

testa-

testabilis ac tristis. Qui huic nomen dederant, intempesta nocte convenientes sacris operari consueverunt. Fuitque à principio (ut credere fas est) mens ejus sacri inventoribus non prorsùs aliena à pietate: cæterùm tempus ipsum, sexûs inæqualitas, & loci licentia (nam in abditis ea sacra fiebant) omnia in pejùs vertêre. Hi, ut auctor est Prateolus *lib. 6. de sectis hæreticorum*, Anabaptistarum more, qui nostra hac ætate in incertum vagantur, promiscuos concubitus licitos esse senserunt. In locis nempe secretis tale ab eis perpetrabatur scelus, ut vocatæ & de industria ab eisdem seductæ speciosiores quæque viduæ, matronæ, & virgines, cùm in ea ipsa loca venirent Sacerdotes Apostatæ, ejusque sectæ Clerici & Monachi, januis clausis, beneque obfirmatis, divinas laudes ad comparandam fidem, ex Christiano ritu decantabant: hocque idcircò prævié faciebant, ut aliquo pietatis prætextu nefanda sua flagitia contegerent. Quibus circa noctis medium peractis, sacrilegi Mystæ alta voce circumstantes commonebant, binos debere, masculum scilicet & fœminam, sancto Spiritu invocato, in copulam carnalem commisceri. Quo dicto, & luminibus extinctis, quilibet sibi proximam mulierem, ut ad hujus, vel illius manus per circulum errando devenisset, prosternebat. Et si ex tali concubitu (quem illi sanctum nuncupabant) mulier concepisset, infans recèns genitus ad eam specum deferebatur, & per manus singulorum in orbem stantium tamdiu jactabatur, donec efflaret animam. Is verò, in cujus manibus exspirâsset, in medium ductus & adoratus Pontifex maximus salutabatur. Cremabant ad hæc sacrilegi pseudosacerdotes unum aliquem ex infantibus ita procreatis, cineremque ex eo collectum in cadum conjiciebant, ac vino superinfuso, quo novitii initiabantur, omnes inebriabant. Docebant porrò nihil proprium esse habendum, ne uxores quidem, sed omnia in communi & promiscuè: rursùm Respublicas à Christianis non esse administrandas, neque Sacerdotia à Pontificibus, aut Regna à Regibus, unum enim Deum rerum omnium auctorem esse & gubernatorem: Christianos à Salvatore libertatem assecutos, nulli mortalium subjacere, nullis legibus humanis teneri, aliaque id genus plurima execranda, quibus inter homines æqualitatem, & commune singulis in omnia jus, sublatâ quacunque superiori auctoritate, introducere adnitebantur.

Fraterculorum nefanda hæresis.

Eorundem prodigiosæ turpitudines

Quæ docuerint?

Diabolicum hoc malum à Græcis primùm in Italiam emanans, brevi tempore universam ferè Æmiliam, ac Liguriam occupavit, adeò ut Bonifacius habuerit necesse, impigros viros, doctrinâ & zelo fidei præstantes (inter quos Gentilis nôster præ cæteris eminuit) in ejus excidium expedire, atque aliquot ejus sectæ homines, quos seducti pro Sanctis coluerant, exhumari & flammis exuri jubere, universamque sectam decretis per Inquisitores publicatis, impietatis damnare. Quo vel uno argumento satis posteritati testatum reliquit, se longè à crimine hæresis (quod illi eodem tempore exulceratus Galliæ Rex Philippus impotenter impegerat) alienum esse; quam ipse & Constitutionibus editis damnâsset, & Inquisitores ac Episcopos unà cum magistratu sæculari in eam incitâsset, &

Fraterculi unde orti?

tum gladios, tum flammas non semel in hæreticos, etiam fatis functos, ex lege Ecclesiastica expedivisset.

Gentilis Cardinalis obitus.

Terrestres exuvias post plurima benè facta demùm exuit Gentilis Avenione die 27. Octobris anno à Christo nato 1312. Corpus ejus in Italiam transvectum, Assisii in sacello sanctorum Ludovici & Martini à se constructo, pieque dotato, sepulturæ mandatum est. Andreas Victorellus in additionibus ad Ciaconium contra Scriptorum omnium sententiam evincere conatus est ex monumentis Avenionensibus, Cardinalem hunc obiisse in Hungaria anno salutis 1307. cùm tamen nonnisi anno 1308. missus sit in Hungariam, uti legationis ejus tabulæ claré demonstrant. Ea legatione functus, in Concilio Viennensi, sub Clemente V. anno salutis 1311. celebrato, Bonifacii VIII. causam & famam, juxta superiùs dicta, tutatus est contra iniquas Francorum Regis imposturas. Hunc errorem, in quem deceptus Victorellus inciderat, ipsemet postea in additionibus ad vitam Clementis V. circa finem correxit.

Error Victorelli detegitur.

Scripsit Gentilis Homilias multas & doctas, ad Populum, ut refert Eisengrenius, habitas.

Gentilis Scripta.

Apologiam item pro Bonifacio VIII.
Dissertationem adversùs Fraticellos.
Pluraque alia opuscula, teste Tossignano.

Ejus memoriam agunt Panvin. de Rom. Pontif. Joseph Maria Suaresius in Pranest. Antiquit. Aubery in Vita. Gaspar Jongellinus Abbas Cisterciensis in Elogiis Cardin. Ord. Min. Antonius Sanderus in Elogiis. Raynaldus, Bzovius, Spondanus in Annal. Ecclesiast. Waddingus in Annal. Min. & alii passim.

ANNO 1294.

SEDENTE BONIFACIO VIII. PONTIF. MAXIMO.

De

RICHARDO PETRONO DE SENIS S.R.E. CARDINALE.

XIII. RICHARDUS Petronus, filius Diotisalvi Petroni civis Senensis, nobili genere Senis ortus, adolescens politioribus disciplinis apprimè excultus, diligentem Senis utrique Juri operam impendit, qua in facultate exiguo temporis spatio adeò excelluit, ut arduis ævo suo Jurisprudentiæ difficultatibus enodandis tanquam publicum oraculum adiretur; maximamque eruditi viri famam eximiæ doctrinæ opinione totâ Italiâ consequeretur. Bonifacius VIII. ejus nominis celebritate permotus, ad se accitum, non modò Vice-Cancellarii munere, sed & purpurâ & legationibus variis cohonestavit; eidemque unà cum Archiepiscopo Ebredunensi, ac Berengario Episcopo Biterrensi onus imposuit Sextum Decretalium Librum compilandi, edendique: quem ad eam, quam nunc cernimus formam diligenti studio redegerunt, ut ex Libri ipsius principio, sive Bonifacii Præfatione apparet, in qua

Illustris Jurisconsultus efficitur.

A Bonifacio VIII. Vice-Cancellarii munere & purpura ornatur.

qua hæc legimus : *Nos ad apicem summi Pontificatus superna dispositione vocati, supra hoc cum instantia requisiti à multis, ambiguitatem & incertitudinem hujusmodi dispendium pluribus afferentem omnino tollere, ac elucidare, qua de Decretalibus ipsis teneri, quave deberent imposterùm refutari, gratiâ suffragante divinâ, pro utilitate publica desiderabiliter affectantes; per venerabiles fratres nostros Guillelmum Archiepiscopum Ebredunensem, & Berengarium Episcopum Biterrensem, ac dilectum filium Magistrum Richardum de Senis S.R.E. Vice-Cancellarium, Juris utriusque Doctorum, Decretales hujusmodi diligentiùs fecimus recenseri.*

Cœterùm non parùm Richardi famam Cardinalis, Auctore Ciaconio, denigravit; quòd beneficii accepti immemor, illius conspirationis conscius & particeps fuerit, qua Bonifacius VIII. à furente Philippo captus, maleque habitus, paulò pòst mœrore animi prostratus obiit. Hanc verò Ciaconii de Richardo opinionem improbat Augustinus Oldoinus, dum scribit : *Neminem antiquorum Scriptorum legi, qui ingrati animi notam hanc Richardo objiciat.* Et certè, meo quidem judicio, vel Richardus piaculum tale non patravit, vel si patravit, cita eum pœnitentia subiit: nam in Concilio Viennensi Bonifacium ille Octavum omni suspicione hæreseôs, & calumniis à Rege Galliæ impactis, ipso, ejusque Senatu præsentibus, plurimâ argumentorum e jure imperiali petitorum congerie liberavit; strenueque ut innocentem, verumque Pontificem in consortio Gentilis Cardinalis tutatus est. His stantibus, quis facilè Richardum uno eodemque quasi tempore ejusdem Pontificis & adversarium & defensorem crediderit ? Ratio utique, & contraria Scriptorum pænè omnium sententia, auctoritate fulta, erroneæ Ciaconii opinioni apud prudentes præponderabit? illudque evincet, ut Richardus ab objecta calumniæ nota immunis credatur.

Sinistra Ciaconii de Richardo opinio affertur, & refellitur.

Clementis V. jussu, duplici legatione functus est Richardus anno salutis 1307. Primâ, ut Italos proceres horribili inter se bello concertantes, & obsequia debita Apostolicæ Sedi denegantes, mutuo amicitiæ fœdere conjungeret; atque ad præstandam Romano Pontifici fidem censuris & armis, si reniterentur, compelleret. Secundâ, ut si per se solus tam operosum, maximeque arduum negotium conficere non posset, Henricum Cæsarem recens electum, in auxilium adversùs refractarios evocaret. Erat autem causa, cur Henricum Clemens, ut in Italiam quantocyùs properaret, perurgeret. Cupiebat etenim tum discordiis laborantes Provincias, (cùm consiliis, legationibus, & censuris non moverentur) armis coercere; tum in contemptores clavium Ecclesiæ acriùs, ut par erat, vindicare. Inter alios Florentini Neapoleonem Ursinum Cardinalem, anathemata & interdicta stringentem, contempserant. Tantùm enim abfuit, ut eas censuras metuerent illi, ut religiosos, Ecclesiasticosque suorum locorum, majoribus, quàm possent conferre, tributis gravatos, ab exactoribus crudelissimè vexari, exhauririque impunè permiserint. Quo sacrilego ausu ingentem sibi calamitatem ab ultore Deo accivêre. Ut enim Cursium Donatum civem amplissimum patriâ ejicerent, per mutuas cædes ac incendia vicissim alteri in alteros sævierunt, Urbemque majore ex parte flammis

Legatione fungitur in Italia.

Henricum Imp. in Italiam evocat.

Florentini Pontifici rebelles.

Cursius Donatus in fugam caditur.

mis exustam, civili etiam cruore deformârunt. Curtius quoque Donatus seditiosi furorem populi (de quo benè meruerat) declinans, in ipsa fuga à tumultuantibus confossus interiit.

Richardus Caroli Siciliæ Regis opē implorat.

Aliæ quoque Provinciæ partim inter se digladiabantur, partim imperium Romanæ Ecclesiæ detrectabant. Ad eas itaque in ordinem redigendas Clemens præter Richardum duos insuper Purpuratos Legatos cum liberis mandatis miserat, eisque tum belli, tum pacis, ac maximarum rerum jus, arbitriumque concesserat. Horum Auctoritatem cùm necquicquam (præsertim Picentinorum aliqui) magnifacerent, in primis Carolum Siciliæ Regem, ut auxilia Rectoribus Marchiæ contra Anconitanos, Esinos, & alios Ecclesiæ Romanæ rebelles, submitteret: deinde Robertum Calabriæ Ducem, & Philippum Principem Tarentinum, & sexcentos milites in subsidium Sedis Apostolicæ, ex pactis in concessione Regni Siciliæ à Carolo patre expressis, ac Romano Pontifici juramento firmatis, quamprimùm ire juberent, adeoque expedirent, ad pertinaciam refractariorum frangendam, comprimendamque.

Nil proficit, hinc Cæsari in auxilium erget.

Hæc omnia cùm Richardus cum duobus sociis Legatis, & per Carolum Regem, ac reliquos pontificii nominis Principes curaret, non tamen efficere potuit, ut subditi Romanæ Ecclesiæ morem Rectoribus gererent, aut reliqui Proceres tum Romani, tum Hetrusci diffidentes, arma deponerent, & in gratiam redirent. Opus erat ipsum Henricum Imperatorem, tanquam Ecclesiæ Advocatum, in auxilium evocare: qui Italiam undique seditionibus perturbatam tranquillaret, & renitentes Sedi Apostolicæ sive castigaret, sive obsequentiores redderet. Quamquam & ad hæresim, recèns ea ætate enatam, extirpandam opus erat ferro Cæsareo.

Dulcinus & Margarita hæresiarchæ emergunt.

Per id enim temporis Dulcinus quidam & Margarita uxor ejus hæresiarchæ apud Novariam Lombardiæ urbem sectatores utriusque sexûs ad aliquot millia nacti, virus diffundere cœperant, eò quidem perniciosius, quo & sacerdotes & religiosos in populorum invidiam adductos spernentes, simulatam quandam puritatem, vitæque innocentiam proponebant, secundùm quam immixti fœmellis mares immani lasciviâ ad libitum promiscuè detacchabantur. Bernardus Lucemburgensis auctor est in Catalogo hæreticorum, Dulcinum tam pudendæ ac effrenatæ libidinis extitisse, ut ad sex millia utriusque sexûs (inter quos decennes etiam pueri ac virgines comprehendebantur) sub charitatis specie cohabitare docuerit; & blandiloquentiâ quadam atque suadelâ ad promiscuos congressus, actusque pudendos & naturæ contrarios impulerit. Hi Alpes incolentes, in omnem luxuriam effusi fœdissimè prolabebantur, adeò quidem, ut hæc pestis per duorum aut trium annorum spatium innumeros omnis ætatis, status, ac conditionis homines corruperit, tantâ quidem vi, ut Clemens Pontifex hoc anno coactus fuerit, cum Richardo Inquisitores variorum ordinum illuc mittere, qui Dulcinum & suos complices à tam nefaria vivendi ratione aut revocarent, aut diligenti & accuratâ disquisitione factâ, ad Sedem Apostolicam referrent, num ita se res haberet, quemadmodùm fama & renunciatio multorum divulgaverat.

Eorum horrendæ turpitudines.

Cùm

Cùm verò Richardus & Inquisitores nihil monendo adversùs tantam multitudinem, quanta Alpes incoluerat, profecissent, adversùs eam impietatem, sacram militiam Cruce signatorum Inquisitoribus prædicari imperavit: indulgentiasque eas militantibus concessit, quas solent consequi, qui contra perfidos Saracenos, vel contra alios fidei hostes dimicationem suscipiunt. Totius belli sacri curam Legato Cardinali Richardo adversùs eos misso Clemens commisit: qui conscripto exercitu, signisque collatis, eos in abrupta Alpium fugavit, & partim armis, partim frigore ac inediâ oppressit. Dulcinus & Margarita cum primoribus hujusce sceleratæ atque contaminatæ factionis capti, priùs membratim concisi, ad postremum flammis exusti, & in cineres redacti sunt. Hæc cùm Legatus & Inquisitores, Dei auxilio freti, egissent, non tamen hæc pestis potuit omninò deleri, aut extirpari, sed in Tridentinis montibus, ubi Dulcinus suæ hæresis initium dederat, ejus reliquiæ remanserant: ubi *prophani* (quod Oseas c. 4. futurum prævideret) *cum meretricibus conversabantur, & cum effœminatis sacrificabant.*

Dulcinistæ à Legato impugnantur.

Fugantur, capiuntur, exuruntur.

Fuit Richardus inter Purpuratos Principes sui temporis omnium ditissimus habitus, utpote qui ducenta aureorum millia, ex Dulcini excidio magna ex parte collecta, in ære parato possidebat; profusus in quoslibet pauperes, maximè eos, quos erubescentia stipem publicam colligere vetabat. In horum commodum panem ipse domi quotidianum conficere, iisque clanculùm (quo aptiùs eorum pudori consuleret) per suos servos, ad id genus ministerii de industria constitutos, deferri ac ministrari jussit. Moriens amplissimum patrimonium piis usibus destinatum reliquit, de quo maxima fuit inter Juris-Consultos disceptatio, ut testatur Aretinus Consilio 36. Senis in patria celebre Monasterium Carthusianorum, DEIparæ Virginis honori dicatum, à fundamentis erexit, ornavit, dotavit, insigne sui erga Augustissimam Cœli Reginam religiosi affectûs monumentum. Construxit pariter eâdem in Urbe juxta portam novam domum hospitalem, S. Catharinæ concivi suæ nuncupatam: Cœnobium item Monialium sub regula Divæ Claræ militantium, & Ecclesiam S. Nicolai de Bario, aliaque multa non vulgaris pietatis signa post se reliquit, quæ uti famam ejus summoperè condecorant, sic longùm esset, ea hic omnia referre.

Richardus Card. avo suo uti Purpuratorum ditissimus, sic & in pauperes largissimus.

Pietatis ejus monumenta.

Extremum spiritum meritis plenus effudit non Avenione, ut perperàm scripsit Ciaconius, sed Genuæ IV. Kalend. Martii anno ab orbe redempto 1313. Corpus ejus Senas translatum, cereisque funalibus accensis à concivibus suis obviàm factis exceptum, in Ecclesia principe, marmoreo tumulo cum hac inscriptione conditum memoratur:

Obitus ejus & Epitaphia.

Frigida RICHARDI *lapis hic tegit ossa* PETRONI:
Suscipe Virgo parens animam, Sate Virgine parce,
Fessaq; jam terris Cœli requiescat in Arce.

Verùm, ut ingenuè fatear, anceps hæreo, multumque dubito, an unquam cineribus Richardi Cardinalis prælibatum Epitaphium fuerit appositum? nam id ipsum, paucis mutatis, tumulo Franci-

 sci

ſci Petrarchæ inſcriptum legitur anno ſalutis 1274. ab eodem Petrarcha, dum viveret, teſte Paulo Jovio, compoſitum.

Ejus Scripta. Scripſit Richardus plurima ad Jurisprudentiam ſpectantia, nominatim: *De contractibus: De Codicillis: De Feudis: Collectionem item Decretalium*, ut Auctores probati aſſerunt.

Ejus mentionem faciunt Azolinus in Pompis Senenſium. Trithemius de Script. Eccleſiaſt. Aubery in vita. Panvinius de Rom. Pontif. Odericus Raynaldus in Annal. Eccleſiaſt. Waddingus in Annal. Minor. Hippolytus Marraccius in Purp. Mariana. Aliiq;.

ANNO 1294.

SEDENTE BONIFACIO VIII. PONTIF. MAXIMO.

De

JOANNE MINIO DE MUROVALLIUM S.R.E. CARDINALE.

XIV. JOANNES Minius, dictus de Murovallium, Picenus, Firmanæ Diœceſis, à puero Regulam S. Franciſci in Ordine Minorum profeſſus, brevi tempore ſuos omnes legum cultu, pietate, obedientia, ac voluntaria corporis afflictatione ſuperavit. Is ob præſtantem litterarum cognitionem, qua inſigniter eruditus excelluit, juſſu Nicolai IV. ſucceſſit in munere Lectoris Palatii Apoſtolici Guillelmo de Falgario Toloſano, ad Epiſcopatum Vivarienſem in Gallia tum aſſumpto. Anno verò Domini 1296. in Comitiis generalibus Anagniæ celebratis, quibus Bonifacius ipſe Pontifex præfuit, omnium ſuffragio electus eſt in quartum decimum ſui Ordinis Generalem. In hujus manibus ſolemnem profeſſionem emiſit in vigilia Nativitatis Domini, ejuſdem anni Romæ in Conventu Aræ Cœli ſanctus Ludovicus Minorita, Caroli cognomento Claudi, Siciliæ Regis filius, & Caroli Martelli Ungariæ Regis frater germanus, aſſumptus poſteà ob excellentem vitæ ſanctimoniam ad Epiſcopatum Toloſanum.

Vir religioſus & doctrinâ excellens Ordinis ſui Miniſter Generalis eligitur.

In ejus manibus B. Ludovicus Siciliæ Regis Filius profeſſionem ſolemnem emittit.

Joannes ad generalem ſui Ordinis dignitatem evectus, in eâque confirmatus, ſtuduit quàm maximè eundem Ordinem, lapſu temporis à primævo Inſtituti rigore devium, ad antiquam ſeraphicæ diſciplinæ normam revocare; quòd & egregiè, Dei cooperante gratia, obloquentibus licèt multis, perfecit.

Lapſam in Ordine diſciplinam reſtituit.

Anno reparatæ ſalutis 1302. Joannes Bonifacii Pontificis juſſu unà cum Nicolao Bocaſino è familia Prædicatorum Gandavum ſe contulit ad confirmandas, ac ſolidiùs ſtabiliendas inducias, quas inter Philippum Gallorum Regem, & Guidonem Flandriæ Comitem Carolus Claudus Siciliæ Rex ad biennium pepigerat. Quo in munere ita integrè, prudenterque ambo Legati ſe geſſerunt, ut finito negotio ad Bonifacium redeuntes, mox ab eodem in vicem præmii pur-

Gandavum Legatus miſſus, pacem inter Galliæ Regem, & Flandriæ Comitem ſtabilire ſatagit.

purpuram receperint. Joannes Cardinalis renunciatus, paulò pòst ad Episcopatum Portuensem ac S. Ruffinæ promotus fuit, nec tamen susceptam semel Ordinis curam deposuit, quousque alius tanto munere dignus in sui locum per publica comitia minister generalis eligeretur. Hac ratione consultum voluit Pontifex religiosæ Familiæ, in qua restauranda Joannis studium singulare compertum habuit. Eundem posteà, abdicato priùs Generalatu, ejusdem Ordinis Patronum & Correctorem nominavit: quod munus summa integritate, ac vigilanti prorsus cura usque ad obitum retinuit.

Cardinalis renunciatus Generalatû deponit.

In Concilio Viennensi Bonifacium VIII. quem Philippus Francorum Rex uti hæreticum damnari petebat, cum aliis præstantibus viris (suprà numero 13. & 14. laudatis) Juridicis, ac Theologicis rationibus strenuè defendit; ac impiam adversariorum temeritatem repressit. Fuit verò Joannes Cardinalis in Theologica scientia Doctor eximius, nullique sua ætate secundus, de quo Paulus Cortelius hæc ad posteritatem transmisit: *Eadem ætate Joannes de Murovallium; Gualterus Britannus, Jacobus Ossa, & Gerardus Tolosanus sunt Theologicâ doctrinâ cogniti, à quibus multa in Theologia scripta fuisse constat, quæ jam vel obruta vetustate sint; vel minoris à fastidiosiore juventute fiant, quàm æstimari à prudentioribus debeant.* Scripsit porrò epistolam encyclicam ad universos Ordinis sui Ministros circa paupertatem retinendam, quam Lucas Waddingus tomo 3. Annalium suorum exscriptam Lectori exhibet. Sermones item præclaros, in solemnioribus anni festivitatibus ad populum recitatos, & alia plura.

In Concilio Viennensi Bonifacium VIII. defendit.

Ejus Scripta & elogium.

Jottum Florentinum, clarum sui ævi pictorem magno pretio Assisium perduxit, ejusque doctô penicillô triginta duas vitæ Seraphici Patris Francisci historias exprimi curavit, quibus nescias uter alteri, Pictor Joanni, an Joannes Pictori majorem apud posteros laudem pepererit? cùm & pingentis venustas, & jubentis pietas pari lance in hanc usque diem commendentur, & in admiratione sint. Cæterùm Joannes meritis æquè ac annis gravis, mortalem vitam sanctâ morte conclusit Avenione, teste Mariano, & Contelorio, circa annum Redemptionis 1313. Sepultus ibidem ad suos consodales absque ulla inscriptione, pro ut ipse humilitati studens, supremis tabulis mandaverat. Historici ferè omnes Seraphicæ Familiæ, Joannem hunc ob excellentem in dicendo facundiam *Miraculorum tubam* appellant.

Gesta S. P. Francisci à Jotta penicillô exprimi curat.

Ejus obitus.

Ejus mentionem faciunt Panvinius de Roman. Pontif. Aubery in Vita. Contelorius in Elencho Cardinal. Odericus Raynaldus in Annal. Waddingus in Annalibus Minorum. Marianus & Alii.

ANNO

ANNO 1294.

SEDENTE BONIFACIO VIII. PONT. MAXIMO.

De

ÆGIDIO COLUMNENSI S.R.E. CARDINALE.

XV.

Ordinem Eremitarum D. Augustini ingreditur.

ÆGIDIUS Romanus clarissimo Columnensium sanguine ortus, generis nobilitatem doctrina, Scriptis, & vitæ sanctimonia longè reddidit illustriorem. Nam mundi illecebris & sæculi vanitatibus contemptis, primo pubertatis flore in Cœnobio S.Mariæ de Populo Romæ divino se devovens famulatui, religiosæ familiæ Eremitarum sub divi Augustini Regula pugnantium nomen dedit. Româ Lutetiam Parisiorum superiorum jussu delatus, cùm altissimi ingenii esset, tantum in litteris cùm Philosophicis, tum Theologicis sub Divi Thomæ Aquinatis disciplina profecit, ut exiguo temporis spatio magistrali Laurea decoratus; inter præclarissimos sui sæculi Philosophos, ac Theologos connumerari; primusque ex Ordine suo sacra Parisiis Theologiæ mysteria interpretari; *Doctorq; Fundamentalis* vulgò dici promeruerit. Attamen licèt nemini doctrinæ famâ cederet; ac Sapientiæ profunditate doctissimos quosque longè antecelleret, de sinistra ab æmulis doctrina accusatus, post varias concertationes ad Subsellia Apostolica accersitus, christiana demissione pontificio decreto se, suaque scripta omnia submisit; atque ea, quæ Sorbonicos Doctores offenderant, nullâ interpositâ morâ, in conventu publico, libens volensque revocavit. Extant hujus rei Honorii IV. speciales litteræ ad Stephanum Episcopum Parisiensem anno salutis 1285. datæ, quas Oldoinus exscriptas additionibus Ciaconii, de Ægidio tractans, inseruit.

Ob maximã eruditionem Doctor fundamentalis appellatur.

Accusatus ab æmulis de sinistra doctrina, eam revocat.

Explicuit tum Christianam submissionem juxtà ac religiosam obedientiam Ægidius: & quamvis sibi nunquam aut malè scripsisse, aut perperàm docuisse sit visus, nihilominùs in obsequium fidei repudiata proprii sensûs opinione, doctrinæ Ecclesiæ per omnia adhæsit; longè sibi gloriosius ducens, humiliter obsequendo intellectum captivare, quàm impudenter recalcitrando sapientiæ vanitatem ostentare. Conjunctâ itaque virtutis & scientiæ laude in dies efflorescens, datus est primò Philippo Pulchro regio adolescenti (qui Quartus posteà hujus nominis Gallorum Rex fuit) in præceptorem à Philippo Audace Francorum Rege, in cujus gratiam egregium Tractatum in tres libros divisum *de Regimine Principum* conscripsit: deinde sacro Eremitarum Ordini in Generalem; ac mox circa annum Domini 1295. Bituricensibus in Archiepiscopum, & Aquitanis in Primatem.

Philippo Pulchro instituendo adhibetur: variisq; dignitatibus decoratur.

Ejus elogium, ut cæteros Auctores, præclarè de illo sentientes missos faciam, Sixtus Senensis in sua Bibliotheca his verbis à Trithemio mutuatis, perstrinxit: *Ægidius Archiepiscopus Bituricensis, patria*

tria Romanus, ex illustri Columnensium familia, Prior quondam Generalis Ordinis Eremitarum, D. Thomæ Aquinatis discipulus, vir in divinis Scripturis eruditissimus, & in Philosophia Aristotelica nulli suo tempore secundus ingenio subtilis, sermone scholasticus, & ob doctrina præstantiam Fundatissimi *cognomen adeptus.* Modestiam cum gravitate, doctrinam cum sui despicientia, animi demissionem cum generis excellentia tam arcto conjunxit nexu, ut nihil omninò cùm suis, tum exteris magis esset admirationi. In alienis discutiendis sententiis, aut confutandis opinionibus nemo eo temperantior, nemo solidior, & mitior. Quod etiam in suis lucubrationibus quàm maximè præstitit. Cùm enim aliqua sui præceptoris opinio non arideret, vel etiam displiceret, non eam statim, ad morem aliorum, acerbè sugillando explodere; vel improbando rejicere; sed altioris eam indaginis esse; vel ingenii sui aciem excedere candidè profiteri; ipsumque S. Doctorem tacito nomine *Virum magnum, sibiq; præstantem Magistrum* appellare solebat. Unicè amabat sui Ordinis alumnos, quibus non modò regia privilegia, ne exactionibus subjacerent, obtinuit; sed & loca, quæ in præsens tum Lutetiæ, tum Biturigibus incolunt, cum Ordinis emolumento impetravit.

Etymologium.

Laudatur à modestia & temperantia.

Scripsit, Possevino, Joanne Trithemio, Paulo Cortesio, ac Syxto Senensi testibus, Libros duos *de Mundo sex diebus condito.* Hos Libros, multis quæstionibus scholasticis repletos, altero abhinc sæculo Venetiis cusos vidimus, quorum initium est: *Quoniam de Operibus sex dierum &c.*

Varia ejus Scripta recensentur.

In Cantica Canticorum lectiones novendecim.
In Epistolas D. Pauli.
In Epistolas Canonicas.
In Evangelium Joannis.
In totum Canonem Bibliorum libros duos.
In Boëtium de Philosophica consolatione.
De excellentia summi Pontificatûs.
De Esse & Essentiâ.
Introductionem Christianæ fidei ad Regem Armeniæ, jussu Bonifacii VIII.
Super Sententias libros quatuor.
Expositionem primæ Decretalis.
De Regimine Principum libros tres.
Quodlibeta multa.
In officium Missæ.
De intellectu possibili.
Laudes Divinæ Sapientiæ.
De Sapientia divina in Beatis.
De subjecto Theologiæ.
De Corpore Christi.
De Mensura Angelorum, motu, & cognitione eorum.
De Mortuis.
Distinctionem Articulorum fidei.
De Gradibus formarum.
De Prædestinatione.

De Generatione & Corruptione.
De peccato originali.
De formatione corporis humani.
De Poteſtate Eccleſiaſtica ad Bonifacium VIII.
De Carcere.
Compendium Theologiæ.
De Renunciatione Papæ.
Adverſus Corruptorem librorum S. Thomæ Aquinatis, quod opus *Defenſorium* nominavit.
Sermones varios.
Commentaria in omnes Ariſtotelis libros.
De materia Cœli contra Averroem.
De medio demonſtrationis.
De Inferno, Purgatorio, & Paradyſo.
De Reſurrectione mortuorum.
De Bona Fortuna.
Quomodo Reges poſſint bona Regni Eccleſiis elargiri.
Commentarium in Orationem Dominicam & ſalutationem Angelicam.

Obſervatio Bellarmini

Robertus Bellarminus in Libro de Scriptoribus Eccleſiaſtis Ægidii hujus meminit inſigni cum laude, additque: *Magna ex parte illius opera non extare, niſi manuſcripta in variis Bibliothecis.* Obſervat etiam: Opuſculum in Orationem dominicam & ſalutationem Angelicam, ſicut & Tractatum de Corpore Chriſti non eſſe omninò certa opera Ægidii.

Opiniones variæ de Ægidii Cardinalatu.

Inter Cardinales à Bonifacio VIII. in quarta creatione die 15. Decembris anni 1302. renunciatos Ægidium noſtrum connumerant Coriolanus, Ferdinandus Ughellius de Cardinalibus Columnenſibus, Andreas Victorellus in additionibus ad Ciaconium, Hippolytus Marraccius in Purpura Mariana, & alii: aſſerentes nihilominus eundem paulò pòſt è vivis ereptum, nunquam fuiſſe publicatum. Petrus Frizonius in Gallia purpurata affirmat Ægidium non fuiſſe promulgatum Cardinalem à Bonifacio VIII. ob ſupervenientem ejuſdem Pontificis obitum. Sed hoc ex Contelorio divinare eſt, nam Bonifacius decem menſibus ſupervixit, ſi eos ab ultima creatione numeres. Si veritatem quærimus, haud affirmare poſſumus Ægidium paulò pòſt ab accepta purpura deceſſiſſe, atque adeò Bonifacio non ſupervixiſſe: cùm deceſſerit, ut mox dicemus, anno ſalutis 1316. tredecim videlicet annis poſt Bonifacii obitum, qui contigit anno ſalutis 1303. Felix Contelorius Ægidium è numero Cardinalium prorsùs excludit, tum quia in Regiſtro Pontificio anno 1305. & in publicis Tabulis, annis 1306. 1307. & 1310. non niſi Archiepiſcopus Bituricenſis nominatur: tum quia in Libris ſacri Collegii, in quibus Cardinalium creationes, & nomina deſcripta habentur, Ægidius non legitur. Tum denique quia in ſepulchrali inſcriptione dicitur Archiepiſcopus, nullâ prorsùs Cardinalitiæ dignitatis factâ mentione. His addit diem creationis ejus eſſe incertum, & Auctores, qui illum Cardinalem renunciatum aſſerunt, inter ſe non convenire. Rem tam dubiam, tamque incertam (cùm quid

quid in contrarium afferam, non habeam) prudenti Lectoris judicio discutiendam relinquo.

Cæterùm interfuit Concilio Viennensi Ægidius, in quo innocentiam Bonifacii VIII. à quampluribus Gallorum injuriosè pro scissam, unà cum aliis magni nominis & auctoritatis viris, strenuè tutatus est: conscriptô in eam rem doctissimô Apologeticô commentariô, quem cùm adversus hostes Bonifacii evulgâsset, non modò Procerum Gallorum, sed & Regis ipsius Philippi, (quibus summæ voluptati fuerat innocentis memoriam Pontificis damnare) in se animos tantopere concitavit, ut implacabili odio nervos omnes in id unum intenderint, ne Clemens V. Bonifacii post Benedictum X. successor decretam illi purpuræ dignitatem conferret. *In Concilio Viennensi Innocentiam Bonifacii VIII egregie tutur. ac Gallis eapropter odiosus redditur.*

Tandem multis virtutibus conspicuus, deque Deo Religione, & Republica Christiana optimè meritus caducas exuvias, immortalitatem induiturus, exuit Avenione die 22. Decembris, anno à partu Virginis 1316. cujus reliquiæ Lutetiam Parisiorum delatæ, in Ecclesia Patrum Augustinianorum nobili sarcophago cum sequenti Inscriptione conditæ fuerunt. *Sanctè moritur Avenione*

HIC JACET AULA MORUM, VITÆ MUNDITIA, ARCHIPHILOSOPHIÆ ARISTOTELICÆ PERSPICACISSIMUS COMMENTATOR, CLAVIS ET DOCTOR THEOLOGIÆ, LUX IN LUCEM REDUCENS DUBIA, FRATER ÆGIDIUS DE ROMA, ORDINIS FRATRUM EREMITARUM S. AUGUSTINI, ARCHIEPISCOPUS BITURICENSIS, QUI OBIIT ANNO DOMINI 1316. DIE 22. MENSIS DECEMBRIS.

Claudius Robertus in Gallia Christiana Ægidii laudes hisce subjectis carminibus complexus est

Ægidius magni magnum Ordinis incrementum,
Romanus, culmen virtutis nobile libris.
Doctrinâ grandis, vigiliâq; labore parentem
Insequitur, Mitræq; pares sortitur honores.

Vestes sacras, pretio & arte conspicuas, quibus sacris operans utebatur, Cœnobio Romano S. Triphoni sacro; Bibliothecam verò prægrandem & exquisitam Patribus Divi Augustini Parisiis, supremis tabulis legavit. *Ejus Liberalitas.*

Præter alios insignes virtute & doctrina viros, in Discipulum habuit Albertum Patavinum Eremitam Augustinianum: tam sacris, quàm profanis litteris excultissimum, & concionatorem sui temporis celeberrimum, *qui multos ab iniquitate*, ut ait Trithemius, *ad semitam justitiæ sua prædicatione convertit.*

Angelus Rocca Episcopus Tagastensis in ejus vita, & Jordanus de Saxonia in Vitis Fratrum, narrant mulierem quandam gravi, & à medicis conclamato morbo laborantem, ad Ægidium Archiepiscopum, accessisse, ægri corporis sanitatem efflagitando: illamque protinùs valetudinem pristinam recuperâsse his Ægidii verbis: *Vade bona mulier, fiat tibi secundùm fidem tuam.* Meminit etiam Ægidii nostri præter Joannem Trithemium præclarus Historicus Ægidius Viterbiensis Cardinalis in sua historia his brevibus verbis: *Erat Cælestino V. familiaris Ægidius Romanus, Eremitarum Religionis ornamentum & decus, qui sanctissimis moribus exactissimam eruditionem conjunxit.* *Mulierem ægrotam sanitati restituit.*

De eo Scripsère Tomas Herrea in Alph. August. Tritthemius de Script. Eccl. Raynaldus in Annal. Jordanus de Saxonia in Vitis Fratrum. Frizonius in Gallia purp. Paulus Æmilius de Gestis Francorum. Bzovius in Annal. Joseph Pamphilius in Chronico Eremit. S. Augustini. Hippolytus Maraccius in purpura Mariana. Claudius Robertus in Gall. Christiana. Andreas Victorellus, & Ughellius in addit. ad Ciaconium, aliiq; multi.

ANNO 1303.

SEDENTE BENEDICTO X. DICTO XI. PONTIF. MAXIMO.

De

NICOLAO PRATENSI
S.R.E. CARDINALE.

XVI.

Divi Dominici Institutum amplectitur, & sacras litteras Romæ profitetur.

NICOLAUS Pratensis (aliis de Albertis, seu de Albertinis dictus) Italus, ex illustri Partensium Comitum sanguine originem trahens, à teneris annis religiosæ militiæ in sacro Prædicatorum Ordine Florentinæ in Monasterio S. Mariæ Novellæ nomen dedit. Parisiis cùm Philosophicis, tum Theologicis disciplinis excultus, Romamque profectus in Cœnobio S. Mariæ super Minervam ob exquisitam litterarum cognitionem, munus publicum sacras paginas interpretandi obtinuit, tanto quidem concurrentium Auditorum applausu, nominisque famâ, ut totam Urbem in sui admirationem commoveret. Cùm autem summæ doctrinæ miram rerum experientiam, prudentiam maximam, morum integritatem atque humanitatem adjunxisset, Provinciæ primò Romanæ cura illi commissa, mox totius Ordinis regimen & gubernium.

Bonifacii VIII. jussu legationem in Galliam suscipit, ibiq; discordes Angliæ & Galliæ Reges pacificat.

Ejus nominis celebritate permotus Bonifacius VIII. ad instantiam multorum eundem Kalendis Junii anni 1299. Episcopis Spoletanis adscriptum Romanæ Urbi vicario nomine præfecit; completoque ea in dignitate propè biennio, Legatum ad Philippum Galliæ & Odoardum Angliæ Reges destinavit, ut eos gravissimo bello implicitos & concercantes suâ eloquentiâ, qua plurimùm pollebat, pacaret; odiisque restinctis animos eorum concordes redderet. Rem ille oppidò difficilem virili animo aggressus eò brevi redegit, ut conciliatis Regibus pax firmo fœdere inter utrumque stabiliretur, ipseque donis affectus opimis utriusque amicitiam & amorem consequeretur. Romam igitur è legatione redux Bonifacium Pontificem rei benè gestæ publicum in Consistorio præconem, ac mox Benedictum X. Bonifacii Successorem, purpuræ collatorem habere promeruit: Siquidem Benedictus, extincto Bonifacio, rerum potitus, Nicolaum regiis precibus commendatum die 18. mensis Decembris anni 1303. primum omnium, quos creaverat, Cardinalem & Episcopum Ostiensem renunciavit. Quamobrem ille, ne pluribus honorum & onerum curis premeretur, Spoletano se munere exsolvit.

A Benedicto X. Cardinalis Episcopus Ostiensis creatur.

Cùm verò ea tempestate, crudeli ac intestino bello invicem arderent

derent Hetruria, Æmilia, Marchia, Tarvilina, aliæque Italiæ Provinciæ, in quibus humani generis hostis exitiales discordias alebat; & præter Guelphorum ac Ghibellinorum antiquas factiones, Alborum insuper & Nigrorum odia ad mutuam ipsorum internecionem accenderat, ad ea extinquenda, atque ad illos populos amore mutuo conjungendos Pontifex Nicolaum Pratensem, *tanquam Pacis Angelum* eò destinandum decrevit. Ut autem majorem Legato, ad gerendam pro dignitate provinciam, auctoritatem conciliaret, pluribus ipsum prærogativis & facultatibus instruxit, quò facilius vel imperii rebelles Ecclesiasticâ censurâ percelleret; vel ad obsequia redire volentes tutaretur.

Legatus in Italiam ad componendũ Ecclesiæ & Italiæ statũ mittitur.

Accessisse ipsum Florentiam sexto Idus Martij Anni 1303. scribunt Dinus Compagnus, & Joannes Villanus Historici: sed corrigendi sunt, nam mense Martio dicti anni non Benedictus, sed Bonifacius Ecclesiæ Romanæ habenas moderabatur. Anno igitur 1304. Florentiæ exceptus est Nicolaus Sedis Apostolicæ Legatus maximo cum honore ab iis, qui diurnis & intestinis fatigati discordiis pacem votis omnibus exoptabant. Cumque demandatam sibi à Pontifice adducendæ concordiæ provinciam in publica concione exposuisset, libera ipsi à populo restituendæ in meliorem statum Reipublicæ potestas facta est. Qua instructus primarium studium in tollendis discordiis, civibusque conciliandis defixit: veteres Reipublicæ Magistratus, divisio in novem & decem Tribus populo, quibus totidem præfecit signiferos, restituit. Confirmato hoc pacto plebis statu, Albos & Ghibellinos exules in Urbem revocare est aggressus. Præcipui earum partium Duces Aretij tum resederant, qui publicâ deliberatione rerum suarum arbitrium ac potestatem in Legatum contulêre. Dum itaque Cardinalis de extinguendis veteribus odiis, deque legibus redintegrandæ inter ipsos & cives concordiæ salubria consilia agitaret, nonnulli Florentinorum parùm ad pacem inclinati, cupidique alienarum opum, Legati conatus contrariis studiis discutere sunt aggressi. Quibus cùm ipse populi multitudine in concordiam propendente fretus, generosè obsisteret, nefariis hisce artibus ad disturbanda meditatæ pacis consilia (teste Villano) sunt usi. Adulterinas nimirùm Legati nomine scripserunt litteras ad Bononienses, Aretinos, aliosque exulum amicos, ut submotâ omni morâ cum multo peditatu, & equitatu in sui auxilium evolarent. Cumque eæ copiæ, falsò Legati nomine accitæ, Urbi imminerent, ingens adversùs Legatum tumultus Florentiæ excitatus est, ejusque existimatio fœdè apud multitudinem traducta. Sedatô nihilominus, detectis artibus, tumultu, urbis proceres ac magistratus Legato dolosè persuasêre, ut ad Pratenses contrariis discissos studiis se conferret, dumque ipse in iis conciliandis ac concordandis incumberet, se interea Florentiæ modis omnibus de revocandis in patriam exulibus operam daturos. Perrexit itaque Pratum bona fide Legatus adducendæ inter eos pacis studio: at Florentini vetusto in Ghibellinos & Albos odio imbuti, cùm Legatum toto pectore ad illos patriæ restituendos incumbere animadverterent, promissa contrariis artibus & insidiis elusêre. Nonnullos enim Pratenses

Florentiæ maximo cum honore susceptus, Reipublicæ in ordinem redigendæ, & tranquillandæ operā navat.

Ejus consilia, & honesti conatus à factiosis dolosè eluduntur.

Florentinorũ in Legatum perfidia.

tenses factionis Guelphæ & Nigrorum studiosos subornarunt, qui sparsis in Legatum dicteriis, eum perfidiæ insimularent; eoque titulo seditionem in ipsum concitarent. Procedente cum strepitu machinamento, Legatus Pratensium minis, & capitis periculo perterritus, vibrato in perduelles anathematis fulmine, per dispositos equos noctu Florentiam se recepit. Ubi dum sacram in Pratenses expeditionem, impertitis indulgentiis eam militiam professuris, conflaret; atque ex agris concurrente hominum multitudine, copiæ augerentur, concepta de Legato sinistra suspicione, Guelphæ & Nigræ factionis duces unà cum aliis ad arma concurrerunt. Quorum inopinato furore, cùm ad necem ipse quæreretur, terrefactus, quarta die Junii anno salutis 1304. mutato habitu, fugâ saluti consulere coactus, Perusium ad Pontificem se contulit. Cujus recessum cædes maximæ, stupra, rapinæ, latrocinia, & sæva incendia sunt secuta. Ita ut urbs misera, multiplici calamitatum genere affecta, hinc civium sanguine maderet; illinc flammis per tecta serpentibus arderet; undequaque opprobriis, cædibus, prædonibus, non secus ac si hostis intrasset, squalleret. Quam calamitatem egregiè describens Leonardus Aretinus in sua historia Florentina, culpam omnem in Legati contemptores, ceu Pontificis hostes, derivat.

Legatus fugâ sibi consulere cogitur. Eò fugiente variæ Urbi calamitates impendunt.

Benedictus Pontifex Florentinis rebellibus diem dicit.

Benedictus interea Romanus Pontifex rerum edoctus magnum animi dolorem concepit, tum ex Florentinorum rebellium dissensionibus, qui eò magis efferati sunt visi, quò magis in extinguendo eorum furore sudatum fuerat; tum ex injuriis Legato Apostolico illatis, quas in sui contemptum factas interpretabatur. Igitur, ne tantum crimen inultum abiret, nevé effrænata inposterùm sese improbitas petulantiùs efferret, nobilissimos Patricios, qui seditioni illi faces injecerant, ad dicendam causam Apostolico se Tribunali sistere imperavit. Graves sunt Benedicti litteræ ad illos datæ, quas ex diversis Auctoribus rescriptas Odericus Raynaldus decimo quarto Annalium suorum Tomo inseruit. Accersiti ad Tribunal pontificium Florentinorum Proceres, ne intentatum rebellibus anathema contraherent, Perusium magna stipati clientela ad excusandum apud Pontificem facinus se contulêre. Inter hæc Legatus ex imperio Benedicti iteratò Florentiam missus & intromissus, dum rebus perturbatis modum statuere; cives componere; atque omnia ad concordiam & tranquillitatem reducere satagit, Ghibellinæ Albæque factionis Duces, collectis raptim ingentibus copiis Florentiam impetu expugnare pertentant. Ea re graviter offensus populus Legato invidiam fecit, quasi de industria consilium illud Ghibellinis hostibus, dum suis ducibus orba civitas erat, suggessisset, majori ac anteà furore exardescere, Legatumque proditorem urbis inclamare, atque eum ad necem conquirere cœpit. Ille fido quorundam beneficio fugâ dilapsus, cruentam furentibus occasionem præbuit, se se invicem dilaniandi cædendique. Dum hæc geruntur, redeunt Perusio expiati à Pontifice Florentini proceres, qui cùm multa de Pontificis benevolentia, Legatique innocentia disseruissent, populum tot stragibus jam saturem, ad concordiam, fidem, & ob-

Legatus iteratò Florentiam missus à factiosis ad necem quæritur.

Fugâ dilabitur.

& obsequium Pontificis reduxêre, finemque tandem diuturno, ac funestissimo bello imposuêre. Plura de his qui volet, unum legat Villanum perpulchrè omnia referentem.

Nicolaus Clementi V. auctor est ad summum rerum.

Defuncto ad finem anni 1304. Benedicto Pontifice, Nicolaus Cardinalis miro astu auctor fuit, ut Clemens V. in summum Pontificem eligeretur, pro ut exactè narrat ex Joanne Villano S. Antoninus, & ex hoc Ciaconius his ferè verbis : Novemdialibus Benedicto defuncto statim ab ejus obitu celebratis, & sacris die decimo Spiritui sancto de more factis, Cardinales comitia ineuntes in prætorio Perusino diutissimè relusi in eligendo Pontifice penè per annum convenire non potuêre, Collegio in duas æquales factiones, Italicam & Gallicam, scisso. Prioris capita erant Matthæus Rubeus Ursinus, & Franciscus Cajetanus, Cardinales; Pontificem Italum postulantes, qui & acta & memoriam Bonifacii VIII. tueretur. Gallicam factionem profitebantur Neapoleo Ursinus, & Nicolaus hic noster, Pontificem Gallum optantes, qui Regi Francorum & Columnensium genti amicus, & Bonifacio VIII. hostis existeret. Dum itaque neutra pars alteri cederet, sed sua in opinione quælibet obfirmato animo persisteret, sæpiùs à Magistratu Perusino arctati, minisque interdum additis graviter vexati fuerunt. Quæ res in longum protracta, cùm Nicolao Cardinalium sagacissimo minimè placeret, ad astum ipse conversus, quo Regi Francorum magis gratificaret, Patrum dissidium hoc pacto diremit. In medium cœtum prorumpens principibus Bonifacianæ factionis optionem obtulit, ut tribus à se designatis Transalpinis Episcopis, unum ex illis, quem maximè vellent, quadraginta dierum spatio susciperent, qui legitimus Pontifex esset : vel ipsi tres proponerent, ex quibus unum ipse eâdem lege Pontificem deligeret. Italica factio nominationem (commodiùs id sibi cessurum rata) prætulit, tresque Archiepiscopos solemnibus documentis sibi designavit præcipuos Regis Francorum hostes, à Bonifacio VIII. olim creatos, & multis ab eo beneficiis affectos; id omninò existimans, quemvis Gallica pars deligeret, eum beneficiorum memorem, Bonifacii memoriæ & actis consulturum. Primus inter optatos fuit Bertrandus Archiepiscopus Burdegalensis à Bonifacio ad id muneris evectus, atrox Regis Francorum hostis ob injurias propinquis suis à Carolo Valesio, bellô Aquitanicô, illatas. Nicolaus Bertrandum Archiepiscopum, hominem ambitiosum, imperii & honoris percupidum, & qui facilè ob Pontificatûs consecutionem Regi conciliari posset, cæteris præferendum ratus, aversâ factione inscia, per dispositos equos cuncta Francorum Regi Parisiis tum agenti clanculùm denunciat: monens, & quid facto opus esset aperiens : nimirùm ut vel simulato, quod adversus Bertrandum habebat, odio; vel (quòd ipse mallet) penitùs sublato, eidem quatocyùs reconciliaretur, & conditiones sibi & amicis utiles, ac profuturas requireret, cùm in ipsius modò potestate situm esset Pontificem maximum renunciandi. Rex accepto hoc nuncio lætus, mox litteris amicissimis Bertrandum ad Cœnobium quoddam invitat, monens sibi cum eo de arduis rebus sermonem habendum. Intereà modico stipatus comitatu ad præfixum

Mirus Nicolai astus in evehendo ad Pontificatum Bertrando ArchiEpiscopo Burdegalensi recensetur.

Philippi Regis cum Bertrando congressus.

xum locum indicto tempore contendens, Bertrandi adventum operitur, allapsum remotis arbitris convenit, eidemque post mutua de silentio data & accepta juramenta secretum in hæc verba pandit: ut fide sacramento & chyrographo firmatâ polliceretur, se cùm pontificatum esset adeptus, quæ ipse peteret, effecturum. Bertrandus summi sacerdotii cupidine illectus, atque à Rege in spem obtinendi erectus, interposito mox juramento annuit. Rex illum peramanter exosculatus subjecit: *Hæc abs te, Bertrande, peto, ut me ante omnia, ab Ecclesia sejunctum eidem concilies; veniamq́ tribuas omnium, quæ in captione Bonifacii VIII. commisi. Secundò, ut anathema in me, familiares, & amicos meos Columnenses, aliosq́ mei studiosos latum, mox ut apicem summi Pontificatûs conscenderis, solvas. Tertiò, ut Decimas omnes, in Regno meo sitas, ad quinquennium mihi concedas. Quartò, ut Bonifacii VIII. hostis mei memoriam ex integro damnes. Quintò, ut honorem Cardinalatûs Jacobo & Petro Columnensibus à Bonifacio ereptum restituas, eosq́ ad pristinum eminentiæ statum redigas; ac cum eis nonnullos ex amicis nominandos, Cardinales crees. Sextò, ut Imperium Romanum, si quidem illud te superstite vacare contigerit, à Germanis ad Gallos transferre satagas.* Bertrandus Regis petita intelligens, & approbans, cuncta se, si pontificatu potiretur, executioni mandaturum, interposito jurejurando, pollicitus est: &, ne fallere velle videretur, obsides Regi fratrem uterinum, duosque nepotes in pignus tradidit. *Quid enim est*, inquit, optimè Ciaconius, *quod spes obtinendi Pontificatûs non faciat? aut quæ odia in amicitias non commutet?* Iis digredientibus, Bertrandus spei plenus, Diœcesis suæ visitationi incubuit, ut in suo opere, Pontifex renunciatus, occupatus inveniretur. Rex Lutetiam repetens, cuncta quæ cum Bertrando pepigerat, Nicolao Cardinali ac Sociis ejus per litteras secretò missas aperuit; monens atque etiam obtestans, ut eum sibi plenè conciliatum nullâ interveniente morâ Pontificem Romanum designarent. Triginta quinque dierum intervallo totum negotium completum est, Italica factione earum artium prorsus ignara.

Conditiones Bertrando pro consequendo Pontificatu proposita & acceptata

Tum Nicolaus Cardinalis, re cum Sociis communicatâ, adversam factionem ad comitia convocans, se unum è tribus ab iis propositis Pontificem renunciaturum edixit. Iis annuentibus, luculento sermone præhabito, Nonis Junij æræ Christianæ 1305. ex omnium nomine Romanum Pontificem enunciavit Bertrandum Archiepiscopum Burdegalensem, extra numerum Cardinalium constitutum. Qui summo omnium plausu susceptus, Populo sub Clementis V. nomine de more publicatus est.

Bertrandus Pontifex renunciatur.

Novus Pontifex illicò Philippum Francorum Regem, censuris, quibus à Bonifacio VIII. innexus fuerat, exsolvit; reliqua promissorum tempestivè se adimpleturum affirmans. Urgebat tamen Rex impatiens, ut aboleretur in perpetuùm memoria Bonifacii demortui, namque id præcipuum postulatorum caput extiterat: Clemens quidnam consilii in re tam gravi caperet, dubius; namque hinc occurebat sacramento firmata promissio, inde innocentia Bonifacii; quam damnare, uti arduum, sic non damnare periculosum videbatur. Inter hæc opportunè ex Italia allabitur Nicolaus Cardinalis

In ambiguis rebus Nicolaum consulit.

nalis, cui Pontifex intra cubiculum deducto omnia nudavit: is, ut erat ingenio ad subita quæque moderanda dexterrimo, confirmato primùm Pontificis animo, scire se quid potissimùm illi consilii profuturum speraret, affirmavit: regias in primis spes ali dissimulanter, augerique placet; tum doceri cupidum Principem, quò magis rata fierent, quæ ad Bonifacii cineres attinent, videri futurum consultiùs, si tanta res nonnisi publico Senatûs consulto firmaretur. Placuit Clementi Cardinalis consilium. Itaque de voluntate Philippi Regis Viennensem conventum Patribus edixit; in quo auditis ac discussis partium causis, Bonifacius publicâ Patrum sententia innocens declaratus, & absolutus est.

Albertus Cæsar occiditur. Philippus Galliæ Rex Imperio inhiat.

Cùm autem anno reparatæ salutis 1308. Albertus Cæsar gloriosissimus per insidias Joannis nepotis & conjuratorum propè Vindonissam fuisset occisus, Philippus Rex Galliæ Imperio Germanorum inhians, urgebat Clementem; ut aut se, aut Carolum fratrem in Imperium substitueret: *Nulli enim*, ajebat, *fit injuria, si vacantis Imperii permutaretur conditio, idem fecisse olim Pontifices alios. Denique fatorum seriem convenire cum ejusmodi proposito, ut quemadmodum Principatus ille de Græcis quondam in Francos, deq; ea gente ad Italos, ac postremò ad Theutones translatus fuisset, ita rursùm prostante uberrima occasione ad Francorum posteritatem remigraret.* Clemens arduum ac maximè periculosum Regis petitum intelligens, denuò Nicolaum, fidum sibi ministrum, accersivit, eique Regis Philippi, jam suis immoderatis petitionibus exosi, animum aperuit; & quid sibi hac in re potissimùm expedire videretur, consuluit. Nicolaus ad innatam sapientiam versus, quàm maximis, inquit, itineribus, & antequàm gallicæ petitionis mentio in Senatu Cæsareo fiat, nunciandum in Germaniam censeo de Successore quantocyùs maturando, surrogandoque. Tum Clemens, quem igitur præcipuum crederet, tantæ successioni dignum & idoneum? Nicolaus, Ecclesiarumné libertatis respectu, an studio Gibellinarum partium, an consuetudinis in Urbe quondàm institutæ memor; *Henricum*, ait, *Lucemburgi Comitem, nulli hodie Principum Germanorum cedere arbitror, sive religionem, sive fidem, seu certè animi magnitudinem spectes. Neque dubium, quin si eò celsitudinis tua benignitate provehatur, tuis per omnia jussibus sit obtemperaturus, atque immunitatem Ecclesiæ pro viribus propugnaturus. Sanè clanculùm & dissimulanter cuncta fieri oportet, ne si in publico Senatu, Patrumq; conspectu cogitata retexeris, qui Cardinales Philippo student, proditis illicò rebus, vota nostra conturbent. Itaq; quas ipse dabis in Germaniam literas pusillâ modò formulâ places obsignari, quasi non scriptas de rebus gravissimis: ego seorsim prolixas de tota re alias exarabo.* Delatæ igitur ad Germaniæ Principes Romani Pontificis, & Nicolai litteræ, tanti ponderis fuêre, ut Electorum suffragiis, ne unô quidem repugnante, Romani Sceptra Imperii Henrico florenti juveni deferrentur. Henricus dictus VII. mox ut Cæsar renunciatus est, Oratores ad Clementem misit, qui pro impenso sibi studio gratias dicerent, simulque rogarent, ut Cardinales quosdam ad conferenda sibi imperii insignia decerneret. Ejus precibus gratanter annuens Pontifex, tantam provinciam quinque Cardinalibus, inter quos Nicolaus primo loco habebatur, demandavit

Philippi consilium de aucupando Imperio Nicolai astu eluditur.

Henricus Lucemburgi Comes, Cæsar eligitur.

mandavit, ſingulis ſingula munera partitus. Meminit hujus Cæſareæ Legationis ad Clementem, ac Clementis ad Cæſarem, Cardinaliumque ad exornandum Imperialibus Inſignibus Henricum decretorum, Albertinus Muſſatus fuſiùs, ad quem, ne æquo ſim longior lectorem remitto.

Nicolaus Legationis munere in Siciliâ fungitur.

Interfuit Nicolaus Comitiis ſacris, in quibus ad ſupremam in Eccleſia Romana dignitatem promotus eſt Joannes XXI. dictus XXII. à quo legationem in Siciliam, ut illius Provinciæ Regem diademate inſigniret, ſimulque fidelitatis ſacramentum exciperet, obtinuit. Hic cùm doctiſſimus & præeminentis ingenii vir eſſet, plurima ſcripſit egregia opera, ut habet Paulus Corteſius, quorum tamen magna pars aut interiit, aut in famoſis Italiæ Bibliothecis M. S. aſſervatur. Quæ verò in lucem publicam prodiêre, ſunt ſequentia.

Quæ Scripſerit?

Tractatus de Paradyſo.
De Pontificaſium Comitiorum habenda ratione.
De Legationibus ritè adminiſtrandis.
De modo tradendi Leges.
Quæſtiones Philoſophicæ.
Sermones in Conſiſtorio habiti.

Nicolai Virtutes & pietatis monumenta attinguntur.

Fuit Nicolaus honeſtæ converſationis, vitæ Sanctiſſimæ, eximiæ caſtitatis, & formæ elegantiſſimæ, ita ut omnium oculos, plateis obambulans, in ſe converteret: in moribus compoſitus, in conſiliis providus, ſagax, & promptus, in elargiendis eleemoſynis ſupra modum profuſus, quippe qui paulò ante obitum quinquaginta aureûm numûm millia, poſt obitum verò omnia ſua in pauperes erogaverit: à fundamentis erexit in patrio ſolo duo celeberrima Cœnobia, quorum alterum Patribus Dominicanis, alterum ſacratis Deo Virginibus Divi Nicolai inhabitandum conceſſit. Pratum Urbem, in qua natales ſuos ſortitus fuerat, hoſtium incurſionibus deforme, murisque denudatum; priſtino ſplendori reſtituit, ac novis mœnibus, adjectis hinc inde Turribus, ac foſſis cinxit. Singulis Pratenſibus Eccleſiis argenteum calicem gemmis & auro veſtitum dilargitus eſt. Reſtauravit etiam Cœnobium Piſtorienſe Divo Dominico ſacrum. Denique Avenione Fratrum ſui Ordinis precibus exoratus, ampliſſimum conſtruxit Monaſterium, in quo poſtquam decem & novem annos ſacram Purpuram maximis virtutibus adornâſſet, è vita migravit Kalendis Aprilis anno ſalutis 1321. ibidem magno omnium luctu terræ mandatus cum hoc rudi Epitaphio:

Ejus obitus & Epitaphium.

NICOLAI PRATENSIS EPISCOPI CARDINALIS OSTIENSIS MONUMENTUM.

Eloquium, bona, vita virens, diſcretio fulta,
Conſilium, doctrina vigens, prudentia multa,
Iſta ſilent, hîc illa docet, ſunt cuncta ſepulta
Virginis à partu numeratis mille trecentis
Annis bis denis uno, quartuq. Kalendis
Quem genuit Partum, ſſalerum Pontificatum,
Oſtia quem dedit Romano Cardine gratum.

Ejus

Ejus meminêre Ferdinandus de Castil. in Historia Ordinis Prædicatorum. Panvinius in Vitis Pontif. Aubery in Vita. Odericus Raynaldus in Annal. Albertinus Mussatus.. S. Antoninus. Joannes Villanus in hist. Florent. Leonardus Aretinus in hist. Florent. Conradus Vecerius in Henrico VII. Hyacintus Cambi in historia Dominicana. Bzovius in Annal. Frizonius in Gallia purp. Nomenclator Cardinalium. Ferdinandus Ughellius tomo.1., Ital. sacra. Aliiq; multi.

ANNO 1303.

SEDENTE BENEDICTO X. DICTO XI. PONTIF. MAXIMO.

De

GUILLELMO MARLESFELDIO S.R.E. CARDINALE.

GUILLELMUS Marlesfeldius Cantuariæ in Anglia non ignobili sanguine procreatus, absolutis politioribus litteris, Ordinem Prædicatorum Lutetiæ Parisiorum ingressus est, ubi altioribus disciplinis ediscendis admotus, eò brevi eruditionis pervenit, ut ab ejusdem literariæ palæstræ Magistris Baccalaureus Theologicæ facultatis sit declaratus. Jussu Superiorum in Angliam delatus, susceptis Doctoratûs insigniis, in Oxoniensi Gymnasio maxima cum laude Philosophicas, & Theologicas literas est interpretatus. Cumque in eo munere aliquot annos summo auditorum confluxu & utilitate trivisset; multisque insuper virtutum dotibus conspicuus, omnium in se oculos convertisset, gloriosâ nominis ejus famâ ad Benedictum X. Pontif. Max. delatâ, ab eodem Presbyter Cardinalis S. Sabinæ mense Decembri anno salutis 1303. renunciatus est, cùm è vita ipse jam quarto antè mense excessisset, nempe mense Augusto ejusdem anni 1303. ignorante mortem ejus Benedicto. Asserit tamen Felix Contelorius in Elencho Cardinalium, incertum esse an Guillelmus obierit ante creationem, vel post acceptum nuncium de creatione: cui Rerum Anglicarum Scriptores contradicunt, contendentes illum, ut supra diximus, tertio mense ante creationem suam, diem clausisse extremum Oxonii in Anglia. Hinc est, quod ab aliquibus inter Cardinales à Benedicto creatos non reponatur. XVII.

Parisiis Ordinem Prædicatorum ingreditur.

Laurea doctorali ornatus Theologicā facultatem Oxonii profitetur.

Ob virtutis & doctrinæ famam Cardinalis à Benedicto X. ejus obitum ignorante, creatur.

Scripsit Problemata quædam. *Scripta ejus.*
Conclusiones ordinarias.
Orationes ad Clerum.
Philosophica Paradoxa.
Librum Asceticum de Virtutibus.
Aliaque non pauca, quæ deperdita dicuntur.

Cineres ejus Oxoniò Londinum transvecti, ibidem ad Patres Dominicanos, absque inscriptione, quiescunt.

De eo agunt Chronicon Ordinis Prædicatorum. Raphaël Volateranus. Nomenclator Cardinalium. Panvinius in Vitis Pontif. Angliæ Scriptores. Oldoinus in additionibus ad Ciacon.

ANNO 1303.

SEDENTE BENEDICTO X. DICTO XI. PONT. MAXIMO.

De

GUALTERO WINCKTELBURNO S.R.E. CARDINALE.

XVIII. GUALTERUS Wincktelburnus, natione Anglus, patriâ Saresberienfis, Ordinis Prædicatorum, vir non minùs facris quàm prophanis fcientiis excultiffimus, quem Au-ctor vitæ Poëtam venuftum, Oratorem facundum, Philofophum difertum, ac Theologum profundum appellat. Erat Gualterus ob raram eruditionem Odoardo, feu Eduardo Primo, Anglorum Regi tum à confeffionibus, tum à confiliis. Paulò pòft Angliæ Provincialis à fui Ordinis Alumnis declaratus, à Benedicto X. Romano Pontifice in locum Guillelmi Marlesfeldij jam defuncti (ut fuprà numero 17. diximus) abfens inter Cardinales Presbyteros titulo S. Sabinæ cooptatus eft. Ex Anglia in Italiam profectus interfuit comitiis, in quibus Bertrandus Archiepifcopus Burdegalenfis, affumpto Clementis V. nomine, Pontifex Maximus proclamatus eft.

Ob infignes animi dotes Anglorum Regi percharus.

Gualtero huic Presbytero S. Sabinæ, & Thomæ Diacono Cardinali S. Luciæ Clemens V. difcutiendam commifit Petri Joannis Olivi, Ordinis Minorum alumni periculofam doctrinam, cujus causâ multæ in religiofo illo famulitio exortæ diffenfiones circa paupertatem (*quam Religiofi illi viri fanctiffimè*, ut inquit Lucas Waddingus, *profitebantur*) maximam obloquendi materiam præbuêre.

Cardinalis renunciatus periculofum dogma Petri Joannis Olivi difcutit.

Genuæ in Italia, dum in Gallias ex imperio Pontificis tenderet, octogenariò major vitam cum morte commutavit die prima Septembris anno à partu Virgineo 1305. fepultus apud Patres Dominicanos. Illius corpus nonnullis ab obitu elapfis annis Genuâ Londinum Angliæ metropolim translatum fuiffe referunt Pitfæus, & Godwinus Scriptores Anglicani. De illo hæc apud S. Antonium Archiepifcopum Florentiæ legimus: *Dominus Gualterus de Anglia Confeffor Illuftriffimi Regis Angliæ Eduardi, Cardinalis Diaconus tituli S. Sabinæ requiefcit in conventu Januenfi.* Hic, cùm effet prægrandi fcientia præditus, varia in omni literarum genere confcripfit opera, quorum tamen plurima oblivione fepulta, ad noftram notitiam non pervênere: quæ verò extare dicuntur, hæc funt:

Genuæ grandævus moritur, & in Angliam transfertur.

Ejus Scripta.

Tractatus Quæftionum Theologicarum.
Tractatus de peccato Originali.
Poëmata varia & Orationes.

Ejus mentionem faciunt præter Anglicanos Scriptores Aubery in Vita. Anton. Senenfis in Bibliotheca Prædicatorum. Nomenclator Cardin. S. Antoninus. Waddingus tomo 3. Annal. Min. Panvinius in Vitis Pontif. & alii.

ANNO

ANNO 1305.

SEDENTE CLEMENTE V. PONTIF. MAXIMO.

De

BERENGARIO STEDELLIO S.R.E. CARDINALE.

BERENGARIUS, multis Stedellius, nonnullis Fredeoleius dictus, natione Gallus, patriâ Narbonensis de castro Benna, Diœcesis Occitanæ, seu Megalonensis. Is ex Abbate S. Aphrodisii Biterrensis, Sacelli primò pontificii Sacerdos, deinde Episcopus Biterrarum ad Orobium fluvium sub Archipræsule Narbonensi ordinatus est. Vir fuit in Theologica & maximè Juridica facultate ævo suo pœnè omnium versatissimus: quare Bonifacius VIII. Decretales Libri sexti à Guillelmo Ebredunensi, & Richardo de Senis collectos, antequàm in lucem prodirent, judicio & experientiæ Berengarii subjectos voluit. XIX. *Ejus judicio Bonifacius VIII. sextum Decretalium librum subjicit.*

Inter Presbyteros Cardinales SS. Nerei & Achillei titulo Fasciolæ primò, mox SS. Joannis & Pauli titulo Pammachii, demùm inter Episcopos Tusculanos à Clemente V. recensitus, & major Pœnitentiarius renunciatus est. Translactis hisce in dignitatibus septem annis Judex ab eodem Clemente V. constitutus succeslit in locum Petri de Capella Episcopi Prænestini, morbo tum gravati: ut præesset Ordini Minorum, & famosam illam de paupertate exortam controversiam discuteret, discussamque omninò dirimeret. Hugonem Geraldi Abbatem Episcopum Carducensem ex imperio summi Pontificis Joannis XXI. dicti XXII. anno salutis 1317. omnibus pontificalibus insignibus exuit, quod perduellibus communicans & colludens, in necem Pontificis conspirâsset. *Cardinalis creatus, Minorum Ordini Patronus datur.* *Episcopum Carducensem perduellionis reum deponit.*

Juris scientiâ instructissimus legales Titulos enucleatissimè exposuit; scripsitque Volumen egregium super summam Ostiensis ordine alphabetico, quod misit Guillelmo de Mandagoto Archidiacono Nemausensi (cujus infrà n. 24. mentionem facimus) à quo deinde Libri *de Electionibus Prælatorum* nuncupatione fuerat cohonestatus, quod opus, ex Trithemio, ipse *Oculum* vocavit. Librum insuper alium edidit de Sententia excommunicationis, sicut & Formam Degradationis in reis, & morti addicendis Sacerdotibus. Repertorium item Juris, quod, teste Frizonio, & Nomenclatore Cardinalium, invenitur manu scriptum in Bibliotheca Ecclesiæ Cameracensis. *Ejus Scripta.*

Mortem oppetiit Berengarius Episcopus Tusculanus ex Ciaconio, Frizonio & Aubery anno salutis 1321. Felix tamen Contelorius in Elencho Cardinalium scribit ex Libro Divisionum, Berengarium enunciari defunctum circa mensem Majum anno 1323. Ego verò lectis aliis probatioris notæ codicibus priorum Sententiæ standum arbitror, præsertim quòd ipsum etiam Epitaphium sepulchro ejus impositum, annum mortis à Ciaconio notatum, referat. *Obitus Ejus.*

 Memi-

Meminère Berengarii Lucas Waddingus in Annal. Min. Trithemius de Script. Eccl. Almaricus Augerius in actis Romanorum Pontif. Platina in Joanne XXII. Bernardus Guido in Chronico. Aubery in Vita. Frizonius in Gall.Purp. Contelorius in Elencho Cardin. Ughellius tom. 1. Ital. sacra & Alii.

ANNO 1305.

SEDENTE CLEMENTE V. PONTIF. MAXIMO.

De THOMA JOSSIO
S.R.E. CARDINALE.

XX.

Alberti Magni discipulus cum D. Thoma Magistrali laureâ donatur.

THOMAS Jossius, virtute, literis, & genere clarissimus, natione Anglus in ipso juventutis flore, sex comitatus fratribus germanis, ordinem Divi Dominici amplexus est Londini. Is confecto Philosophiæ ac Theologiæ sub Alberti Magni disciplina curriculo, obtentoque unà cum D. Thoma Aquinate Magistri titulo, scientias illas publicè magno cum plausu in variis sui Ordinis Cœnobiis professus est. Anglicanam posteà Provinciam ex communi fratrum suffragio adeptus, eam septennio admirabili pietate & prudentia rexit; ac sacras Odoardi Regis Anglorum confessiones diu excepit. Hunc, quem Joannes Pitsæus ex Anglicanis Scriptoribus *virum morum gravitate, religionis integritate, vitæ innocentiâ & eruditionis eminentiâ valde venerandum, imò planè admirandum* vocat, Clemens V. Pontifex Maximus, æquus virtutum æstimator, Presbyteris Cardinalibus titulo S.Sabinæ primo sui Pontificatûs anno (qui fuit Christi 1305.) adscripsit. Errat verò luculenter Lucas Waddingus, dum in Tomo tertio Annalium Minorum scribit, Thomam hunc titulo S.Luciæ à Clemente V. fuisse cohonestatum. Nam Bernardinus in Chronico, & ipsemet Thomas in publicis subscriptionibus, Presbyterum se S. Sabinæ Cardinalem nominat, ut videre est in constitutione Clementis V. edita decimo tertio Kal. Augusti anno Domini 1306. in qua hisce verbis subscriptus invenitur : *Ego Frater Thomas titulo S. Sabinæ Presbyter Cardinalis subscripsi.*

Cardinalis à Clemente V. renunciatur.

Quæstionem de paupertate Minorum discutit, & definit.

Thomæ huic, inter alios doctissimos viros, Clementis jussu commissa est discutienda Petri Joannis Olivi periculosa doctrina contra Minorum paupertatem : quin & Judex constitutus in aliquibus arduis disceptationibus de eadem Minorum paupertate exortis, rem brevi eò redegit, ut sopitis temerè pugnantium jurgiis, salva deinceps Minoribus sua constiterit paupertas.

Coronaturus Imperatorem moritur.

Anno salutis 1310. jussu Clementis cum Nicolao Pratensi (de quo superiùs numero 16. egimus) ad exornandum imperiali Diademate Henricum VII. recens electum missus, in medio legationis cursu vitam posuit apud Allobroges die 13. Decembris anni ejusdem. Corpus ejus in Angliam relatum, in Cœnobio Oxoniensi Patrum Prædicatorum terræ mandatum fuit.

Scrip-

Scripsit super 4. libros Sententiarum. *Ejus Scripta.*
Postillam in Psalterium.
Sermones per Annum.
De Doctrina Scholarium.
De Conceptione B.M.Virginis.
Commentaria in Genesim.
Super Boëtium de Consolatione.
Contra Joannem Duns-Scotum.
De concordia librorum S. Thomæ Aquinatis.
Postillas in Proverbia Salomonis.
In Cantica Canticorum.
In libros S. Augustini de civitate Dei.
Quodlibeta.
Quæstiones Theologicas.
De statu Animarum post mortem.
Adversus Iconoclastas.

Scripsisse etiam dicitur à Pitsæo duos Libros, alterum in Isaiam, in Hieremiam alterum. Notat tamen Ferdinandus Ughellius huic Thomæ varios libros, à Divo Thoma Aquinate compositos, per errorem adscriptos fuisse, qui verò ii sint, non determinat: alii autumant, nonnullos à D. Thoma inchoatos, à Thoma Jossio completos fuisse, & sic eidem velut Auctori adhæsisse. In hisce dubiis lectori judicium esto. *Pitsæus alios duos eidem attribuit libros.*

Ejus mentionem faciunt Panvinius in Vitis Rom. Pontif. Jo. Pitsæus de Script. Anglic. Aubery in Vita. Antonius Senensis in Biblioth. Prædicat. Goduvinus in Histor. Anglic. Raynaldus in Annal. Eccles. Waddingus in Ann. Minorum. Nomenclator Cardinalium. Victorellus in addit. ad Ciaconium.

ANNO 1305.

SEDENTE CLEMENTE V. PONTIF. MAXIMO.

De

NICOLAO FARINULA

S.R.E. CARDINALE.

NICOLAUS Farinula nobilis Gallus Rothomagensis, spretis caducis sæculi opibus, sacro Prædicatorum Ordini in ipso ætatis flore nomen dedit: in quo præclaras animi dotes continuo labore, atque studio excolens, eximii nomen Theologi promeruit. In suæ Provinciæ Monasteriis multorum annorum spacio sacras literas professus, Ecclesiastis juxta & Prioris munere magna cum laude perfunctus est. Cùm itaque singulari concionandi gratiâ, morum suavitate, prudentiâ, & rerum experientiâ insignis haberetur, selectus est à Philippo Pulchro Galliarum Rege hujus nominis Quarto Consiliarius, & conscientiæ regiæ Arbiter. XXI. *S. Dominici Institutum amplexus, eximii Doctoris & Concionatoris famam meretur.*

Bonifacius VIII. Philippo Galliarum Regi aliquorum Aulicorum iniquitate iratus, Nicolaum, qui Philippo plùs æquo (uti videbatur)

Pontifici suspectus. Romã ad dicendam causam citatur.

batur) adhæreat, Romam per Joannem Cardinalem Sedis Apostolicæ in Gallia Legatum ad avertendas suspiciones, quas de illo conceperat Romana curia, vocavit. Hæc enim in literis ad Legatum die ultima Aprilis Pontificatûs anno nono datis legimus: *Caterùm Fratri Nicolao Ordinis Prædicatorum, Philippi Regis Confessori ex parte nostra districtè præcipias, ut infra trium mensium spatium, hujusmodi præceptum immediatè sequentium (quod ipsi pro peremptorio termino studeas assignare) personaliter nostro se conspectui repræsentet, accepturus pro meritis: aut suam, si poterit, innocentiam ostensurus, aut pariturus nostris beneplacitis ac mandatis: alioquin contra eum spiritualiter, ac temporaliter, prout expedire viderimus, procedemus.* Quid verò hac in re egerit Legatus, prorsùs ignoro, cùm nulla apud Scriptores solida de Nicolai itinere mentio reperiatur. In suspicionem tamen venio, Legatum superveniente Bonifacii morte, vel aliis justis de causis imperata non fecisse.

Cardinalis renunciatus Doctrinam Petri Joannis Olivi discutit.

Post Bonifacii obitum, Philippi Regis postulatione à Clemente V. anno Salutis 1305. inter Presbyteros Cardinales titulo S. Eusebii cooptatus, subscripsit ejusdem Clementis Constitutioni datæ XIII. Kalend. Augusti anno sui Pontificatûs secundo, qua Clemens promulgavit, sedem Apostolicam nullo modo teneri ad tolerandos bellorum in Siculos sumptus, neque ad defendenda sua jura fiduciaria officio ullo devinciri. Eidem etiam Clementis jussu provincia demandata est discutiendi doctrinam Petri Joannis Olivi adversùs paupertatem Minorum editam.

Legatur in Gallias ad promovendã sacram expeditionem.

Cùm anno Salutis 1312. Clemens V. ad felicem exitum perducere niteretur expeditionem Terræ Sanctæ, legavit ad Regem Galliæ Nicolaum Presbyterum Cardinalem cum literis monitoriis, in quibus inter cætera hæc de Legato legimus: *Ad Personam itaq; tuam, quam dicto Regi gratam confidimus & acceptam, nostræ mentis oculos dirigentes, te, cujus nobis sunt nota virtutes, & quem in magnis sæpè & arduis rebus, diversis vicibus experti sumus fidelem, deq; cujus operibus virtuosis fructus utiles provenisse conspeximus, ad imponendum vivificæ crucis signum Regi, filiis, fratribus, Baronibus, & militibus supradictis, nec non & quibuslibet aliis tam de dicto Regno, quàm ad illud venientibus undecunque, signum recipere volentibus prædictum, duximus destinandum &c.* Has litteras datas Avenione IV. Idus Feb. anno octavo Pontificatûs Clementis rescripsit in suo Tomo 15. Annalium Odericus Raynaldus. Interfuit Nicolaus Concilio Viennensi, & suffragium tulit pro Joanne XXI. dicto XXII. Decessit Lugduni in Gallia mense Januario, anno nostræ saluris 1323. Cardinalatûs sui Decimo octavo, sepultus apud Patres Dominicanos, quos ex asse hæredes instituit.

Ejus obitus & Scripta.

Scripsit, teste Eisengrenio, Sermones plurimos.

Item Rituales libros.

Elogium ejus ex Cortesio.

De illo sic Paulus Cortesius: *Nicolaus Farinula, qui quamquàm fuisset in umbratili ludo literator, sic tamen posteà dicendo est progressus, ut jure sit habitus in principibus Theologorum. Rituales ab ipso fuisse editos libros dicunt, qui scripti sunt prisca disciplina rudiùs, propterea quòd nondum esset mos splendidior statarum Cæremoniarum natus.*

De eo agunt Felix Contelorius in Elencho Card. Aubery in Vita. Frizon. in Gall. purp. Panvin. in Vit. Pontif. Spondanus. in Annal. Wadding. tom. 3. Ann. Min. Raynaldus in Annal. Nomenclator. Card. & Alii.

ANNO 1305.

SEDENTE CLEMENTE V. PONTIF. MAXIMO.

De

ARNALDO DE PELAGRUA
S. R. E. CARDINALE.

ARNALDUS de Pelagrua (seu ex Paulo Jovio de Pelagura) natione Gallus, patriâ Burdegalensis, Pontifici summo Clementi, teste Frizonio, affinis, ab eodem non tam ob affinitatis conjunctionem, quàm virtutum ac literarum præstantiam, quibus cumulatissimè præditus erat, Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Porticu anno salutis 1305. Lugduni renunciatus est. XXII.

Is postmodùm anno Domini 1309. die 23. Aprilis Sedis Apostolicæ Legatus designatus, magno stipatus famulitio Avenione in Italiam concessit, Ferrariam tumultuantem & amissam recuperaturus. Nam Azone Estensi Ferrariæ Principe absque legitima prole è vivis sublato, acris dissensio de novo Principatu exorta erat inter ipsius fratres, & ejusdem filium nothum Friscum nomine, cui, quia Venetiis ex furtivô concubitu natus fuerat, Veneti tanquam concivi usque ad arma patrocinabantur. Friscus Juvenis bellicosus Venetorum opibus, favore, & armis adjutus Ferrariam adoritur, renitentem expugnat, atque illius imperium, pulsis patruis, magnâ civium strage occupat. Ferrarienses suorum sanguine irritati, factâ conspiratione Friscum nil tale cogitantem circumveniunt, urbeque intromissis Azonis Fratribus depellunt. Ille ad Venetos confugiens, collecto properè exercitu, rursùm Ferrariensibus imminet, urbemque quaqua versùm admotis machinis impugnatam in fidem recipit. Pontifex ob eam rem justâ irâ incensus (nam ditionis Ecclesiasticæ Urbs illa erat) Frisco & Venetis anathemate notatis, bellum indicit, eosque non secùs atque Ecclesiæ hostes, publicatis ubique atque direptis eorum bonis, haberi jussit. Eapropter gens mercaturæ admodùm dedita in Anglia & Gallia maxima incommoda & detrimenta perpeti cogebatur. Ad hos igitur debellandos, cùm ne sic quidem ulla pœnitudinis signa darent, Clemens religiosam militiam, datô crucis symbolô, ac propositis, Ecclesiæ signa secuturis, indulgentiarum præmiis, quæ arma in Sarracenos gerentibus concedi solita erant, indixit; & Arnaldum de Pelagrua Cardinalem Sedis Apostolicæ Legatum cum potestatis plenitudine sacro bello præficit. Quem etiam ad exortos in multis ditionis Ecclesiasticæ Provinciis, maximè Anconitana, Marchia, Spoletano Ducatu, Campania, ac Maritima, tumultus compescendos misit. Arnaldus justo Cruce signatorum exercitu coacto, initoque cum Longobardis, Bononiensibus, & Florentinis fœdere, Venetos in acie ad Padum stantes aggreditur, disjectisque eorum phalangibus, & octo millibus cæsis Ferrariam recipit, atque, eliminatis rebelli-

Cardinalis renunciatus legatur in Italiam ad recuperandam Ferrariam.

Veneti adversus Pontificê Frisco Azonis Ferrariæ Ducis filio notho favent.

Friscus, & Veneti anathemate percutiuntur.

Legatus devictis Venetis Ferrariam recipit.

bellibus, sub imperio Pontificis constituit. Hujusce Victoriæ partem S. Antoninus Florentinis adscribit. Quare inde in Hetruriam abiens Legatus, beneficiis à Florentinis accepti haud immemor, eos in vicem præmii interdicto, quo à Neapoleone Cardinale Legato ob contumaciam anteà devincti erant, absolvit.

Robertus Siciliæ Rex Dominii pontificii præfectus constituitur.

Eo tempore Clemens Pontifex Robertum Siciliæ Regem Castrorum, Oppidorum, & Urbium Galliæ Cisalpinæ ac Romandiolæ Præfectum constituit, præter Bononiam, & Ferrariam, quas Urbes Legato Pelagruæ, suo nomine moderandas reliquit, cui Robertus ipse pro Romana Ecclesia præstitit clientelæ & fidelitatis sacramentum. Interim Veneti infelici sua pugna graviter afflicti, Oratores nobilissimos Carolum Quirinum, & Franciscum Dandulum Avenionem ad Pontificem miserunt, qui pacem efflagitantes, veniamque deprecantes, oblata & data satisfactione, à Pontifice in gratiam recepti, anathematis & interdicti vinculo soluti sunt. Joannes Egnatius Presbyter Venetus, vir doctissimus hujus legationis mentionem faciens, de Dandulo ad Clementem Oratore lepidum hoc factum refert; *Missis igitur Oratoribus multis frustrà ad leniendam Maximi Pontificis iram, qui Venetum nomen diris suis, & gravi anathemate insectabatur, profectus est ad eum publico nomine Orator Franciscus Dandulus: qui obstinatissimum illum aliquot dies expertus, quùm etiam interdum ab ipsius conspectu rejiceretur, in eam sententiam flexit animum, ut nova arte, novique pudoris ratione servata, ad prandentem Pontificem in palatio quadrupes accesserit, flexo quantùm potuit in terram capite, supplexque petens, ut Veneto Senatui Pontifex ipse parceret, veniamque daret, neque enim se corporis habitum mutaturum, nisi priùs Clemens ignovisset ipse. Quare admiratus Pontifex, captusque tanti pudoris & reverentia novitate, illum assurgere jussit, complexusque hominem, cape, inquit, exhibiti pudoris à me veniam, Ducique tuo, & Senatui scribito meo nomine, solutos eos meâ omni posthac execratione, charissimosque mihi semper ab hoc die futuros. Quæ res tam grata Senatui Veneto fuit, ut quamquàm Canis cognomento diceretur ob commenti novitatem, Princeps statim sit declaratus.* Hæc Egnatius in Exemplis Illustrium Virorum Venetæ Reipub. libro quarto, capite 5. De Verecundia. jam ad Institutum.

Veneti in gratiam recipiuntur, & Anathemate solvuntur.

Lepidum Danduli Oratoris Veneti factum enarratur.

Cæsar coronandus Româ veniens Legato commendatur.

Arnaldo Sedis Apostolicæ Legato in Italia mandavit pariter Clemens, ut Henrico VII. Cæsari designato ad suscipiendum Imperiale Diadema Romam venienti, in Italiæ limine occurreret, suamque illi in omnibus operam, pro ut officii sui ratio deposcere videretur, explicaret. Verùm Arnaldus Ferrariensi tum expugnationi & Italiæ quieti intentus, eò se onere liberavit: quare Clemens Thomam Jossium Cardinalem (cujus suprà numero 20. mentionem ingessimus) Arnaldi loco pro excipiendo Cæsare subrogavit.

Inter hæc erupit periculosissima conspiratio à nonnullis profligatæ vitæ viris, authore quodam Salinguerra, conflata ad Ferrariam ab Ecclesiæ obsequio divellendam, quæ haud dubiè ad infamem exitum perducta fuisset, (ut inquit in Historia sua Joannes Villanus) nisi Arnaldus Legatus Bononiensium stipatus copiis, magnis itineribus eò pervolâsset, suâque virili eloquentiâ vacillantem in obsequio multitudinem ad concordiam, fideique constantiam rede-

redegisset. Studiosorum enim Ecclesiæ animi, illius præsentiâ & alloquiô confirmati; perduellium verò conatus disjecti sunt & debilitati. Cumque ille specie componendæ discordiæ, Urbis concilium in Arce, cui Thedaldi nomen erat, coëgisset; triginta sex è præcipuis, qui facem seditioni subjecerant, comprehensos suspendio necari jussit, cujus supplicii terror, cæteris, ne quid porrò tentarent, frænum injecit. Non longo pòst tempore Legatus ex Italia discedens Avenionem rediit, Ferrariæ curâ Regi Roberto, Pontificis jussu, commissâ. Urbis verò cives regiorum Ministrorum insolentiam, & libidinem in matronas usque & virgines Deo dicatas impunè vagantem, ampliùs tolerare nequeuntes, reassumptis armis, ad unum omnes vel occiderunt, vel Urbe expulerunt: traditâ Marchionibus Estensibus Urbe, sub quorum potestate ab anno 1318. usque ad annum 1598. (quo eam Clemens VIII. iterum recuperavit) frustrà reclamantibus Pontificibus immota permansit.

Conspiratio Ferrariæ exorta, Legati operâ eliditur.

Ferraria iterum rebellis Marchionibus Estensibus in possessionē traditur.

Post vigesimum secundum generale Ordinis Minorum capitulum, Barcinone celebratum, à Clemente primarii dicti Ordinis patres, imò ipse Magister Generalis petiit & obtinuit Arnaldum de Pelagrua Cardinalem, ut Protectoris Franciscanorum munere fungeretur loco Cardinalis de Muro paulò antè demortui. Clemens patrum precibus annuens postulatum Arnaldum libens volensque Minoribus in Patronum concessit: qui statim acceptis à Clemente ad diversos Italiæ Præsules litteris, illud effecit: ut aliqui Fratres Minores antiquæ Institutionis desertores, ad sua Cœnobia compellerentur regredi, & juxtà Regulæ normam Superiorum nutui & obedientiæ subjici.

Arnaldus Ordini Minorum in Protectorem datur.

Cùm verò nosset Arnaldus Florentinos singulari veneratione B. Barnabam Apostolum prosequi, illius Reliquias, maximo sumptu & apparatu aliunde advectas Florentiam deferri jussit; quas ingenti populi lætitia ac pompa exceptas, in Altari principis Ecclesiæ Divo Joanni Baptistæ nuncupatæ, non vulgari pietatis sensu collocandas curavit, ut refert Joannes Villanus, illius gentis Historicus.

Sacras B. Barnabæ Apostoli Reliquias Florentiam transfert.

Ad dirimenda gravissima dissidia, quæ inter Episcopum & Capitulum Carducense intercedebant, Raymundo Pauchello Episcopo suâ facundiâ persuasit, ut se sua sponte Episcopatu controverso abdicaret, assignatis illi ad honestam vitæ sustentationem trecentis aureis annui proventûs. In Ecclesia principe Carnotensi Sacella duo splendidissimi operis à fundamentis erexit, quorum alterum Divo Jacobo Apostolo; alterum S. Christophoro sacrum fecit, assignatis utrique uberrimis pro annua dote redditibus, cum onere singulis diebus in illis cœlestem Deo immortali hostiam immolandi. Denique postquàm suo suffragio Apostolicis comitiis, in quibus Joannes XXI. dictus XXII. Pontificium adeptus est, interfuisset: seniô & virtutibus gravis, animam ab humani corporis ergastulo liberatam Christo Redemptori in manus consignavit anno à partu Virginis 1335. Sedente in Apostolico throno Benedicto hujus nominis XI. dicto XII.

Dissidium Carducense componit.

Obitus ejus, & Scripta.

Scripsisse fertur Expositionem in Decretales.
Compendium Theologiæ.
Libellum de bello cum Venetis gesto.
Diarium Legationum suarum.
Sermones item nonnullos & Epistolas.

Ejus meminêre Paulus Jovius in elogiis virorum illustr. Frizonius in Purpurata Gallia. Panvinius de Rom. Pontif. Aubery in Vita. Cherubinus Gherard. in hist. Bononiensi. Waddingus tom. 3. Annal. Min. Aliiq, passim.

ANNO 1305.

SEDENTE CLEMENTE V. PONTIF. MAXIMO.

De

ARNALDO NOVELLIO S.R.E. CARDINALE.

XXIII. ARNALDUS Novellius, natione Gallus, nobilis Vasco, Monachus Cisterciensis, & Abbas Montisfrigidi, quæ erat Cistercientium Domus in Diœcesi Narbonensi, à Principibus Narbonensibus fundata, & larga manu dotata: Vir pius, prudens, eruditus, & in omni tum divina, tum humana Philosophia versatissimus. Ejus doctrinam, eloquentiam, vitæque probitatem admiratus Clemens V. præcipuo illum amore prosecutus est semper, ac primò Vicecancellarium Apostolicum; trienniô pòst Presbyterum Cardinalem Sanctæ Priscæ; denique Legatum in Angliam ad dissentientes cum Eduardo II. Regni Proceres conciliandos constituit. Rebus in Anglia ex voto compositis, accuratè egit cum Eduardo, ut prædia, ac solida bona Templariorum, Rhodiis militibus addicerentur. Verùm cùm Angliæ Proceres id Regi dissuasissent, ille, ne nova iterum cum illis odia contraheret, abnuit.

Cardinalis renunciatur & in Angliâ Legatus destinatur.

Arnaldus obicem passus, infecto negotio, ad curiam rediit Avenionem, Pontificemque in Anglos ob retentionem bonorum Templariorum jam jam exasperatum, facilè ad stringendum in eos anathema, in mox Rhodiis militibus ea bona redderentur, pepulit. Erit autem non abs re hoc loco ad exornandam historiam paulò fusiùs de Templariis, eorum origine, criminibus, atque excidio agere, cum quibus Arnaldo Cardinali ex imperio Clementis V. multùm negotii, quoad vixit, fuit: ut mox videbimus. Nihil verò hîc dicturus sum, quod probatis Authoribus, & idoneis testibus non sit consonum. Ordiar ab origine Templariorum.

Redit Avenionem & Pontificem rerum edocet.

Erat in Urbe Hierosolymitana Religiosorum militum ordo institutus circa salutis annum 1118. qui cum ex concessione Balduini II. juxta Templum Domini cohabitarent, Templarii sunt dicti. Horum vestis candida erat, signata cruce rubicundâ; officium verò & munus, tueri fines ac vias Hierosolymitanæ ditionis ab incursioni-

Narratio Originis & excidii Templariorum.

bus hostium & latrociniis, ut advenæ & peregrini ad sancta illa loca (Christi sanguine & mysteriis nobilitata) tutò possent accedere. Ex hisce militibus multi olim Christi causâ & sanguinem profuderunt, & frequenter vitæ, capitisque discrimina adierunt. Verùm deinde à sancto hoc instituto recedentes, Patriarchæ Hierosolymitano, qui subjecti erant, & à quo prima beneficia acceperunt, obedire renuerunt; Ecclesiis decimas & primitias subtraxerunt; aliaque nefanda perpetrarunt, quibus omnibus redditi sunt infesti. Atyssinorum etiam Legatum à Templariis contra jus gentium fuisse occisum, & Fridericum II. Imp. Soldano Ægypti Tyranno proditum scribit Willhelmus Tyrius. Præterea, quemadmodùm in Bulla indictionis concilii Vennensis Clemens commemorat, ad Sedem Apostolicam multi Principes viri detulerunt, eos in hæresim, Apostasiam, aliaque enormia vitia incidisse. Pontifex Clemens V. itaque ad instantiam Principum ac Regum Christianorum, an hæc vera essent? diligenter investigavit, & quibusdam Cardinalibus, inter quos Arnaldus noster non ultimus erat, ut & ipsi quoque investigarent, præcepit; ac tum Magistrum Ordinis, tum complures alios in ea nefanda vitia esse prolapsos reperit. Cumque Templariorum Religio esset toto jam ferè Orbe Christiano proseminata, atque dispersa, Clemens, ut remedium aliquod huic tanto malo posset afferre Concilium convocandum sibi esse existimavit, atque indixit. Datis itaque ad Henricum Romanorum Regem, Hispaniæ quoque Galliæ, ac Angliæ Reges, aliosque Principes Christianos, atque inprimis ad Pontifices & Prælatos Ecclesiarum II. Idus Augusti anno salutis 1308. Literis, eos omnes intra biennium, Concilio Viennæ in Gallia indicto, adesse jussit.

Recedunt à primævo suo instituto, in varia crimina prolabuntur.

Instituitur in eos inquisitio.

Indicitur adversus eos Concilium.

Ad XIII. Kalendas igitur Novembris in primo consessu, Templariorum causa producta est, quorum nomen multis turpitudinum maculis adspersum, omnibus infame esse cœperat in vidiosumque. Cognoscendi, statuendique Patrum collatis sententiis negotium videbatur, quoniam ea res ad omnes pertinebat. Sævæ tempestatis initium in Gallia exortum est. Crimina horrenda, propudiosa & inaudita priùs, non singulis modò, sed universis totique Ordini objecta. Accusationis capita innumera erant; hæc verò gravissima: Christum illos ejurare solitos, Virginemque matrem & cœlites omnes, cùm primùm se se ad eum Ordinem adjungebant. Per Christum se salutem habituros inficiabantur, neque Deum eum esse credebant, sed falsum Prophetam blasphemabant, unde illum non hominum, sed propriorum scelerum pœnas crucis supplicio exsolvisse asserebant. Crucis signum, ac Christi Dei imaginem pedibus conculcare, sputo ac lotio fœdare solebant, idque sanctissimis præsertim diebus, quibus Christi cruciatûs & passionis memoria recurrebat, quò major contumelia esset. In Sacramento Eucharistiæ Christi corpus & sanguinem esse negabant, idque & cætera Christiana sacramenta repudiabant. Mystica verba, dum sacrificare videbantur, tanquam inutilia, hominumque commento excogitata, omittebant. Magistrum Ordinis Generalem, aliosque singulis cœnobiis præfectos, quamvis presbyteri non essent, peccata omnia condo-

Horrenda Templariorũ flagitia breviter enarrantur.

condonandi potestatem habere dicebant. Catum in conventu apparere solitum, quasi religiosum, plenumque numine profitebantur. Quin & idolum aliquando triceps, aliquando uniceps, aliquando etiam cranio demortui hominis, pelleque contectum divino cultu adorabant, ei divitias, incolumitatem, bona omnia fortunæ, corporis, & animi accepta ferebant. Chordam, ejus idoli contactu sacram, corpori involutam gestabant augurii & superstitionis causâ. Aversâ libidine, aliisque propudiosis actibus se se promiscuè coinquinabant. Impurissimas inter se corporum partes deosculari & contrectare, in omne fas & nefas ruere, probitati consonum, jureque concessum affirmabant.

Alia, quæ honestè referri non possunt, tædet, horretque animus commemorare, ne Lectoris aures offendam. Quamvis non desint, qui publicis ea scriptis à calumnia defendere, inque Pontificem & Philippum Regem detorquere non absque summa temeritate & injuria satagant: inter quos eminet Joannes Boccatius de Certaldo, in his, quæ de Jacobo Mola Templariorum Magistro, in suo de casibus virorum illustrium libro 9. scripta reliquit: incitatus, ut videtur, studio factionis Ghibellinæ, cui hoc unum propositum cum Dante Aligerio Pontifices Romanos apud posteritatem in invidiam adducere. Quem proinde meritò ut falsum testem Abrahamus Bzovius suis in Annalibus ad annum 1311. n. 8. rejicit & explodit, ex eo maximè capite, quod fama publica quæ vicem divinæ vocis obtinet, ea damnet, & sensus Scriptorum propè omnium Pontifici suffragetur, & Concilio desuper habito accedat.

Boccatii & Dantis falsitas redarguitur.

Exscindendo verò, improbandoque tanto ac tali Ordini, præter enumerata flagitia, quibus passim fœdabatur, immensas divitias, enatasque ex eis voluptates exitio fuisse, omnes, qui ingenuè de Templariorum excidio scripsêre, affirmant: sive copiâ deliciarum, virtutum indole extinctâ, sive ex ea re invidiâ apud populum conflatâ, apud Princeps spe lucri. Tam citò in omne improbitatis genus publicè degenerâsse, vix esset credibile, nisi plurima eaque solida Clementis V. Diplomata, quæ etiamnum ad rei veritatem in Bibliotheca Vaticana intemerata extant, indicio essent, famam haud quaquam vanam fuisse, affirmantis duos & sexaginta ex eo Ordine se coram quæstione habitâ, scelera, quæ enumerata sunt, fassos, veniam petiisse. Primi indices, duo ex eodem Ordine haud spernendi extitêre; Prior nimirùm Montisfalconis in agro Tolosano, & Noffus exul Florentinus, auctores certè satis idonei, utpotè rerum, quas ipsi videbant, & perpetrabant, optimè gnari. Accessêre & alii, sive criminum atrocitate permoti, sive Deo in vindictam scelerum properante, incitati. In his ipsius Pontificis Clementis cubicularius, qui undecimo ætatis anno ad eum Ordinem adjunctus, visa, experta, factaque referebat. Accusationis capita ab Inquisitoribus ex formulâ juris ac testium depositione undequaque collecta, tum ad Clementem Avenionem; tum ad Regem Philippum Pictavium; tum ad Principes Christianos quaquaversùm, ante congressum Generalis Concilii Viennensis, missa, discussa, ponderata, & divulgata sunt.

Ruina Templariorum quæ causa?

Primi flagitiorum indices qui fuerint.

Ad

Ad diem igitur Kalendarum Octobrium anni 1311. Clemens summus Pontifex Viennam Allobrogum venit. Ampliùs quàm trecenti Episcopi, Patres atque Prælati, præter Cardinales, Patriarchas Alexandrinum & Antiochenum, diversosque Principum ac Magistratuum Christianorum Legatos & Oratores ex variis Orbis partibus ad Concilium celebrandum accessêre. Arnaldus Novellius Presbyter Cardinalis S. Priscæ (Bzovius Guillelmum Episcopum Mimatensem fuisse autumat) jubente Clemente libellum de rebus in Concilio tractandis, definiendisque præscripsit. Cujus sententia circa Templarios in Concilio proposita, hæc (quam ad verbum ex M.S. Bibliothecæ Vaticanæ n.4177. exscribo) fuit.

Viennense Concilium sub Clemente V. celebratum.

In Nomine Domini Amen. Anno Dom. 1311. Congregato Concilio Generali Vienna per Sanctiss. Dominum Clementem Papam V. mense Octobri in prima sessione, qua fuit decima sexta die ipsius mensis, primo proposito verbo Domini, assumpto themate : In consilio justorum & congregatione, magna opera Domini exquisita in omnes voluntates ejus. *Exposuit dictus Papa tres causas, propter quas ipse duxerat Concilium congregandum. Prima fuit pro negotio Templariorum, & Ordine eorum, qui super variis hæresibus, & nefandis erroribus fuerunt graviter & multipliciter infamati, & multi processus & inquisitiones contra eos facta. Secunda propter succursum, & subsidium Terra sancta. Tertia pro reformatione morum, & reformatione Status Ecclesiastici.*

Arnaldi Cardin. libellus de rebus in Concilio definiendis.

Causa cogenda Synodi.

De primo, scilicet Articulo Templariorum, variis varia sentientibus; aliis dicentibus & asserentibus, quòd dicto Ordini danda erat defensio ; nec debere tam nobile membrum Ecclesia à corpore ejusdem absque juris rigore, & magna discussione truncari : aliis verò opinantibus, dictum Ordinem destruendum sine aliqua tarditate ; tum propter grave scandalum, contra dictum Ordinem in tota Christianitate exortum ; tum quia contra ipsum multi errores & hæreses per dictos processus & inquisitiones, plusquàm per duo millia testium reperiebantur esse probati. Quid autem senserim circa dictum Articulum, sequitur in hac verba.

Dua opiniones pro & adversùs Templarios.

Quamvis infirmitas proprii corporis, qualitasq; loci ac temporis me graviter affligentes, auferant opportunitatem deliberandi pleniùs & studendi circa ea, pro quibus Dominus noster summus Pontifex (pro ut in sua prima sessione prædicta Senatui exposuit) decreverat istud sacrum Concilium celebrandum, tamen pro ut parvitati mei occurrere potest ingenii, mihi videbitur (salva semper auctoritate majorum) quòd quantum ad negotium Templariorum, & Ordinis templi attinet, Ecclesia Dei & toti fidei Christiana mirabiliter expedires, quòd idem Dominus noster, sive de rigore juris, sive de plenitudine potestatis, istum Ordinem diffamatissimum, qui, ut ita dicam, odorem nominis Christiani, quantum in se fuit, apud incredulos & infideles fœtere jam fecit, & nonnullos fideles in stabilitate fidei titubare, sine tarditate aliqua, rejectis frivolis & calumniosis allegationibus super defensione tollenda, ex officio suo omninò tolleres. Bonis ejus Ordinis, dispositioni Sedis Apostolica reservatis; & sine tarditate dico : etiamsi à prima sua institutione fuerit Ordo bonus. Cùm dicat Scriptura di. C. Verum &c. Quòd si nonnulli ex prædecessoribus nostris fecerunt aliqua, quæ illo tempore potuerunt esse sine culpa, & posteà vertuntur in errorem & superstitionem *(sicut de dicto Ordine apparet)* sine tarditate aliqua, & ejus magna auctori-

Sententia Arnaldi Cardinalis, de Ordine Templariorum tollendo.

ctoritate à posteris destruantur : *sicut tam ibi, quàm 4. Reg. 18. de Ezechia legitur, quòd confregit aneum serpentem, quem Moyses Domino jubente construxit.*

Et iterum benè dico, sine tarditate; ne ex tarditate morosâ, scintilla hujus corporis prorumpat in flammam, qua posset incendere totum Orbem, & fidem Catholicam non modicum denigrare : & accidat, quod dicit Hieronymus : quòd Arius una fuit scintilla in Alexandria, sed quia statim oppressus non extitit, flamma quaquaversùm pervagata, totum Orbem miserè incendit. c. 24. q. 3. secundæ. *Nec multum movere debet Dominum nostrum, quòd dicunt aliqui prædictum Ordinem, qui Ecclesiæ videtur esse membrum tam nobile, non debere sine juris ordine, & plena discussione truncari : cùm (salva pace dicentium) & propter grave scandalum, quod in Ecclesia Dei ex hoc Ordine jam est ortum, & semper ubique terrarum ex morosa dilatione crebrescit, non videtur tanta discussio requirenda, Veritate dicente Matth. 6. & 18.* Si oculus tuus dexter, vel brachium dextrum scandalizat te, erue eos, & projice abs te : expedit enim, ut unum membrorum tuorum pereat, quàm totum corpus. *Item etiam expedit dictum Ordinem tolli alia ratione : videlicet, ne eo remanente semper indigna facti memoria refricetur. Unde super illud Levitici 20.* Mulier quæ accesserit ad omne pecus, ascendi ab eo, mulierem interficietis, & pecus morte moriatur : *dicit S. Augustinus, inde credendum est pecora jussa interfici, non quia peccaverunt, cùm sint irrationabilia, sed quia tali flagitio contaminata indignam refricant facti memoriam. Et est decretum 15. q. 1. cap. Mulier.* Hæc & alia proloquutus Arnaldus Novellius (vel quisquis demum is Patrum aut Episcoporum fuit) facilè Concilium suam in sententiam flexit, Ordinique delendo ob gravissima & exploratissima flagitia auctor extitit.

Arnoldus refellit primam Opinionem.

Ejus rationes & argumenta.

His peractis Clemens Pontifex duodecimo Kalend. April. anni insequentis Montiliis in Diœcesi Carpentoracensi agens decreta Concilii Viennensis ad se perlata, non modò rata habuit, sed & solemni ritu ex Ecclesiæ consuetudine promulgavit. Ejus verò præcipua sanctionum capita, in compendium redacta, ex Abrahamo Bzovio ad annum Christi 1313. n. 1. hæc fuêre.

Capita Decretorum Concilii Viennensis, Ordinem Templariorum concernentia, à Clemente V. promulgata.

1. *Templariorum Ordo extinguitor.* 2. *Nullus ad eum in posterùm recipitor.* 3. *Nullus ejus veste induitor.* 4. *Convicti gravissimorum Templarii criminum, pro ratione facinorum puniuntor.* 5. *Si qui deinceps ex eis per indicia aut testes palàm fient, ab Episcopis & inquisitoribus contra eos proceditor, & ex Concilio provinciali decernitor.* 6. *Confessis spontè levior pœna infligitor.* 7. *Refugientes Ecclesiasticum judicium, absentes citantor; non comparentes anathemate damnantor; in ea censura ultra annum perseverantes pro hæreticis habeantor.* 8. *Non adeò graviter delinquentes habitu Templariorum exuti, in iisdem Domibus, in quibus olim professi, expensis earundem Domorum usque ad finem vitæ aluntor; neque ad sæculum revertuntor; neque professi, ac sacris ordinibus initiati matrimonia ineunto.* 9. *Bona omnia ejus extincti Ordinis milites S. Joannis Hierosolymitani in possessionem perpetuam accipiunto.* 10. *Reges & Principes quicunque, ne quicquam ex eis usurpanto.*

Delatô hôc ad omnes Provincias, Reges, Principes, & Magistratus edictô, bona Templariorum ubique gentium occupari; ipsi verò

verò Templarii quaquaversùm uno quasi tempore conquiri, ac quæstionibus admoveri cœperunt. Plerique, aut omnes dulcedine vitæ illecti, aut scelerum conscientiâ peterriti, crimina de quibus accusabantur ultrò confessi sunt. Damnati quamplurimi, ac vivi igne cremati. In his summus Ordinis Magister Jacobus Mola Burgundus, cùm Parisiis ad supplicium sententiâ pronunciatâ raperetur, propositâ quamvis vitæ spe, impunitateque, si veniam supplex palàm peteret, hujusmodi verba fecisse probatæ fidei Authores affirmant : *Ego*, inquit, *extremo vitæ tempore, cùm inutili mendacio locus esse non debet, vera esse nego, ac per omnia numina juro, quæ de Templariorum impietate, criminibusq́ & antè jactata, & nunc recitata sunt. Ordo enim ille sanctus, justus, & orthodoxus est : ego tamen extremo supplicio dignus, qui Pontifice, Regeq́ hortantibus, flagitia impia, sceleraq́ ementitus sum in Ordinem meum de religione Christiana optimè meritum. Quòd utinam, ò utinam factum non esset! Sed, quod unum superest, meis delictis, si veniæ locus est, ignosci postulo, ultroq́ graviores etiam pœnas deposco, si quo modo divinum Numen patientiâ placare, apud homines misericordiam hac calamitate movere possim. Vitâ mihi precariâ quid opus est, tanto præsertim scelere, impietateq́ retenta?* Multos alios idem dixisse palàm ferunt, in eo numero fuisse Delphini Viennensis fratrem nobilissimum, Guidonem nomine, de factò non ambigitur. Quemadmodùm igitur de his in Galliâ, sic & de reliquis sontibus & convictis in Anglia, Hispania & Germania ignis supplicium sumptum est. Auctores habeo, cùm Clemens Ordinem militiæ Templi damnâsset, munusque sontes in Germania ex Decreto, sententiâque latâ plectendi, ac lege agi jubendi, inter reliquos Archiepiscopo Moguntino demandâsset, hunc convocasse Patres, sacerdotesque Provinciæ suæ : frequenti illorum consessu tunc Hugonem clarissimum virum cum viginti ordinis sui, tecto sub vestibus ferro, nemine arcere auso, ingressum, clarâ intrepidâque voce testatum, si quid graviùs in sacrum Templariorum Ordinem statutum esset, se Pontificem Maximum, qui in Clementis locum sufficeretur, appellare : absterritos Patres inermes, imbellesque ferociâ nobilissimorum militaris ordinis virorum, jussisse illos bono animo esse : certiorem literis factum Clementem mitiùs respondisse, ac jus de integro quærendi, statuendique decrevisse : eum illos, quòd insontes se edocerent, causâ cognitâ crimine liberâsse. Hominibus absolutis, ordo nihilominùs abrogatus est, bonis eorum, ex decreto Clementis, Hierosolymitanis militibus addictis. Ita Bzovius in *Annalib. Ecclesiasticis* ad annum 1312. n. 3. & Paulus Æmilius *hist. Franc. lib. 8.* in Philippo Pulchro.

Templarii comprehenduntur, sontes plectuntur.

Ultima Jacobi Molæ ante supplicium verba.

In Germania Hugo Templarius cum sociis sese decreto Pontificis opponit.

Insontes inventi crimine liberantur.

In Anglia eodem Templariorum instituto ad instantiam Cardinalis Arnaldi Legati rescisso, cùm possessionibus & bonis exacti fuissent Templarii, aliqui eorum tantum ausùs sibi desumpsêre, ut ad matrimonia contra professionem semel editam convolarint. Nihil tunc non egerunt Antistites, ut eos officii admonerent, & juxta votam castitatis professionem vivere, aut certè mori compellerent: prout ex libro M.S. Bibliothecæ Vaticanæ num. 5586. de Rebus Anglicanis colligitur. Sed de his hoc loco sit actum satis. Plura volentibus adeundos suadeo Guillelmum Tyrium *lib. 12. cap. 7. de bello sacro.*

In Anglia quidam ad matrimonia convolant.

Thomam Walsingamum *in Eduardo II.* Robertum Gaguinum, *Hist. lib. 7.* Miræum *in Origine Ordin. Equest. lib 1. c. 4 & 5.* Bzovium, Spondanum, & Raynaldum *in Annal. Ecclesiast.* Joannem Azorium, *Institut. Moral. c. 6.* Morerium in verbo *Templier.* Ego, quæ reliqua Arnaldi Cardinalis sunt, prosequar.

Arnaldus Roberti Archiepiscopi Cantuariensis, à Rege Eduardo falsò delati causam cognoscit.

Dum hæc circa Templarios aguntur, advenerunt ex Anglia Nuncii regii ab Eduardo ad Clementem missi. Qui inter reliqua negotia, quæ summo Pontifici exposuerant, Robertum Cantuariensem Archiepiscopum (non absque injuria) reum peragebant, quasi is Rege in Flandria ob Regni negotia absente, quædam contra fidem ac officium molitus esset; quodque illos, qui Regi à sacris erant, & in expeditione illum comitabantur, nihil moratus aut Regis preces, aut ipsorum appellationem, Sacerdotiis spoliâsset. Itaque Rex illum detulit quasi Reipublicæ & Regni perturbatorem. Robertum Pontifex per Legatum Arnaldum ad se Burdegalem, ubi tum agebat, accersivit, & ab officii ac muneris administratione removit, quoadusque objecta crimina diluisset. Res est. Offenderat Eduardum Regem Robertus Archiepiscopus, quòd cum illo de immunitatibus, prærogativis, privilegiis, & libertatibus Ecclesiæ, ex præscripto Canonum, & magnæ, ut appellant, chartæ, conservandis liberiùs, quàm Rex vellet, egisset: eâque valdè labefactatâ & imminutâ super triginta gravaminibus, sibi, clero, & Ecclesiæ illatis, pro munere sibi injuncto, cum Rege atque Regni proceribus graviter conquestus expostulâsset. Pontifex discussâ per Arnaldum causâ, comperiens Robertum innocentem, & per invidiam calumniis oneratum fuisse, ab illo stetit, Regemque ac Proceres acriter redargutos, officiique admonitos ad præstandam Roberto satisfactionem condemnavit.

Robertus absolvitur, Rex & Proceres damnantur.

Nondum redierant è Gallia Nuncii, cùm ecce Eduardus Rex Angliæ, Cleri & Ecclesiasticæ libertatis impugnator gravissimus ultore Deo, rebus humanis excessit. Authorem legi, qui prodidit Eduardum morbo interiisse repentino, nullo pœnitentiæ signo dato, nullisque sacramentis ex more receptis. Fama etiam tenuit, equitem quendam Willhelmum Banistrum horâ mortis ejus in extasi vidisse Eduardum à dæmoniorum turba correptum, graviterque flagris cæsum, ad Tartara detrusum: Willhelmum verò, quum ex visione ad se rediisset, mirandum in modum exterritum, paulò pòst lethalem in morbum incidisse, nec deinceps unquam visa ex animo deponere potuisse. Itaque etiam ubi convaluisset ex morbo, mutatâ vitâ, pœnitentiam ad ultimum usque spiritum egisse. Porrò incredibile non est Eduardum iis pœnis deputatum fuisse, qui præter maxima alia flagitia, etiam sub extremam horam cædibus ac tyrannide sese impiaverat. Priusquàm enim supremum diem obiisset, adducti ad eum sunt animam jam jam trahentem quinquaginta quinque nobilium Scotorum liberi, impuberes ferè omnes, quos Kildrummi castello aliquamdiù oppugnato ea lege tandem in deditionem acceperant, ut quod Eduardo Regi de iis videretur, id illis fieret. Itaque catenis conglobati, cùm adducti in cubiculum jam propè morientis essent, ipseque quid de illis faciendum

Interitus Eduardi Regis: Visio de eodem.

dum

dum statueret, rogaretur, nihil precibus eorum, nihil ætatis innocentiâ commotus, torvo omnes vultu intuitus, crudelissimam de illis sententiam (ipse mox justissimi tribunal Judicis aditurus) tulit: *Trucidentur*, voce intermortuâ inquiens, *ad unum omnes à furcâ suspensi.* Quod & extemplò factum à tyrannidis ipsius ministris. Vix innocentibus Scotis capistrô enectis, ipse paulò pòst ingruentibus mortis cruciatibus, frendens & ejulans infelicem animam orco transmisit. *Ejusdem in extremis crudelitas in Scotos adolescentes.*

Successit impio patri æquè impius filius Eduardus Junior, cognomento *Carnarvan.* Is ob ignaviam, tyrannidem, & lasciviam omnibus odiosus, amisso primùm Regno, deinde vitam perdidit. Sub initium enim Regni Gavestonem quendam ob multa flagitia à Patre Eduardo olim ejectum, revocavit: cujus consiliis in Proceres sævus multorum insidias contraxit & odia. Occiso à tumultuantibus Anglis Gavestone, Scoti variis ab eo crudelitatibus exagitati, jugum excussêre. Mox Hugo Spenserus cum filio cognomine, animo Regis occupato, eum ita in transversum egit, ut & Edmundum fratrem & uxorem Isabellam pelleret, quæ in Galliam se ad Carolum Pulchrum, fratrem suum recipiens, multarum posteà causa turbarum extitit. Inde ope Hannoniæ Comitis, Procerumque Anglorum id effecit, ut Spenserus uterque, publicatis priùs eorum bonis, capite plecterentur; Eduardus astu interceptus in vincula conjiceretur, filio surrogato. Paulò mox ignito ferro per corneam fistulam in anum emisso, crudeli sed merito supplicio interemptus est, Anno salutis 1327. Altero ab Eduardi Regis obitu anno (ut Buchetus in sua Aquitania author est.) Isabella à proprio filio, pariter Eduardo, qui Patri, ut diximus, successerat, in carcere necata fuit, postquàm ex Mortimerii furtivo concubitu intumuisset. Mortimerius verò desectis in pœnam adulterii genitalibus ejus, magnoque igni in conspectu ejus concrematis, capite plexus, inque partes quaternas divisus, eadem morte, qua ipso authore Hugones Spenseri haud diu antè perierant, interiit: terrori omnibus iis futurus, qui sacros aliorum thoros polluere non verentur. Ita Annales Flandrici libro 12. *Eduardo succedit filius æquè impius.* *Ejusdem miserandus vitæ exitus.* *Isabella Reginæ & Mortimerii adulteri interitus.*

Arnaldus secundâ in Anglia Legatione perfunctus, à Pontifice in causa bonorum Templariorum, Rhodiis militibus distribuendorum revocatus, multo onustus auro rediit Avenionem: ubi nonnullis à reditu annis, stomachi, laterumque doloribus sensim confectus, diem clausit extremum ibidem, Anno salutis 1317. relictis pluribus ingenii sui monumentis, asservatis, ut dicitur, in Bibliotheca Avenionensi. *Arnaldus Avenionem revocatus, ibidem moritur.*

Ejus memoriam celebrant præter rerum Anglicarum Scriptores, Panvinius de Roman. Pontificibus. Angelus Manriquez in Annal. Cisterciensis. Gaspar Jongellinus in Purpura D.Bernardi. Frizonius in Gall.Purp. Auberyin Vita.Andr. Victorellus in Addition. ad Ciaconium. & Alii.

ANNO 1305.

SEDENTE CLEMENTE V. PONTIF. MAXIMO.

De

GUILLELMO DE MANDAGOTO S.R.E. CARDINALE.

XXIV.

Per varios dignitatum gradus ad apicem purpuræ ascendit.

GUILLELMUS de Mandagoto, natione Gallus, in Jure Pontificio & Cæsareo apprimè versatus; ex Præposito Ecclesiæ Tolosanæ Ordinis S. Augustini, & Archidiacono Nemausensi Notarius primò Pontificius à Nicolao IV. tum à Bonifacio VIII. Apostolici Sacelli Sacerdos, demùm à Clemente V. Episcopus Avenionensis, ac mox circà annum Domini 1312. Episcopus Cardinalis Prænestinus ordinatus est.

Ejus variæ elucubrationes.

Anno verò salutis 1316. extincto Clemente V. ad Archiepiscopatum Ebredunensem, ac mox Galliæ Regis favore ad Archiepiscopatum Aquensem translatus, partes optimi Præsulis invigilando gregi, librisque conscribendis intentus, adamussim complevit. Elucubravit inter alia insignem Tractatum *de Prælatorum Electione.* Berengario Stedellio, (quemadmodùm suprà in ejus vita n.19. annotavimus) dedicatum: quem in Bibliotheca S. Geminiani in Hetruria asservari scribunt Ughellius, & Frizonius, hoc titulo prænotatum: *Magistri Guillelmi de Mandagoto Archidiaconi Nemausensis Domini Papæ Bonifacii Capellani Liber de Electionibus Prælatorum ad Magistrum suum Berengarium Stedellium successorem Ecclesiæ Biterrensis Domini Papæ Capellanum, & Doctorem Decretorum.* Scripsit præterea super Legum disciplina plura Opuscula. Et operam strenuam, jussu Bonifacii VIII. in compilando sexto Decretalium libro navavit; pro ut ex ejusdem Libri præfatione perspicuum est. Condidit pari laude statuta salubria pro Monasterio Montis Majoris. In Comitiis solemnibus, post Clementis obitum, Joanni XXI. dicto XXII. ad Pontificatum suffragatus est.

Ejus elogium ex Trithemio.

Ejus elogium Trithemius in hæc verba contexit: *Guillelmus Mandagoti Archiepiscopus Ebredunensis, & S. R. E. Cardinalis, vir fuit in utroque Jure peritissimus, unus q; eorum, qui jussu Bonifacii Papæ Octavi Sextum Decretalium codicem ediderant, sicut in ejusdem voluminis principio patet. Scripsit non spernenda opuscula, quibus nomen suum immortalitati consecravit.*

Obitus ejus.

Desiit in vivis esse Avenione Mense Novembri anno ab orbe redempto 1324. seu veriùs anno 1321. sepultus in Templo S. Catharinæ Virgini & Martyri sacrô, uti suadent insignia, quæ illum ejusdem Templi fundatorem arguunt. Quare corrigendus videtur

Error Claudii Roberti detegitur.

Claudius Robertus, qui in Serie Archiepiscopornm Ebredunensium sibi contradicit, dum Gillelmum hunc è vivis excessisse docet anno Domini 1301. eundemque renunciatum Episcopum Prænestinum affirmat à Clemente V. qui non nisi anno 1305. solium potificium conscendit. Non enim poterat Clemens Cardinalium cœtui adscribere illum, qui jam elapsis quatuor ab ante annis è vita migraverat.

De eo

De eo agunt Panvinius de Rom. Pontif. Felix Contelorius in Elencho Cardinal. Aubery in Vita. Joseph Maria Suaresius in Pranest. Antiq. Nomenclator Cardinalium Trithemius de Script. Eccles. & Alii.

ANNO 1305.

SEDENTE CLEMENTE V. PONTIF. MAXIMO.

De

GUILLELMO GODINO
S.R.E. CARDINALE.

GUILLELMUS Godinus, Gallus, in lucem editus est anno salutis ducentesimo septuagesimo quinto supra millesimum Bajonæ, (quæ Urbs est Galliæ in Aquitania fortis, dives, & ampla, ad Aturum fluvium, ubi influit in Oceanum, post receptum Nivum, sita) vir modici quidem corporis & deformis staturæ, sed ingentis spiritûs, alti, & admirandi ingenii. Is erogatis in pauperes ex divendito patrimonio pecuniis, Sacro Prædicatorum Ordini nomen dedit in conventu Bajonensi, ubi plures annos explicandis Philosophiæ Paradoxis, & Theologiæ arcanis magnâ sui nominis famâ transegit. Exinde Parisiis Magistralem Cathedram adeptus, sacras identidem litteras omnium plausu, & accursu publicè docuit. XXV.

Godinus vir ingentis spiritûs, sed deformis staturæ.

Crescentibus in eo virtutis & doctrinæ meritis; primùm ab Ordine suo Provincialis Tolosanus, mox à Clemente V. Sacri Palatii Lector; deinde Presbyter Cardinalis S.Cæciliæ; demùm ab Joanne Clementis Successore Episcopus Sabinensis anno salutis 1317. renunciatur: à quo, triennio pòst in Castellam & Legionem mittitur, ut malis eas Provincias inundantibus modum & finem imponeret. Extant in Bibliotheca Vaticana Joannis Pontificis literæ ad Guillelmum Legatum octavo Idus Novembris anno 1320. Avenione datæ. In quibus, ubi Pontifex exposuit Castellæ Regem ob ætatis imbecillitatem, bellorum æstus sedare non posse, subdit: *Tibi igitur tam in Castella & Legionis, quàm in aliis Regnis & Terris ejusdem Regis vices nostras ac plenæ legationis officium committimus, ut deformata reformes; indirecta dirigas; & corrigas corrigenda, ac in eis reddens populum acceptabilem Domino, bonorum omnium sectatorem, evellas & destruas, dissipes & disperdas; & plantes ac statuas in nomine Domini, prout cœlestis gratia infusio, tuaq. tibi providentia & prudentia ministrabit. Tibi, ut in Regnis & Terris eisdem inter Ecclesiasticas sæculáresq. Personas, Duces, Principes, Marchiones, Barones, & Nobiles; communitates & universitates, ac Populos, & alios universos & singulos bonum pacis studeas reformare, & agere nihilominùs, & tractare quæcunque ad Dei cultum & Apostolicæ Sedis honorem, observantiam canonicæ sanctionis, redintegrationem Ecclesiasticæ libertatis, reformationem morum, honestatis cultum, relevationem Ecclesiarum, & pauperum animarum salutem, corporumq. tranquillitatem, ac robur status prosperi Regnorum & Terrarum ipsorum quomodolibet pertinebunt, &c.*

Cardinalis renunciatus Legatus in Hispanias mittitur.

Clementis Litteræ ad Legatum.

Legati gesta strictim enarrantur. Auctore itaque Guillelmo, hac instructo potestate Placentiæ Conventus Regni indicti: Alphonso Infanti administratio Regni attributa: Proceres, qui tutorum nomine impunè omnia pro arbitratu miscebant, ablegati: Summaque rerum Regi ipsi commissa. Habuit præterea insignem Prælatorum Hispaniæ Synodum, coactam Vallisoleti anno reparatæ salutis 1322. IV. Nonas Augusti, in qua permulta, & præclara ad Cleri mores restaurandos, præsertim contra concubinarios Ecclesiasticos, quorum tum maximus numerus erat, decreta fuerunt. In ea etiam Synodo anathemate vincti sunt, qui carnibus Quadragesimæ, aut quatuor temporum diebus vescerentur; quique in iis carnes publicè vænum exponere; aut coëmere præsumerent. *Hi omnes à nostra religione alieni, ne templis, dum res divina peragitur, intersint, decretum esta. Iis tamen, si verè pœnitentes sacra nostra susceperint, sacri Ordines & Sacerdotia, unde inopiam tolerent, non denegentur.*

Multa Pietatis monumenta erigit. Habebatur Guillelmus, atque omnium ore nominabatur magnus Ordinis Prædicatorum parens, utpote qui de illo optimè meritus, Cœnobia quinque Divo Dominico sacra exædificaverit, & tres Ecclesias suis Patribus, magnis sumptibus erectas, donaverit: Unam Monasterio Avenionensi, alteram Tolosano, tertiam Bajonensi. Huic ob doctrinæ eminentiam, dum sacri palatii Magistri munere fungeretur, Clementis V. jussu, commissa est cura examinandi, & discutiendi Scripta Petri Joannis Olivi Minoritæ, unà cum Gualtero Wincktelburno, & Thoma Jossio Anglis Cardinalibus; *Periculosa Petri Joannis Olivi Scripta examinat.* Ægidio item Cardinali Columna, Eremita S. Augustini, & Vitali de Furno Ordinis Minorum Provinciæ Aquitaniæ Ministro, de quibus singulis, suis in locis mentionem facimus.

Impia Petri Joannis doctrina. Docebat autem Petrus, impius & erroneus Doctor, *Christum & Apostolos nihil neque in commune, neque in privato peculio quidquam habuisse*: Id quod facilè tum à Principibus sæcularibus, tum à prophanis laicis accipiebatur, quòd id unum indocto eo tempore præcipuè curarent, ut Ecclesiasticis, & in primis summo Pontifici omnia, si possent, eriperent. Quasi verò ex sacrilego Sacerdotum spolio, Christi pauperes ipsi evaderent. Quamobrem Romanus Pontifex factâ per dictos Cardinales in ejusmodi errorem diligenti inquisitione & examine, Petri Joannis Ordinis Minorum professoris postillas quasdam damnavit, ignibusque devovit. Ex ea enim fomentum non modicum sumebant sectarii pestilentes, qui se pauperes de tertio S. Francisci Ordine appellantes, flammis fuerant exusti. Scripsit præterea idem Petrus Minorita execranda quædam dogmata, *Alia ejusdem Petri hæretica dogmata.* hæresibus quamplurimis referta, in Evangelium Matthæi, in Epistolas Canonicas, & in Apocalypsim Divi Joannis. In hac extrema communiter interpretatur per Babyloniam meritricem, *universalem Ecclesiam Romanam militantem*, quam nos Orthodoxi, & verissimè, *Sanctam Catholicam & Apostolicam* vocamus & credimus. Eandem intelligit, per Ecclesiam carnalem, per bestiam, & per Synagogam Satanæ: per mysticum Antichristum intelligit Papam, seu Pontificem Romanum: per Angelum consignatum, B. Franciscum: per Christi militiam Begardos, eorumque hæresibus, seu erroribus creden-

tes

tes per Evangelicam vitam, seu regulam, nihil habere nec in proprio, nec in communi: neque jus seu dominium in rebus habere donandi, vendendi, seu ex eis aquirendi aliquid, vel alias alienandi: sed habere in eis merum simplicem usum facti. Per Ecclesiam spiritualem intelligit Begardos, eisque credentes. Præter hos errores, evulgavit idem Hæresiarcha cuculatus viginti & unum articulos, palpabili hæresi infames: quos Abrahamus Bzovius in Joanne XXII. ad annūm 1325. n. 9. ex F. Nicolao Eymerici in sui Directorii inquisitione parte 2. nominatim recitat.

Eidem Guillelmo Godino Cardinali idem Pontifex Clemens provinciam demandavit inquirendi in hæreticos, *Guillelmitas* seu *Seramitas* dictos, qui jam anno 1300. à Bonifacio VIII. Papa damnati; magnaque ex parte excisi, hoc tempore rursum recruduerant. Ut verò, qui nam hi fuerint, Lector intelligat, operæ pretium erit, paucis eorum originem hoc loco indigitare.

Godino Cardinali provincia demandatur inquirendi in hæreticos Guillelmitas seu Seramitas dictos.

Vixerat sub annum saluris 1293. Mediolani hæretica quædam occulta, nomine Guillelma, quæ sub larva pietatis sanctissimam ducere vitam cum quodam Andrea Seramita, amasio suo, visa, omnium oculis mirè imponebat. Hæc clandestinos sub specie bonorum operum subtùs terram conventus celebrans, hæresim Dulcinistarum pænè intermotuam resuscitavit. Illuc in matutinis ante diem, de eorum quos ordinaverat, consortio, ibant mulieres nupæ & viduæ, quæ occultè ipsius mulieris mandato erant clericatæ: ibant etiam juvenes & viri, dum ipsa maledicta Guillelma ad modum presbyteri induta, in ipsa Synagoga, juxta altare, suas consuetas orationes funderet. In fine suæ mystagogiæ ajebat: *Adunamini, adunamini, & lumen sub sextario ponite, & qua natura ordinavit, facite.* His dictis, tali modò certis diebus ordinatis, occultè stupra, adulteria, incestus promiscuè committebant. Guillelmâ religiosissimè (uti decepta hominum tenebat opinio) defunctâ, & à Monachis Claræ vallensibus pro *Sancta* sepultâ, Andreas in officio succedens, initiationes & sacra execranda eousque obibat, donec à Conrado Cuppa mercatore ditissimo deprehensius proderetur. Is enim, cùm ejus uxor frequentiùs, quàm ipse vellet, horis matutinis surgeret, cupiditate sciendi, quò iret illa, succensus, vice quadam surgens, occultè extra domum uxorem prodeuntem secutus est. Ad Basilicam quoque subterraneam ingressus, consortio se se reliquorum nemini notus permiscuit: & posito de more sub sextario lumine, uxorem suam secundùm morem aliorum fortuitò cœpit, cumque eâ incognitus illi rem habuit; sed annulum nobili saphyro insignem ei ex digito detraxit, ac furtim ante alios loco exivit. Post dies nonnullos annulum ab uxore postulavit: illa verò quærere se finxit, & tandem se perdidisse, timidè respondit. Ille astum astu delusurus, consanguineis, amicis, & vicinis convivium præparavit: & uxores eorum, quas in dicto consortio cognoverat, invitavit. Qui cùm eò pervenissent, antequàm pransuri essent: *Quilibet*, inquit, *uxori suæ solatium faciat, quod ego mea facturus sum, tum rei causam revelabo.* Omnibus promittentibus, ligaturam de capite uxoris detraxit, & clericatam ostendit. Ab exemplo illius, reliqui velamen è capitibus uxo-

Horum origo & enormia facta recensentur.

Deteguntur à Conrado Cuppa mercatore.

uxorum detrahentes, omnes clericatas repererunt. Ibi Conradus rem, ut acciderat, revelavit; & quaſcunque indidem aſpexiſſet, re ipſa ſignificavit. Quibus ad Matthæum Principem delatis, & judicio Inquiſitoris ſubjectis, Andreas Seramita unà cum famulis captus, interrogatus, tormentiſque adactus, cùm totis undecim annis ſe huic libidinationi operam dediſſe, & ſtuprorum Gymnaſium inſtituiſſe aperuiſſet, ex lege capitis damnatus, impietatis pœnas igne luit. Mulieres adulterio pollutæ, repudii libellum ferentes, aliis pœnis addictæ ſunt. Guillelma verò, prodente amaſio, ſacrilegii convicta, exhumata, ignibuſque exuſta eſt.

Deferuntur ab eodem Inquiſitoribus & puniuntur.

Cùm verò interjectis nonnullis annis hæc ipſa propudioſa hæreſis iterum invaluiſſet, multoſque mortalium utriuſque ſexûs infeciſſet, qui palàm dicerent; *Nec Clementem, nec quemquam ejus anteceſſorum jure & ordine creatum eſſe Pontificem*, celebratis clanculùm conventiculis ſummis Pontificibus adverſari cœperunt; quamquàm magis luxuriæ & libidinis blandimenta ſequi, quàm juris pontificii fundamenta quatere viderentur. In hos, inquam, Pontifex Guillelmo Cardinali mandata dedit inquirendi, eoſque ex lege Chriſtiana ferro & igne extirpandi.

Godini Cardinalis Scripta.

Scripſit Guillelmus rarum opus, *de Nuptiis Chriſti & Eccleſiæ* intitulatum. Inſigne item volumen, quo Jura omnia, Conceſſiones, & Privilegia Romanæ Eccleſiæ donata, & ab eâdem aliis collata complectitur. Sermones quoque permultos, elegantes & utiles, quibus in hæreticos ſui temporis acriter & cum fundamento invehitur.

Moritur Avenione.

Jura naturæ perſolvit grandævus, apoplexiâ, ut creditur, proſtratus Avenione pridiè Idus Junii, anno ſalutis 1336. vigeſimo quarto ſui Cardinalatûs anno. Corpus ejus Toloſam devectum, in Templo Prædicatorum à ſe olim condito, ad lævam Aræ maximæ, marmoreo tumulo incluſum, requieſcit cum hac brevi inſcriptione.

Ejus Epitaphium.

HIC REQUIESCUNT OSSA DOMINI FRATRIS GUILLELMI GODINI, EPISCOPI SABINENSIS CARDINALIS, DEFUNCTI AVENIONE ANNO REDEMTI ORBIS M CCC XXXVI. PRIDIE IDUS JUNII.

Error Antonii Senenſis hiſtorici detegitur.

Ex quo corrigendus Antonius Senenſis Luſitanus Dominicanus, qui in Chronico Prædicatorum aſſerit Guillelmum Godinum Montiſpeſſuli defunctum, ibidemque tumulatum fuiſſe, quem etiam per errorem *Barbadenſem* appellat.

Ejus meminère Petroinius de Rom. Pontif. Aubery in Vita. Frizonius in Gall. Purpura. Contelorius in Elencho Cardinalium. Bernardus Guido in Chronico. Raynaldus in Annal. Jo. Mariana in Hiſt. Hiſp. Waddingus in Annal. Min. Ughellius tom. 1. Ital. Sac. Victorellus in addit. ad Ciacon. & Alii.

ANNO

ANNO 1305.

SEDENTE CLEMENTE V. PONTIF. MAXIMO.

De

VITALI A FURNO
S.R.E. CARDINALE.

VITALIS à Furno, natione Gallus, Patria Vasatensis, (Vasatum Urbs est Galliæ Aquitanicæ sub Archiepiscopatu Auscensi) Ordinis Minorum illustris Theologus, libris etiam editis clarus. Qui ex Ministro Provinciæ Aquitanicæ Presbyter primò Cardinalis SS. Silvestri & Martni in Montibus titulo Equitii à Clemente V. deinde ab Joanne, Clementis Successore Episcopus Albanensis creatus est. XXVI. *Illustris Ordinis Minorum Theologus, Cardinalis renunciatur.*

Cùm autem famosissima illa de Christi & Apostolorum paupertate controversia, quæ hactenùs inter solos Prædicatores & Minoritas privatim agitata, ac pænè etiam, obnitente maximè pontificio Decreto, extincta fuerat, rursum Anno salutis 1322. recruduisset, palamque, non sine strepitu & scandalo, ventilari cœpisset: *Utrum scilicet pertinaciter affirmare, Dominum Jesum Christum, ejusq; Apostolos non habuisse bona aliqua in speciali, nec in communi, foret hæreticum?* Idque Minores apertissimè juxtà ac obstinatissimè negarent, Joannes Romanus Pontifex proposuit quæstionem illam in publico consistorio discutiendam. Tum Vitalis Cardinalis, auditis variis & contrariis Patrum opinionibus, in medium prosiliens, Minorum Sententiam tanquam probabilem, sanam, & veram, utpote multorum Pontificium Decretis, & sanctorum Patrum auctoritatibus innixam palam defendit unà cum Berengario Episcopo Tusculano, Arnaldo Turriano Archiepiscopo Salernitano, Henrico Lucano & Hieronymo Caphensi, Episcopis ex Minoribus assumptis. Pontifex, suis quoq; rationibus, & Theologis innixus, in adversam sententiam propendens, acriter illos nutibus, gestibus, & verbis gravioribus reprehendit, magno animi impetu additis & repetitis his verbis: *Hæ sunt hæreses vestra: hæreses profertis, si ita sentitis.* Silentium tunc temporis sibi indixit Cardinalis Vitalis, ne, si porrò obloqui pergeret, stomachum irati Pontificis in se concitaret: Scriptis tamen, soluto Consistorio, Minorum sententiam propugnare conatus est, sed non pertinaci animo, ut quidam perperàm de eo affirmarunt. Nam Decretis Ecclesiæ contrarium suadentibus assentiri paratum se præbuit; & consulenti Pontifici, præmissis his verbis, modestissimè respondit: *Ego frater Vitalis Episcopus Albanensis ad propositam quæstionem respondeo in modum, qui sequitur. Primò præmitto omnibus & singulis dictis meis illud, quod scribitur: Hæc est fides &c. ubi sic dicitur, hæc est fides Catholica, Papa Beatissime, quam in Ecclesia didicimus, quamquam semper tenemus, in qua si minùs peritè, aut parùm cautè fortè aliquid positum est, emendari per te cupimus, qui Petri sedem tenes & fidem &c.*

Exorta iterùm de Paupertate controversia, Vitalis Minorum sententiam adversus Joannem Pontificem propugnat.

Pontifici eapropter indignanti blanditur.

Ne verò hoc Schismate religiosi Ordines tum Prædicatorum, tum

Pontifex sententiam dicit. Contrarium tenentes damnat. tum Minoritarum divisi collaberentur, Joannes Romanus Pontifex editâ definitione censuit omnes & singulos, hæreticos & pertinaces declarandos, qui temerè affirmare, vel docere præsumerent, *Christum Dominum & Apostolos, in hoc mundo degentes, nihil privati, aut proprii, aut seorsim, aut in communi habuisse.* Præterea hæreticum esse sanxit: si quis affirmaret, *Christum, ejusq; discipulos, ea, quæ habuisse sacra pagina testantur, vivendi, donandi, testandi, & acquirendi jus non habuisse &c.* Harum Constitutionum Decreta ad omnes Reipublicæ Christianæ Universitates, Academias & Gymnasia transmisit, ne porrò Scholastici, quocunque prætextu sub anathematis pœna, ea de re quæstionem movere, aut palam disputare auderent. Damnavit quoque in publico consistorio periculosum Glossema Joannis Petri Olivi Minoritæ, & assectarum ejus, quorum de numero multi, qui resipiscere nollent, ab Inquisitoribus comprehensi, quæstioni admoti, convicti, damnati, & exusti fuêre. Erant & alii ex Congregationibus Minorum, oppositam Joanni Papæ sententiam obstinato nimiùm animo defensantes, qui proinde multas ab eo calamitates perpessi, & in jus vocati, cùm in malo obdurati persisterent, nec ulla arte (quamvis seriò admoniti) ut consilia mutarent, induci possent, morti denique adjudicati sunt. Inter hos quatuor, temerario ausu *Papam errare* vociferantes, Massiliæ anno salutis 1323. jussu Joannis, flammis exusti fuêre. Quorum supplicium multis posteà qui contrà senserant, repagulo fuit, atque terrori.

Joannis Petri Olivi Minoritæ Glossema damnatur.

Joanni Pontifici se se opponentes morti adjudicantur.

Pontifex ob id malè auditur, sed defenditur. Ex hoc aliqui Joannem Pontificem crudelem, Franciscanorum persecutorem, ac Ordinis eorum hostem acerrimum divulgârunt, cùm tamen, judicio prudentum, optimè de universa illa Familia meritus habeatur. Franciscanam certè disciplinam & paupertatem adversùs præpositum Minorum Geraldum, & alios, qui ad explanandam Formulam præceptorum S. Francisci temerè sese ingesserant, toto pectore defendit, ut, præter multorum testimonia, ipsemet ad Francorum Reginam scribens ingenuè fatetur his verbis: *Si Fratres Minores vellent agnoscere, quanto periculo eorum Ordo subjacebat tempore, quo ad statum ejusmodi assumpti fuimus, credimus, nequaquam eos in dubium revocaturos, neminem efficaciùs atque nos, ex quò ordo ipsorum cœpit, pro eorum statu pacifico laborâsse. Nec adhuc recensamus laborem.* Doctissimus Frater Lucas Waddingus Annalium Minorum Scriptor fidelis & accuratus, Joannis in Ordinem Minorum indignationem, (si quam habuisse putandus est) non Joanni, sed ipsis Minoribus vitio vertit. Et benè: ita enim ex probatis Scriptoribus proloquitur: *Conqueruntur ex nostris consodalibus multi, quòd nimis durè, & violenter cum universo egerit sodalitio in controversia paupertatis. Verum est, mitiùs & suaviùs hanc terminari potuisse quæstionem: attamen multam Pontificis iracundiæ subministravit materiam quorundam nimia arrogantia, & insipiens audacia, qui dum humili obsequio, & debita submissione in disputationis initio summum omnium Pastorem flectere, & Patrem potuerunt conciliare; voluerunt potiùs præcipiti temeritate in faciem resistere, publicè de ejus Sententia appellare, scriptis lacessere, modis omnibus irritare. Leniendi sunt Magnatum animi, non exasperandi; deliniti prosunt, irritati potenter offendunt. Certè, si in hac re minùs propitius, in reliquis valdè favorabilis extitit Joannes. Neque*

Lucas Waddingus à Pontifice stat.

enim

enim alium legi Pontificem, qui plura in ordinem contulerit beneficia, majora indulserit privilegia, aut plures ex fratribus ad Infulas promoverit pontificias. Hæc Waddingus æquus rerum, ac circumstanriarum *censor* in gratiam Joannis XXI. dicti XXII. adversùs lividos obloquutores. Videantur etiam, quæ de eodem argumento suprà numero XI. in vita Jacobi Cajetani de Stephaneschis retulimus.

Cæterùm cùm esset Vitalis vir doctissimus ingenio subtilis, & acer varia & succo plena conscripsit Opera: inprimis *Speculum morale totius Scripturæ Sacræ*, in quo universa ferè loca Veteris & Novi Testamenti mysticè explanat, editum primò Lugduni anno salutis 1513. deinde Venetiis anno 1594. demùm Parisiis anno 1600. in cujus Pröemio hæc præfixa leguntur: *Joannes Vitalis, natione Gallus, professione Theologus suo tempore præstantissimus, religione frater Seraphici Ordinis, famâ ac sanctitate clarus, ob idq; Cardinalis à Clemente V. summo Pontifice creatus, post Commentaria in 4 libros sententiarum, ac librum unum de ipsa B. Maria Virginis concepta, nonnullaq; alia Opuscula præsens Opus conscripsit Anno salutis 1305.* *Vitalis doctissimi viri Scripta.*

Edidit quoque Commentaria in Proverbia Salomonis.
In quatuor Evangelia.
In Apocalypsim.
In Libros quatuor Sententiarum.
Quodlibeta Theologica.
De conceptione B. Mariæ Virgine librum unum.
De tuenda Sanitate.
De Remediis morborum.
Concionatorios Comentarios aniversariâ notatione.
Sermones sacros, diebus festivis habitos.

Horum plurima in lucem prodierunt operâ Cardinalis Sarnani, reliqua in variis Bibliothecis, Vaticana, Bononiensi, & Assisiana inter manuscripta asservantur, & ostenduntur.

Denique functus variis pro Ecclesia Romana legationibus, migravit ad superos plenus meritis Avenione anno à partu Virginis 1327. die 16. Augusti, sepultus ibidem in Ecclesia Minorum cum hoc subjecto Epitaphio: *Ejus obitus.*

HIC JACET REVERENDUS DOMINUS IN CHRISTO, FRATER VITALIS ORDINIS MINORUM BONÆ MEMORIÆ, EPISCOPUS ALBANENSIS, S.R.E. CARDINALIS, QUI OBIIT DIE XVI. AUGUSTI, ANNO DOMINICÆ INCARNATIONIS M. CCC. XXVII. CUJUS ANIMA REQUIESCAT IN PACE. *Ejus Epitaphium.*

Alphonsus Ciaconius scripsit Vitalem obiisse anno 1320. Felix Contelorius anno 1317. sed fortasse in utriusque Scripta irrepserit error Typographi, nam uterque Inscriptionem allegatam laudant, in qua annus 1327. tanquam ultimus vitæ Vitalis annotatur.

Episcopum Avenionensem fuisse Cardinalem Vitalem perperàm asserit Augustinus de Vitte in Genealogia S. Francisci, cùm ejus nulla prorsus sit mentio in Catalogo Episcoporum dictæ Ecclesiæ, à variis Scriptoribus collecto. Ferdinandus Ughellius Vitalem nostrum in serie Episcoporum Albanensium non recenset; neque ul- *Nonnullorũ dubia circà Vitalis Episcopatum adferuntur.*

 lum

lum de illo verbum profert. Nam post Arnaldum de Auxilio, anno Domini 1312. Episcopum Albanensem à Clemente V. electum, & mortuum anno 1320. illicò Guacelinum de Ossa Joannis XXI. dicti XII. nepotem numerat, qui, meo quidem judicio, Ecclesiam Albanensem non obtinuit, nisi post obitum Cardinalis Vitalis, in fine scilicet anni 1327. vel initio sequentis. Sunt & alii, qui eundem Vitalem Episcopum Pictaviensem fuisse contendant: Verùm cùm nihil de ea re compertum habeam, pergam ad alia, ne quid fortè in nostro hoc Volumine temerè dixisse videar, quod manifestis rationibus probari non possit.

Ejus meminère Panvinius de Rom. Pontif. Aubery in Vit. Frizonius in Gallia Purp. Bernardus Guido in Chronico m. s. Raynaldus in Annal. Waddingus tomo 3. Annal. & de Scriptoribus Ordinis Minorum. Nomenclator Cardin. Possevinus in Bibliotheca. Gaspar Jongelinus de Cardin. Ordinis Min. Marraccius in Bibliotheca, & in Purp. Mariana. Victorelius in addit. ad Ciaconium. & Alii.

ANNO 1316.

SEDENTE JOANNE XXI. DICTO XXII. PONT. MAX.

De

BERTRANDO DE PORTO
S. R. E. CARDINALE.

XXVII. BERTRANDUS de Porto (quem Scriptores Itali de Poggieto, Galli de Poyet nominant) oriundus ex Castro novo Rotherii Cartucensis Diœcesis, Joannis Pontificis ex sorore nepos, natione Gallus, vir & literis, & virtutibus rebusque præclarè gestis insignis. Is non tam sanguinis cognatione, quàm virtutis odore Joanni Pontifici commendatus, anno Domini 1316. xv. Kalendas Januarii, ab eôdem purpuram & Infulam Ostiensem obtinuit Avenione.

Cardinalis Episcopus Ostiensis creatur.

Auditâ postmodùm anno salutis 1317. à Joanne Atestinorum & Ferrariensium rebellione, Bertrandus summa cum potestate Legatus, multis stipatus equitibus Cisalpinis, in Italiam mittitur, ut pro rerum exigentiâ tumultuantes vel armis, vel censuris Ecclesiasticis ad pacem & concordiam compelleret. *Te*, inquit Pontifex in literis ad illum datis, *in iis Provinciis & partibus, de fratrum nostrorum consilio, constituimus pacis & tranquillitatis conservatorem; Te paciarium plenâ cum potestate ordinamus, ut inter quoslibet in ipsis Provinciis & partibus constitutos, (quos pacis fœdere videris reformandos) pacem & concordiam reformare & conservare procures. Et ut commissum tibi hac in parte ministerium utiliùs & commodius assequaris, tam contra pacem facere jurare, & firmare volentes, quàm eandem infringere & infirmare præsumentes; nec non & contra eos, qui in eisdem Provinciis & partibus discordias & scandala seminant, odia suscitant, fovent, ac nutriunt; contra illos quoque, qui statum pacificum earundem Provinciarum & partium, ac hujusmodi Paciarii, seu Servatoris pacis, commissum tibi officium perturbare, vel impedire præsument, pro præsumptione hujusmodi spiritualiter & temporaliter, prout facti suaserit qualitas, & expedire videris,*

Legatur in Italiam summa cum potestate ad pacem comparandam.

videris, procedendi, ac processus tuos executioni mandandi, plenam in Domino concedimus facultatem: Marchionum insuper, Comitum, aliorumq; Magnatum, Potestatum, Capitaneorum, caeterorumq; Rectorum & Consiliariorum, ac Universitatum, & singularum personarum, tam ipsarum Provinciarum & partium, quàm etiam aliunde ad id, quoties opportunum fuerit, auxilium & potentiam invocandi, & contradictores per censuras Ecclesiasticas (appellatione postposità) compescendi &c. His instructus mandatis, & auctoritate, Galliae Cisalpinae, Piceno, Romandiolae, & Bononiae annis sedecim praefuit Bertrandus Legatus, pacem Italiae, tantoperè sibi comendatam summo studio procurando. Seditione civili inter Guelphos & Ghibellinos Genuae exortâ, post multas clades Guelphi Ghibellinos ab Urbe expulerunt, & ut suum firmarent statum, se, suaque omnia, ac ipsam Urbem Joanni Pontifici, & Roberto Regi Siciliae in tutelam, decenniô valituram, tradidêre. Ghibellini extorres, Mediolanum ad Vicecomitem Maphaeum, opem & auxilia imploraturi, confugerunt. Ille nihil moratus, initis cum iis certis pactionibus insigni exercitu coacto, Genuam, nihil tale suspicantem, obsedit. Pontifex, accepto rerum nuncio, eum abarmis discedere jubens, & quae Ecclesiae dedicta erant, divexare prohibens, illum & omnes mandata facere detrectantes anathemate defigit, atroxque bellum indicit, cui prosequendo Legatum Bertrandum virum ad omnia habilem, unà cum Philippo Valesio Francorum Regis ex fratre filio praeficit. Hi conventu Italorum Principum factionis Guelphae habitô, magnoque exercitu comparato bellum Vice-comiti denunciant, in cujus exordio Philippus à Vice-comite pecuniâ corruptus, nescio quid frivoli in speciem praetexens, desertis foede Sociis in Galliam rediit. Legatus ea defectione multùm consternatus, collectô nihilominus animô tamdiu in castris perstitit, donec novus Philippo Successor à Pontifice missus, in auxilium supervenit. Is fuit Raymundus Cardonus Hispanus in re bellica Dux magni nominis. Qui junctis properè cum Legato copiis bellum, Philippi defectione interruptum, in Vice-comitem instaurat, Ghibellinos aggreditur, & profligat, Urbemque Genuam obsidione solutam, ovans cum Legato ingreditur. Inter haec extincto repentina morte Maphaeo, Galeatius & tres fratres ejus Marcus, Luchinus, & Joannes Rempublicam non absque turbis susceperunt, cujus tutelam per vices menstruo spatio inter se partiti sunt. Quia verò toties commutata rerum administratio, non omnibus aequè probabatur, in varios animi motus, & studia itum est à plebe: cum hi Galeatii, illi Marci, rursumque alii Luchini, & Joannis partes sequerentur, nullis in tot capita partitum imperium placeret. Hinc graves tota urbe tumultus excitati, qui non nisi multorum sanguine, & exitiô extincti sunt. Adeò verò tam intra, quàm extra Urbem afflictus rerum status erat, adeò miseranda subditorum in diversas partes pendentium conditio, ut nec cui tutò fidere, quemvé ex Principibus timere deberet, quisquam scire posset, neque parentes à filiorum, neque vicissim hi ab illorum injuriis securi agitarent. Ut enim quaevis factio quovis in loco armis superior erat, ita subditi eam admittere cogebantur, quorum paulò pòst alterius factionis homi-

Strenuè pro Ecclesiâ pugnat.

Philippus Valesius corruptus deficit à Legato.

Afflictus Mediolanensium status.

Pluribus simul Dominis servire grave.

hominibus pœnas daturi essent. Itinera etiam omnia rapinis & latrociniis infesta, fugam inire prohibebant. Ita miseri Mediolanenses suo periculo experiebantur, fieri non posse, ut pluribus simul Dominis, diversa volentibus, commodè serviatur.

Virgilius Landus Pontifici studet.

Ex hoc dissensionum æstu, è diverso & dubio concertantium Vicecomitum principatu enato, Virgilius Landus Placentiæ primarius civis occasionem deficiendi arripuit. Itaque pulsis Urbe Vicecomitum præsidiis, Placentiam Ecclesiæ Romanæ, & Legato Cardinali in fidem dedit, quæ Urbs tanquam arx belli deinceps in Vicecomites fuit. Dertona enim primùm, mox Alexandria, ejectis Vicecomitum studiosis, se se Legato dedentes, factâ frequenti eruptione, eorum copias ex integro profligârunt. Bononienses pariter Legati potentiam veriti, in fidem accesserunt, qui submisso etiam propter triumphali curru, procedentibus obviàm Clero, atque Episcopo, summô eum lætitiæ studiô inter festivas voces & signa exceptum in Urbem receperunt.

Legatus Bononiam recipit, & munitiorem reddit.

Bertrandus dilaudato populi studio firmandæ paci & concordiæ intentus, anno salutis 1330. Urbem mœnibus hinc inde denudatam iterum vestire, atque ad coërcendum hostium impetum Arcem ad portam Galeriæ condere, populumque suo arbitratu regere cœpit. Arnaldum Episcopum, civium vitiô creatum, ad novas molitiones pronum, parumque fidum sede removit. Mutinam Passarino Pontificis adversario, collatis prosperè signis, extorsit. Faventiam Urbem armis perterritam deditione recepit. Galeatium Mediolani Principem bello perdomitum ad Ecclesiæ obsequium revocavit. Cum Joanne Boëmiæ Rege, qui Insubriæ atque Hetruriæ dominatum affectabat, fœdus sancivit. Ex eo Ghibellinorum atque Guelphorum animi adeò sunt concitati, ut cùm anteà pertinacissimis odiis ab invicem abhorrerent, amicabili jam fœdere coëuntes, in Regem atque Legatum conjurârint. Bononiæ conjuratio in Legatum erupit, ejusque ministri, cæterique Galli ad necem postulati: Arx in qua versabatur Legatus, obsidione cingitur, ipse verò à furenti populo diu quæsitus, morti adjudicatur. Legatus ementito habitu turbas fallens, Florentinos arcanis litteris in auxilium advocat, qui etsi pontificiam potentiam concidere ex invidia audirent alacres, servandæ tamen Legato vitæ cupidi, missis è vestigio Oratoribus egêre cum Bononiensibus, ut pactâ Legati ac militum salute Arx illis dederetur: quam vixdum receptam statim solo perduelles æquârunt. Egressus itaque vigesimo octavo Martii anno 1334. Bononiâ Legatus, summo honore à Florentinis, non aliter ac summus Pontifex, exceptus est, prodeunte obviàm Clerô, ac crucem in signum amicitiæ præferente. Florentiâ deinde Avenionem se recepit, cùm ex tot bellicis in Italiâ laboribus non alios fructus, quàm insidias, ac tristia capitis pericula collegisset.

Alia Legati gesta enarrantur.

Malè à Seditiosis habetur ad necem quæritur, sed fugâ elabitur.

Galeacius adversùs Regem Boëmiæ conspirat.

Inter hæc Galeatius Mediolanensium Princeps, initâ cum Florentinis adversùs Joannem Boëmiæ Regem conspiratione, novos iterum in Italia tumultus excitat, quem absente Legato facilè oppressum iri sperabat. Joannes submissis protinùs ad Bertrandum nunciis, eundem de Pontificis consensu ad opem ferendam convocat;

cat: ille nihil cunctatus cum delectâ militum manu Regi in auxilium advolvat. Collatis itaque consiliis & armis, bellum in Galeatium instaurant. Qui semel iterumque monitus, ut tumultu & armis abstineret, cùm saniora sequi consilia recusaret, Rex cum exercitu in ipsius ditiones ingressus, agros depopulatur; cumque elicere eum ad pugnam non posset, Mediolanum, ubi tum erat, obsidet. Galeatius in angustias redactus, imparem se regiis armis agnoscens, submissis oratoribus Bertrandum, (inscio Rege) convenit, rogatque ut placatô sibi Rege, afflictis rebus paternè consulere; seque in Pontificis obedientiâ futurum recipere non gravaretur. Bertrandus animadvertens, illum nec obsidionem diutiùs; ne imminentis belli molem sustinere posse, ad Regem in castra profectus pro illo intercedit, satis magnas seditionis pœnas dedisse dicens, qui victum se fateatur; multoque laudabiliùs esse parcere illi, quàm in non repugnantem sævire. Quod verò pertinaciùs se gerere videatur, neque etiamnum veniam supplex petat, tribuendum hoc esse fortitudini, animique ejus magnitudini, veniam potiùs, quàm odium aut vindictam merenti. His Bertrandi precibus Joannes Rex Galeacio utcunque pacatus, eidem omnia bellô erepta restituit, postquàm ille dictô fidei sacramentô spopondisset, se in posterum adversus eum, & Pontificem, nisi bello lacessitus, arma non resumpturum. Exinde Bertrandus utrique conciliato prospera ad initam pacem precatus remeavit Avenionem: ubi variis Ecclesiæ curis & legationibus distentus, morti denique succubuit circa salutis annum 1346. Sepultus ibidem ad Minores, quorum, dum vixit, utiliter patrocinium gessit, jussu Joannis Pontificis. Scripsisse fertur:

Galeacius armis pressus pacem meditatur.

Eam interventu Legati impetrat.

Bertrandus moritur Avenione.

- Apologum adversùs Okamum.
- Dissertationem de factionibus Guelphorum & Ghibellinorum.
- Annotationes in Doctrinam Petri Olivi de Paupertate, aliaque nonnulla, quæ inter M. S. in variis Bibliothecis asservata, lucem publicam hactenùs non aspexerunt.

Quæ scripserit?

Sunt, qui dicunt Bertrandum hunc Cardinalem, filium nothum fuisse Joannis Pontificis, furtivô vulgaris cujusdam puellæ compressu procreatum. Sed palpabile hoc malevolorum commentum præter alios egregiè refellit Augustinus Oldoinus in vita Joannis XXI. dicti XXII. in hæc verba: *Quàm porrò injustè impudicitiæ notâ accusatus sit Joannes Pontifex, dum Bertrandum Poggietum nepotem Cardinalem, illius filium nothum ob oris similitudinem judicant, ex eô præcipuè patet, quòd nullus veterum, aut coætaneorum Scriptorum, teste Patriarchâ, hujusmodi criminis mentionem faciat: nec dubium sit, à levibus hæc susurronibus, auctore maledico Nicmo, Joanni ad invidiam conficta, & jactata fuisse. Idoneam autem defuisse suspicionis causam convincitur ex hoc, quòd Joannis infensissimus hostis, Ludovicus Bavarus in illis suis virulentis satyris, hoc unum, quod maximi momenti ad aggravandam causam fuisset, prætermiserit.* Non malè se gessit ante Pontificatum Joannes, ut liquidò constat ex ejus vita, ab Odoino descripta; neque dum Pontificatum tenuit, ut narrat Villanus, accuratus cæteroquin defectuum pontificiorum censor:

Commentum de Bertrando Cardin. refellitur.

Joannis Pontificis Fama adversus calumniatores defenditur.

nam

nam singulis noctibus, inquit ille, *ad divinas laudes celebrandas surgere è strato consuevit* : quòd utique non mollem aut effœminatum animum, sed virtuti ac pietati addictissimum, & corpus à deliciis maximè alienum ostendit. Addit idem Villanus nonnulla ejusdem Pontificis elogia : nimirùm modestum fuisse, sobrium, ac cibis communibus potiùs, quàm lautis & exquisitis uti solitum, in sumptibus item sui causâ faciendis parcum, studiis addictissimum, adeò ut noctu illorum desideriô consurgeret : doctrinâ insignem, acutum ingeniô, ac spiritus ingentes in exiguo corpore ad magna quælibet agitanda gessisse: de impactâ verò impudicitiæ nota ne verbum quidem profert, quòd utique non subticuisset, si tantâ infamiâ Joannem notatum sensisset.

Celebre Villani de eo testimonium.

Meminère ejus Panvinius de Rom. Pontif. Aubery in Vita. Contelorius in Elencho Cardinalium. Frizonius in Gall. purp. Raynaldus in Annalibus. Joannes Villanus in Hist. Bonon. Carolus Sigonius de Episc. Bononiens. Pomponius Vizanus in Histor. Bononiensi. Scipio Ammirat. in Historia Florentina: Waddingus tom. 3. Annal. Minor. Victorellus in addit. ad Ciaconium. Ughellius tom. 1. Italiæ sacra & Alii.

ANNO 1316.

SEDENTE JOANNE XXI. DICTO XXII. PONT. MAX.

De

PETRO DE ARREBLAIO
S.R.E. CARDINALE.

XXVIII. PETRUS de Arreblaio, seu (ex Panvinio) de Aceblaio, natione Gallus, virtum vitæ probitate, tum literarum cognitione maximè conspicuus, ex Cancellario Regni Franciæ, atque ex Archidiacono Borbonensi à Joanne XXII. Presbyter Cardinalis S. Susannæ ad duas domos renunciatus est circà Christi annum 1316. Extant ad eum Joannis literæ, quibus virtutes, quæ in Cardinalibus desiderantur, describit : illas huic loco inserere, opportunum duxi, sunt autem tales.

Ex Cancellario Galliæ Cardinalis efficitur.

JOANNES EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI.

Dilecto filio Petro S. R. E. Cardinali, Archidiacono Borbonensi in Ecclesiâ Bituricensi salutem.

Præclara Joannis Pontificis ad Eum literæ.

Pensantes Nobis immensum onus spiritualis regiminis totius Orbis Christiani incumbere ; ac suprà vires imminere negotium attendentes, ut Nobis oneris partito sit leviùs, de diversis mundi nationibus viros cooperatores Nobis in ejusdem executione regiminis deliberavimus providendos : viros virtutum pollentes viribus, non effœminationis infamiâ denigratos, sed doctrinâ, consilio, prudentiâ, gravitate, morumq; integritate conspicuos, & tam opere quàm sermone potentes, ut plebem sibi commissam bonorum operum exemplis instruant, & doctrinâ sermonis informent : viros qui sic Deum timeant, ut nequaquàm hominis faciem formident; sic avaritiam odiant, ut post aurum non abeant, & in pecuniarum multiplicatione non sperent, sed veritatem, imò Christum, qui est

Cardinales quales esse opporteat?

est via, veritas, & vita, purè, nec ad dextram, nec sinistram declinando, sequantur. Inter quos ad personam tuam, quam virtutum Dominus multis virtutibus insignivit, considerationis nostra convertentes intuitum, deliberatione cum fratribus nostris prahabitâ, de ipsorum consilio, te ad ministerium hujusmodi cooperationis duximus eligendum &c. Data Avenione XV. *Kal. Januarii, anno Pontificatûs nostri I. Christi verò 1316.*

Petrus itaque Joannis beneficio ad purpuram evectus, cùm altissimi vir ingenii, ac reconditæ scientiæ esset, mox ab eodem Pontifice in Gallias legatus est ad pacem inter Philippum Francorum, & Odoardum Angliæ Reges procurandam. Extant in pontificiis Registris Joannis Papæ literæ ad Petrum Legatum datæ, quibus eidem mandat, ut Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, Reges & Principes, nullo dignitatis habito discrimine, censuris percelleret, si pacis consilia disturbarent: tum ut Regibus, si concordiam respuerent, arma moventibus, imperaret inducias, quas si infringere attentarent, eosdem anathemate, eorumque ditiones interdicto subjiceret. At si posteà apostolicis parerent mandatis, irrogatis pœnis exsolveret. Isdem literis moniti sunt Præsules ac Principes Galli, ut suam Legato opem ac operam ad redintegrandam concordiam commodarent. Data eidem imperia, ut Ecclesiasticos proceres Gallos & Anglos ab inferendis mutuis injuriis, agendisve incursionibus abduceret: cogeret in utroque Regno Præsulum cœtus, in quibus utilia statuta ad firmandam concordiam decernere; atque etiam nonnullorum Religiosorum temeritatem, qui è sacro suggestu faces accendendo bello subjicerent, coërcere satageret. Jussus est etiam dare operam apud Odoardum Angliæ Regem, ut Ministrorum licentia in Ecclesiasticos plùs æquo desæviens comprimatur.

Legatur in Gallias ad pacificandos Franciæ & Angliæ Reges, aliaq; pacificum Ecclesiæ statum concernentia præstanda.

Petrus injuncto sibi officio satisfacturus, totam perlustravit Galliam, ubi coactis hinc inde Præsulum ac Ecclesiasticorum cœtibus, adnitente maximè Rege, sopitis litibus, bellique æstu, pacem diu desideratam haud dubiè toti Regno invexisset, nisi Odoardus Angliæ Rex à Rege Philippo lacessitus, ministrorum impulsu, optimis Petri consiliis obstitisset. Siquidem eo ipso tempore Angli ad quadraginta hominum millia, post evastatos conterminos Galliæ agros, rapidi torrentis instar, in ipsam Galliam irrumpentes, magnas ex locis non munitis prædas egerunt, omniaque depopulati sunt. A quorum impetu, nemo qui non in munitiora se loca recepisset, tutus erat, quòd expugnandorum oppidorum instrumentis carerent: Rustici verò, qui à prudentioribus admoniti, se suasque res in oppida transferre neglexerant, & ipsi in extremum vitæ discrimen adducti sunt, suaque omnia, quæ agi aut ferri poterant, amisêre. Impii enim milites, prædæ & rapinis assueti, non rebus tantùm, sed personis quoque, immanem vim inferebant. Qui in eorum manus inciderant, nisi paratô ære vitam redimerent, trucidabantur; matronæ, puellæ, decennes etiam, & Virgines sacræ, nullo facto discrimine, nefandæ illorum libidini, obsequi cogebantur. In hoc tristi rerum statu Galliæ civitates, Rex, & Legatus Pontificius Cæsaris auxilium implorabant, qui etsi proprio bello implicitus erat,

Anglorum in Galliam excursio immanis.

Anglorum in Gallos crudelitas.

Qq nec

Cæsar in auxilium vocatus, Galliam ab Anglis liberat.

nec facilè in Galliam è Germania transitum facere posset, spopondit nihilominùs implorantibus opem. Cùm verò tardiùs atq; res exigeret, se moveret, ac Principum quorundam copias exspectandas esse diceret, tandem crebris omnium interpellationibus excitus, cum Joanne Liechtenstainiô Argentoratensi Præsule in hostem egressus est. Angli Cæsarem cum copiis (quas rumor in majùs auxerat) adventare intelligentes, eô non exspectatô, retrò unde venerant, prædis onusti abiêre. Sicque Cæsar, solâ sui nominis famâ, & hostes abegit, & Galliam multiplici calamitatum genere deformatam in libertatem vindicavit.

Legatus ex Anglia redux periculosum Michaëlis Cesenatis Minoritæ dogma Scripto damnat.

Petrus Legatus liberatâ ab Anglis Galliâ Avenionem ad Pontificem rediit, ubi tum in Curia Michaëlis Cesenatis Minoritæ periculosum de paupertate dogma à Doctoribus discutiebatur. Petrus in eorum consessum admissus, interque varias Theologorum sententias & suam depromere à Pontifice jussus, petitô ad deliberandum spatiô, scriptis illam protulit, Michaëlem malè de Christi & Apostolorum paupertate sentientem imperterritè damnando. Hanc Petri sententiam ex Vaticana Bibliotheca rescripsit in suis Annalibus Odericus Raynaldus ad annum 1322. cum hoc titulo: *Dicta Petri de Arreblaio tituli S. Susannæ Presbyteri Cardinalis adversùs Michaelem de Cesena.*

Horrenda fames & pestis Brabantiam, Angliam & Germaniam affligit.

Cùm verò circa ea tempora, dirum horrendumque Cometam, qui anno superiore præfulserat, fames & pestis horribilis in Germania, Brabantia, & Anglia subsecuta esset, Petrus ad indicendas Orbi Christiano universales preces, ad placandum divinum Numen, author fuisse Pontifici scribitur. Placet calamitatem eam ex Scriptore Annalium Flandrorum Barlando paucis referre. Anno salutis 1317. post Calendas Majas exorta pluvia duravit menses plùs minùs decem in Brabantia, & reliqua Germania, ex qua intemperie, quum in agris neque frumentum, neque alia homini & pecudibus necessaria, maturescere possent, incredibili rerum omnium inopiâ cœptum est laborari. Mendici in viis, & in portis pro templorum foribus inediâ confecti animam efflabant. Hanc annonæ caritatem secuta est tanta pestilentiæ vastitas, ut è singulis propè oppidis centeni, eoque ampliùs quot diebus efferrentur: quorum alii sextâ, alii tertiâ, multi secundâ die, quamplurimi verò in ipso statim morbi principio extinguebantur. Multitudo omnis tetrâ lue perterrita, in montes, sylvas, & loca devia diffugiens, vacuis errabat in agris. Alii in Templis, Divorum aris affixi, divinam implorabant opem. Hic filios, ille patrem lugebat ademptum; alius fratrem, sororem alius desiderabat. Nemo expers communis mali repertus ast. Explicari oratione non potest, inquit prælibatus Author, quanta fuerit ejus temporis calamitas, qui gemitus, quæ lamentationes nocturnæ, diurnæque.

Horum causa cædes Archiepiscopi Magdeburgensis, & Hæreticorũ impunitas creditur.

Eam calamitatem Germaniæ accidisse existimat Bzovius in Annalibus, in ultionem cùm primis cædis injustissimæ atque crudelissimæ Burchardi Archiepiscopi Magdeburgensis, viri undequaque laudatissimi: deinde in pœnam hæreticorum, oscitantiâ Principum, ubique impunè grassantium. Per id enim temporis Magdeburgen-

burgenses, in Burchardo ex comitibus de Schrapelon Archiepiscopo atrocissimam immanitatem excruerant, testimonium habentes sempiternum belluinæ feritatis suæ. Annis minimùm novem & decem præfuerat Ecclesiæ, solicitè providens, ne qua res Ecclesiastica quicquam detrimenti acciperet, néve gravi eo tempore necessaria ei deficerent. Adversarios propterea habuit Magdeburgenses, nescio quid juris, immunitatis aut libertatis prætendentes. Accusabant præterea, quasi Archiepiscopus novis censibus, tributis & oneribus impositis civitatem prægravasset: armis etiam Misnensium fretus, non pedum pastorale, sed gladium militarem in eos strinxisset. Itaque vim vi repellentes, Archiepiscopum pro juribus Ecclesiasticis acerrimè decretantem comprehenderant, neque priùs é custodia liberum abire voluerant, quam is venerabili adhibito Sacramento polliceretur, se omnia antiquaturum, quæ civium animos offenderant. Ille per metum extortam sponsionem, ut erat, nullam obligationem inducere censens, acta priora rescidit. Quamobrem juris Ecclesiastici tenax, non tantùm anathematis vinculo eos astrinxit, sed & exercitum in violatores, refractariosque duxit. Præliatum aliquoties, nunc hac, nunc illac victoriâ inclinante. Interim civium aliqui, ut inter Archiepiscopum & concives controversias ex æquo & bono dirimerent, illum ut arma deponeret, & in urbem concederet invitârunt: futurum sperantes, ut cùm in conspectum venirent, facilè odiis & simultatibus depositis, concordibus animis in gratiam redirent. Venit Archiepiscopus Magdeburgum: cumque civibus abrogationem edictorum nimis importunè poscentibus, non tam demissè, uti optabant, respondisset, adeò graviter illos offendit, ut præter fidem publicam, illum in Archiepiscopio primùm obsederint, deinde in ergastulum teterrimum conjecerint, ac paulò pòst vinctum, vel forte quæsiti, vel temeritate præcipui coronâ cinxerint, & circumcursantes clavis præacutis, quos singuli attulerant, larvati confixerint. Toto integro anno jacuit mactatum cadaver in carcere dirissimo, donec sive metu alicujus atrocissimæ vindictæ, sive odio viri Sancti, sparsissent illum emortuum esse. Admissi in carcerem canonici, nulla Archiepiscopi vestigia, præter capitis rasuram, quæ Pontificem monstrabat, offenderunt. Funere ossibus exesis adhibito, sceleris Authores successor Archiepiscopus in consortio Petri Cardinalis Legati diris omnibus devovit, Principes verò omnes circumvicini arma in paricidas verterunt: Deus autem sæviorem famis & pestilentiæ vindictam etiam in insontes propter detestationem execrandi facinoris explicuit.

Magdeburgenses Archiepiscopum suum immaniter occidunt.

Cùm autem ea fames multa millia hominum confecisset, multò tamen plures interierunt nefandâ illâ hæresi, quam quidam profligatæ vitæ viri eo ipso tempore sparserunt in Austria, Boëmia, circumvicinisque regionibus. Horum Antesignani censebantur inter alios Bartholomæus Faustus, Jacobus Justus, Bononatus, Guilelmus & Gilbertus, ex quibus posteà factâ inquisitione Jacobus Justus septis murorum inclusus, miseram vitam finivit impœnitens. Reliqui tormentis examinati, impiissimorumq; dogmatum rei inventi, lento igne exusti sunt vivi. Domus in qua prophani con-

Plurimi hoc tempore haeretici in Germania emergunt.

congregabantur, solo adæquata, conventusque anathemate percussus interiit. Quæ verò horum nebulonum dogmata fuerint, narrat articulatim Bzovius ad annum Christi 1315. num. 10. Quorum hæc summa erat.

Execranda eorum dogmata recensentur.

I. *Missas esse meram vanitatem, nullâ ut reverentiâ dignas, sic nullius utilitatis.*

II. *Luciferum cum dæmonibus suis cælo injustè fuisse pulsum, tandemq; beatitudini cum omnibus restituendum.*

III. *Michaëlem & Angelos omnes, æternis cruciatibus deputandos.*

IV. *Homines ab eorum Sectâ alienos, similiter esse damnandos. Unde cùm se mutuò salutarent, inquiebant:* salutat te injuriam passus, *id est,* Lucifer,

V. *Dicebant, Si Maria post partum virgo permansit, tunc non hominem, sed Angelum peperit: si verò hominem, tunc virgo post partum non fuit.*

VI. *Dicebant, se habere* XII. *Apostolos, qui quolibet anno totum Imperium perlustrarent; & duo ex eis ordine & professione seniores, singulis annis paradysum intrarent, ac potestatem ab Helia & Enoch ligandi & solvendi, quam aliis in eâdem sectâ constitutis communicarent, acciperent.*

VII. *Sacramentum Baptismi irridebant, dicentes, si Baptismus est Sacramentum, ergo quodlibet balneum est Sacramentum, & per consequens quilibet balneator est Deus.*

VIII. *Sacramentum Pænitentiæ turpiter vitiabant, non sacerdotibus sed laicis, nec in specie, sed in genere peccata exprimentes, sperantesq; se ex hac confessione omnium peccatorum à pœna & à culpa, plenariam remissionem posse percipere.*

IX. *Sacramentum Dominici Corporis non credebant: Hostiamq; consecratam Deum fictitium, utpote ore hominum enatum, appellabant.*

X. *Sacramentum Matrimonii juratum meretricium in vulgari nuncupabant.*

XI. *Sacramentum extremæ unctionis irridebant, & interrogati quid de eo sentirent, per ludibrium respondebant, olera quantò fuerint oleo plùs condita, tanto esse meliora.*

XII. *Ecclesiarum & Cœmiteriorum consecrationes; palmarum, salis, aquæ, cæterarumq; rerum benedictiones ab Ecclesiâ factas, meras esse nugas & superstitiones.*

XIII. *Dicebant, Deum nec scire, nec punire mala, quæ fierent sub terra: unde in speluncis & cavernis subterraneis convenientes, pater cum filia, frater cum sorore, ac filius cum matre, indifferenter turpitudinem carnis exercebant.*

XIV. *Romanam Ecclesiam non Christi, sed gentium infidelium esse dicebant, omniaq; statuta Ecclesiæ, ac Prælatos, ministrosq; illius contemnebant.*

XV. *Jejunium irridebant, carnibus omni tempore, etiam in sexta feria Parasceves vescebantur.*

XVI. *Dies festos non servabant, sed in die Pascha laborant.*

XVII. *Pejurium non esse peccatum affirmabant.*

XVIII. *Merita & intercessiones quorumlibet Sanctorum negabant posse apud Deum hominibus suffragia præstare. Aliosq; id genus complures articulos errorum profitebantur.*

Magnus

Magnus horum perditiſſimorum hominum fuit numerus. Ad octoginta millia eorum apud Boëmos, Auſtriacos, & circumvicinas regiones, adſcriptos numerabat quidam ex eis Viennæ exuſtus, nomine novus Magiſter. Multi ex eis in Auſtria diverſis in locis fuerunt combuſti, qui omnes unanimiter in ſuis erroribus pertinaciſſimè uſque ad mortem magnâ cum hilaritate perſeverarunt. Inter hos puella quædam ſpecioſiſſima annorum octodecim, nomine Gisla, cùm jam eſſet flammis tradenda, ab Judice, *ſi virgo eſſet?* interrogata, coràm omnibus reſpondit: *ſuper terram ſe adhuc virginem, ſubtus verò terram minimè eſſe.* Credebant enim fatui, virgines ſub terra non poſſe deflorari, etiamſi à mille viris cognoſcerentur: neque tale ſtuprum eſſe peccatum, ut refert Trithemius in Chronico Hirſaugienſi. *Immenſus eorumnumerus quorum plurimi igni exuſti ſunt.*

Eorum hæreſes, cùm ubique ferè graſſarentur, neque ſolam Germaniam infeciſſent, acri peſtilentia & fame Deus omnes propè Aquilonares provincias caſtigavit. Nam & Poloniam duobus annis fames tam acerbè afflixit, ut nullo quantumvis fœdo edulii genere, ac ne cadaveribus quidem humanis vulgò abſtineretur; ac ſi Dlugoſſo credendum eſt, parentes in libros, & hi viciſſim in illos fame compulſi deſævirent. Quam famem dira peſtis, ut fieri amat, conſecuta eſt, quæ Angliam quoque, Scotiam, & Hyberniam, magno mortalium numero imminuto, pervaſit. Atque hæc in hunc locum retuliſſe ſuffecerit. Nos ad Petrum Cardinalem revertamur. *Ingens fames & peſtis.*

Is poſt graviora ſenectutis incommoda, vi morbi oppreſſus, humanæ lucis uſuram amiſit in urbe Avenionenſi anno reparatæ ſalutis 1329. ſepultus ibidem cum nobili memoria in Eccleſia majori ad gradus aræ maximæ. Hunc eundem cum Petro de Capella Presbytero Cardinale S. Vitalis autumat in ſua Gallia Chriſtiana Claudius Robertus de Archiepiſcopis Toloſanis agens, diverſos tamen fuiſſe liquidò conſtabit, ſi inſignia, tituli, cognominia, tempora, & obitus utriusque perpendantur. Scripſiſſe dicitur: *Petri Cardinalis obitus.*

Ejus Scripta.

Encomia ſacrarum ſcientiarum.
De libero hominis arbitrio.
Scita Theologica.
De Vitiis & Virtutibus animæ.

Ejus mentionem faciunt Petrus Frizonius in Gall. Purp. Aubery in Vita. Claudius Robertus in Gallia Chriſtiana. Raynaldus in Annal. Joſeph Maria Suareſius in Praneſt. Antiq. Ughellus in additionib. ad Ciaconium. & Alii.

ANNO 1316.

SEDENTE JOANNE XXI. DICTO XXII. PONT. MAX.

De

JOANNE CAJETANO URSINO S.R.E. CARDINALE.

XXIX. JOANNES Cajetanus Urſinus, generis nobilitate, belli gloriâ, & doctrinæ famâ illuſtris, patriâ Romanus, Majorum ſuorum facinora æmulatus, nihil non egregium in vitâ geſſit. Is à Joanne Pontifice Romano in prima Cardinalium creatione ex Protonotario Apoſtolico Diaconus Cardinalis S. Theodori renunciatus, mox obeundæ legationi Italicæ eo fine admotus eſt, ut præeſſet Romandiolæ, Piceno, Hetruriæ, Umbriæ, & Inſulæ Sardiniæ; easque provincias inteſtinis bellis divexatas, ſuffocatis quoquo modo odiis, ac diſſenſionibus, pace & concordiâ conjungeret.

Renunciatur Cardinalis, & ad pacificandam Italiam Legatus mittitur.

Legatus Paciarii, ut vocant, munere aſſumpto, Piſas nono Kalend. Julii anni 1317. navigiô delatus, magnoque ibidem honore ſuſceptus, compoſitis rebus, Florentiam ad finem menſis ejusdem conceſſit: ubi factô apud Minores S. Crucis diverſoriô, in publicum ſequenti die procedens, legationis ſuæ literas & facultates aperuit. Octavo verò Kalend. Auguſti ejuſdem anni Carolus Dux Calabriæ, Roberti Regis Siciliæ filius, magnâ Principum, nobiliumque coronâ ſtipatus, ac numeroſiſſimo milite inſtructus pari de causâ Florentiam ſe contulit, ejusque urbis ac univerſæ Hetruriæ, ex nomine Pontificis, tutelam ſuſcepit. Tum collatis invicem conſiliis, curârunt ambo, ſi quo modo Caſtrucium Lucenſium Tyrannum, & Guidonem Tarlatum Aretinum Epiſcopum, infenſiſſimos Apoſtolicæ Sedis hoſtes, poſſent ad mentem revocare, atque à partibus & patrocinio Vicecomitum Mediolanenſium abſtrahere. At nihil, ne pactis quidem favorabilibus oblatis, contrà animi obſtinatos profecerunt: quin potiùs eas (negato omni debito obſequio) ad arma concitatos, multa in Pontificem, eique ſubditas Civitates moliri aſpexerunt. Quare ad illos comprimendos Legatus tertio Kal. Septembris concione ante S. Crucis Baſilicam convocatâ, in ampliſſimo foro, præſente Carolo Duce & univerſâ populi multitudine, Caſtrucium veluti Hæreticorum & Schiſmaticorum fautorem, Eccleſiæ Catholicæ hoſtem, multorum criminum, ac inprimis contumaciæ & cædium reum, anathemate damnavit; dignitatibus omnibus, poſt bona publicata, exuit; & poteſtatem in res, & perſonam ipſius, cuicunque pro lubitu fecit: ſimili ſententiâ involvit omnes, qui ei conſilium, favorem, vel auxilium impendiſſent, aut porrò impenſuri eſſent. Pari cenſurâ percuſſit Epiſcopum Aretinum, quòd is Tiphernô, Eccleſiæ Urbe, vi occupatô, Laterinum, Sabinumque ſolô æquâſſet; Aretii Principatum dolô captum invaſiſſet; & Ghibellinorum Dux factus, Florentinos, Senenſes, & Civitates ditionis Eccleſiaſticæ, adversùs Pontificem provocâſſet ad arma. Ambos deinde, bellô decretô, perſequendos cenſuit, cujus cura & expeditio Carolo Calabriæ Duci, Principi Eccleſiæ addictiſſimo, commiſſa. Qui collecto juſto exercitu Caſtrucium perſecutus, cùm is Germanorum auxilia implorâſſet, Ludovico Bavaro, deſignato per corruptum ſuffragium Imperatori, in Italiam movendi occaſionem attulit: qui ſuſceptâ Mediolani (uti mos eſt) ferreâ coronâ, citatis equis Romam versùs iter arripuit. Ejus adventu Populus Romanus ad res novas moliendas excitatus, Neapoleone

Piſis & Florentia cum honore ſuſcipitur.

Caſtrucium Tyrannum, & Epiſcopum Aretinum fruſtra ad frugem reducere conatur.

Utrumque anathemate percutit.

Caſtrucius Bavari auxilium implorat.

leone Ursino, & Stephano Columna Cardinalibus, (qui tum Urbem, Ecclesiæ nomine, regebant) pulsis, factionis imperialis Ducem Sciarram Columnam, & quinquaginta duos Plebis Tribunos creavit.

Joannes Cajetanus Ursinus Legatus, ubi minis, precibus, ac benignis pollicitationibus à Romanis impetrare non posset, ut in obsequio Ecclesiæ permanerent, Urbe interdicto suppositâ, omnibusque Religiosis eâ exire jussis, in Hetruriam abiit: ubi aliquamdiu hærens, processus, anathemata, & censuras, in Bavarum à Pontifice Avenione jam ictas, publicavit; ac collecto milite cum Joanne Principe Roberti Regis germano fratre ad Urbem venit, castraque juxta arcem S. Angeli locavit: sed erumpentibus in consortio Germanorum Romanis, dum nimio pugnandi ardore, absque ordine in hostem ipse provolaret; manusque confereret, amissis plurimis, in fugam conjectus Hetruriam repetiit. *Legatus Bavarum excommunicat.* *Legatus infeliciter pugnans in fugam conjicitur.*

Fugato Legati Exercitu, susceptôque à Romanis fidei Sacramentô, Bavarus fastu tumens, in Vaticanum processit, ubi convocatis ordinibus, iisque præsentibus, Imperiali diademate in Basilica Divi Petri, à laicis Civibus Romanis (exemplo hactenùs inusitato) à Sciarrâ scilicet Columna, Ursо Ursino, & Petro Martinengo coronari se fecit. Peracta coronatione Joannem legitimum Pontificem, sacrilego ausu, Pontificatu privavit, surrogato in ejus locum Petro Raynaluaio, gente Aprutino, Minorita, schismatico & apostata, qui assumpto Nicolai V. nomine, annis circiter tribus, solium iniquitatis tenens, maximis scandalis, dissentionibus, præliis, cædibus, rapinis occasionem præbuit. De quo infrà n. 30. fusiùs. His ita constitutis, Bavarus quasi de triumphato Joanne glorians, relictâ Româ in Hetruriam, mox in Galliam Cisalpinam, demùm in Germaniam, (ubi plurimùm cùm æmulo negotii habebat) regressus est. *Bavarus Roca à Romanis Civibus coronatur.* *Joannem Pontificem pontificatu privat Antipapam surrogat.*

Elongatô Bavarô Legatus Joannes Cajetanus Ursinus cum copiis regis Roberti & Ecclesiæ, Urbem ingressus, cunctis Bavari actis rescissis & abrogatis, Urbem seniora secutam interdicto solvit; & Ramanos, ejurato Pseudopontifice Nicolao, in verba Joannis legitimi Pontificis jurare fecit. Senatores, Ecclesiæ nomine, renunciavit Bertoldum Ursinum sui fratris filium, & Stephanum Colunam, impigros viros. Auctores rebellionis, Bavari asseclas, & Nicolai Antipapæ collusores, partim Urbe expulit, partim in furcam egit, partim mulctâ pecuniariâ punivit. Eorum privilegia per manus lictoris publico igni commisit, & cuncta eorum acta antiquavit. *Elongato Bavaro Legatus Urbem recipit, & in ordinem redigit.*

Dum hæc Romæ in Italia aguntur contra Ludovici Bavari asseclas, Joanni Pontifici rebelles: tumultuatum pariter est in Germania adversus insolentissimos ejusdem Bavari Præfectos, tristem ac maximam inter Helveticos tyrannidem exercentes, quibus (factâ sensim, auctore quodam Wilhelmo Tellio Uranio, nonnullorum insignium virorum conspiratione) debellatis ejectisque, Helvetici fœderis & libertatis firmissima jacta sunt fundamenta, in hæc usque tempora durantia. Rem ex Annalibus Helvetiorum libro 4. c. 53. haustam, præeunte Bzovio, in gratiam lectoris (quia jucunda & memo- *Helvetii hoc ipso tempora à Bavaro deficiunt.*

Hujus defectionis origo & causa enarratur.

memorabilis est) ab origine pandam. Per id tempus, inquit laudatus Auctor, mirum in modum Deus ultus est tyrannum quendam inter Helvetios omnia pro lubitu miscentem. Is erat Geslerus nomine (Jacobus Hoffmannus Historiographus Basileensis in suo Lexico magno habet *Grislerus*) Ludovici Bavari in Suitia & Urania Præfectus, vir, si malè acta spectentur, nullo non vitio infamis. Nutantibus in fide subditis explorare hic volebat, qui sibi morigeri, quivé contrarii essent. Itaque pileum experiendæ rei causâ publico in foro Altorffii baculo impositum, eo honore, cultu, atque observantia coli præcepit, quo ipse, si præsens esset, ex auctoritate coleretur. Huic loco custodes etiam armatos adhibuit, qui prætereuntes ac mandatum negligentes observarent, seduloque ad se, qui statuti transgressores essent, deferrent. Willhelmus Tellius vir prudens ac magnaminus id indignè ferens, prætereundo sæpiùs, vile illud signum de industria neglexit, aliisque ne venerarentur hortator fuit. Ejus rei à custodibus admonitus & tanquam latæ legis prævaricator delatus, liberrimè respondit: *Se quidem Præfectum summa semper veneratione excepisse & coluisse; idq; facturum se porrò esse: verum iniquum quorsùs, & à ratione alienum sibi videri, ut homo, creatura nobilis, ad imaginem Dei factus despicabile adeò signum, abjectum scilicet pileum, tanta veneratione, (quanta nonnisi superis & superioribus deberetur) prosequeretur. id certè nunquam se, etsi tormentis cogeretur, commissurum.* Hoc ubi Geslerus crudelis Præfectus à delatoribus intellexisset, irâ excæstuans è vestigio Willhelmum vinculis constringi, atque ad se perduci jussit, sperans se ex ejus indicio quorundam conjurationem percepturum. Verùm cùm is negaret se ejus rei socios habere, alio modo ejus animum tentare constituit. Convocatis nempe omnibus ejus liberis, quæsivit subdolè quem eorum maximè diligeret? puerum ingenuum ac elegantis formæ cùm indicâsset, eum protinùs ad palum alligari & pomum capiti ejus imponi, tum Willhelmo centum & viginti passus retrocedere, & pomum illud emissâ ab arcu sagittâ decutere jussit: spondens, se si illud telo configeret, mitiùs cum eo acturum; si inerraret, extremo illum supplicio affecturum. Willhelmus rei atrocitate commotus primum se excusare, tum demum, cum apud surdum nullus excusationi locus esset, aliam pœnam in genua provolutus exorare cœpit. Sed nihil proficientibus votis, arcu & sagittis allatis, cum filium ut firmiter staret consolatus esset, divinamque opem pro sua ac ejus salute implorasset, magnâ omnium admiratione pomum dexterrimè tetigit, atque capite filii telô summovit. Dum autem se se huic collimationi accommodaret, alteram sagittam à tergo juxta cervicem thoraci indiderat: causam à Præfecto sciscitatus, *se id promore sagittariorum fecisse*, respondit, *qui inter sagittandum duo semper tela parata habent, ut uno fracto, aut læso, altero uterentur.* Spoddebat libertatem Willhelmo Præfectus, si porrò veritatem fateretur. Is autem ingenuè dixit, si fortè filium per errorem sagittando interfecisset, tum se alterâ ipsum præfectum immania hæc imperantem petiturum fuisse. Ab ea confessione Præfectus, ira percitus, se quidem ei vitam pollicitum, verumtamen perpetuo ipsum carcere puniturum reposuit. Itáque catenis vinctum subitò navi

Willhelmus Tellius & ejus facta.

Jubetur pomum è filii capite telo decutere.

Obsequitur tyranno, eique liberè respondet.

navi inferri jussit, ut secundùm lacum Lucernam versùs descendens, eum in munitiorem custodiam deportaret. Cùm autem navigarent, Dei providentiâ factum, ut exortis subitò contrariis nubibus & ventis maxima tempestas oriretur, procellæque in altum surgentes, acriterque navim quaquaversùm pulsantes præsentissimum Præfecto cum sociis naufragium minitarentur. Admonitus à satellitibus ille, ut Willhelmum vinculis exsolutum ad remos applicaret, quòd vir fortis nauticæque artis peritissimus esset, qui vel solus navim regere, & ad portum perquam facilè deducere posset: exsolutum mox vinculis, remis applicuit: atque is revinctus navim suæ jam fidei commissam, quò voluit, maxima dexteritate deduxit. Cùm verò non procul à littore scopulum quendam futuræ suæ libertati non importunum novisset, illò navigium appulit, & arrepto arcu protinùs in saxum insiliit, alteroque pede navim, ne applicaret, fortissimè in altum repulit. Ad hunc modum Præfecti manibus elapsus, per devia errando, vindictam de tyranno sumere decrevit. Namque is in lacum repulsus inclamaverat, se id scelus graviter puniturum, atque Willhelmum cum universâ ejus familiâ funditùs extirpaturum. Itaque Willhelmus cùm sese ad ripam nando contulisset, Præfecti iter sedulò observavit. Cùm is etiam littus attigisset, atque per viam cavam profundamque Uraniam versùs equitâsset, Willhelmus intento arcu prætereuntem sagittâ circa præcordia adeò dexterè transfixit, ut is equo delapsus statim infelicem animam efflaverit. Uraniam posteà adveniens, cùm multas nobilium & popularium querelas contra tyrannum extinctum audivisset, fœdere sibi omnes, vim Bavari metuentes, adstrinxit; ingentiaque facinora pro patriæ libertate portentavit. Plura hujus argumenti qui volet, adeat Glareanum *in Descript. Helvetiæ.* Joannem Barzæum *de Heroib. Helvetiis.* Morerium item & Hoffmannum *in suis Dictionariis Histor.* Nos ad institutum revertamur.

Vinculis constringitur & Lucernam versùs navi devehitur.

Obortâ tempestate remis admovetur.

Astu navim egreditur & liberatur.

Tyrannum sagittâ transverberat.

Joannes Cajetanus Ursinus modo supradicto compositis in urbe Roma utcunque rebus, Avenionem rediens interfuit comitiis sacris, in quibus, vitâ functo Joanne Pontifice, ad apicem summi Sacerdotii evectus est Benedictus XI. dictus XII. sub cujus regimine è vita migravit Avenione die 6. Julii anno reparatæ salutis 1339. sepultus ibidem apud Minores. Dicitur scripsisse.

Jo. Cajetani Card. obitus.

Librum de Schismate, &

Poëma de bello à se gesto.

Ejus Scripta.

Fama est utrumque hoc opus M. S. asservari in Bibliotheca Tolosana. Fuisse certè virum literis egregiè tinctum asseverant idonei Auctores.

Ejus mentionem faciunt Panvinius de Roman. Pontif. Guido in Chronico M. S. Jo. Villanus in hist. Florent. Bzovius in Annal. Franciscus Sansovinus de Famil. Ursina. Contelorius in Elencho Cardin. Aubery in Vita. & Alii.

ANNO 1316.

SEDENTE JOANNE XXI. DICTO XXII. PONT. MAX.

De

BERTRANDO DE TURRE
S.R.E. CARDINALE.

XXX. BERTRANDUS de Turre, natione Gallus, è Cambolico Carducensis Diœcesis oriundus, Ordinis Minorum alumnus, ob spectatam vitæ rationem & egregiam literarum cognitionem ex Ministro Provinciæ Aquitaniæ anno salutis 1319. ad Archiepiscopatum Salernitanum; mox ad purpuram & Episcopatum Tusculanum, auctore Joanne Romano Pontifice, evectus est.

Ex Ministro Ord. Minorum Cardinalis renunciatur.

Ante purpuram variis legationibus perfungitur.

Hic antequàm sacro Cardinalium cœtui adscriberetur, plures in Italia legationes pro Sedis Apostolicæ commodo & Reipublicæ Christianæ bono obivit. Joannes enim, ut Italiæ malis, undique ob bella cùm domestica, tum extera ingruentibus mederetur, Bertrandum Guidonem Ordinis Prædicatorum, & Bertrandum de Turre Minoritam, viros strenuos & eloquentes, eo fine in Italiam Nuncios direxit, ut gliscentia inter Principes & Dynastas dissidia componerent, discordesque eorum animos, quacunque demùm arte pacificarent. Eapropter tantâ eos auctoritate instruxit, ut cum singulis & omnibus tractatus quosque & fœdera pacis inire possent.

Deplorandus Italiæ Status

Laniabatur ea tempestate civilibus bellis tota Insubria. Pisani ob ejectos Ghibellinos imminentis belli timore angebantur. Genuenses intestinis discordiis, ob novas molitiones, æstuantes, Rempublicam in maximum discrimen adduxerant. Ghibellini Insubres arctâ Cremonam obsidione premebant. Veronenses à Patavinis lacessiti, correptis armis in eos consurrexerant. Inter Robertum Siciliæ Regem ex una parte; & Amadeum Sabaudiæ Principem, Manfredum Salutiarum Marchionem, & Matthæum Vice-comitem Mediolanensem ex altera, dissensionum ignis bellum internecinum percipebat.

Legatus, Joannis ad pacê studium mul tis argumentis probat.

Ad hos igitur conciliandos, eorumque motus comprimendos, ac pacem procurandam missi ex Ecclesiæ nomine laudati duo Bertrandi, nihil (quòd quidem ad concordiam stabiliendam facere videbatur) intentatum reliquerunt. Quòd ut faciliùs assequerentur, præprimis Joannis Pontificis Maximi studium, amorem, paternamque in re Christiana adjuvanda sollicitudinem suavissimis verbis, è Prophetarum oraculis petitis, explicuerunt: deinde longiùs progressi, Principibus Italiæ Romano Imperio obnoxiis, ingentia mala, quæ ex ejusmodi discordiis emergerent; animarumque discrimina, quæ in caducis opibus per fas & nefas comparandis subirent, ob oculos posuerunt: obtestantes eos per sacra omnia, ne communem omnium tranquillitatem privatis studiis postponere, néve ad tam salutaria Pontificis monita obsurdescere pergerent. Verùm

Verùm nihil apud obstinatos animos ferinis odiis imbutos præter inducias, in exiguum tempus valituras, impetrare potuerunt. Hinc cruenta illa bella, acerbæ cædes, rapinæ & incendia, totam pœnè Italiam inundantia & deformantia, enata: quorum prolixiùs hic meminisse non attinet.

Legatus in cassùm laborat.

Subiit etiam provinciam Bertrandus hic noster, ejusdem Pontificis jussu, reducendi ad Ovile aberrantes Galliæ Narbonensis Minoritas, qui arctioris vitæ specie domesticam disciplinam pertæsi, relictis cœnobiorum suorum septis, denegatâque superioribus legitimis obedientiâ, Narbonam ac Biterras migrarunt, separata illic domicilia, à primævo Ordinis sui instituto abhorrentia, constituentes. Hos Bertrandus revocare, atque in ordinem redigere satagens, in cassum laboravit. Siquidem illi, privato suo genio indulgentes, spretô Bertrandi imperiô, ad judicium Pontificis provocârunt. Pontifex igitur Bertrandi honori consulens, citatos eos, auditos, & de inobedientia convictos, intentatis censurarum pœnis, ni obsequerentur, ad prima sua monasteria transire compulit.

Frustrà Minoritas in ordinem redigere satagit.

Cùm autem eo ipso tempore Pontifex Michaeli Cesenati, Schismatico Bavari asseclæ, Ordinis Minorum Magistratum, ob plurimos scriptis evulgatos errores, abrogâsset, Bertrandum de Turre Administratorem Ordinis in ejecti locum substituit, Scriptis eâ de re ad universos Ordinis Ministros litteris, quibus, ut illi tanquam legitimo Superiori, in omnibus obedientiam præstarent, districtè præcipit. Datæ sunt hæ litteræ Idibus Junii anno reparatæ salutis 1328.

Joannes Pontifex ex auctoratô Michaele Cesenate Bertrandum subsituit.

Cæterùm Bertrandi fama usque adeò apud omnes percrebuit, ut ob eminentem scientiam, non aliter ille atque *Doctor famosus* audiret. Peripateticam enim Doctrinam, sicut & Theologicam omnium optimè percalluit, versatilissimus in Jure, & in arte oratoria nulli secundus.

Scripsit in quatuor libros sententiarum Commentaria.

Ejus Scripta.

In Evangelia & Epistolas, quæ per anni circulum recitantur, explanationes doctissimas, quæ M. S. in Bibliothecis Vaticana, Tolosana Minorum, & Heilsbergensi in Polonia habentur.

Sermones de Tempore ab Adventu usque ad Pascha, qui habentur M. S. in Bibliotheca Vaticana.

Sermones de Sanctis.

Sermones Quadragesimales, quorum infinitum numerum extitisse testatur Eisengrenius: asservantur & hi in Bibliothecis Vaticanâ, & Tolosanâ.

Tractatum de Paupertate Christi & Apostolorum.

Collationes Theologicas.

Sermones Epistolares, seu in Epistolas Missalis, excusos Argentinæ anno 1501.

Quoad tempus obitûs Bertrandi variæ sunt Auctorem sententiæ: Frizonius, Gonzaga, Willotus, & Gaspar Musca illum è vivis excessisse opinantur trecentesimô vigesimô septimô supra millesimum anno: Alii vitæ ejus finem contrahunt ad annum 1325. inter quos

Variæ Authorum sententiæ de ejus obitu refelluntur.

 Trit-

hemius: rursùm alii ad annum 1326. & 27. Verùm ex ſuprà laudatis pontificiis literis ad Miniſtros Ordinis Minorum datis conſtat eum anno ſalutis 1328. adhuc inter mortales degiſſe. Immò ex S. Antonio, Marco Ulyſipponenſi & aliis ſcimus vicariatûs illum munere functum fuiſſe uſque ad comitia Lutetiæ Pariſiorum anno incarnatæ ſalutis 1329. celebrata. Quare cum Felice Contelorio judico Bertrandum ad ſuperos evolâſſe anno 1332. vel meliùs cum Luca Waddingo anno 1334. Conſtat enim ex Abrahamo Bzovio & aliis, illum juſſu Joannis Pontificis anno ſalutis 1332. tum ad Venetos, tum ad Ravennates Legatum miſſum fuiſſe, ut nonnullas inter eos exortas controverſias componeret; & Ateſtinum Principem Raynaldum, nova animo in Eccleſiam Romanam molientem, armis reprimeret.

Certus ejus obitûs annus aſſeritur.

Venetorum Urbs ab infernali diluvio miraculosè liberatur.

Præerat eo tempore, quo Bertrandus Legati vices apud Venetos obiret, Reipublicæ Venetæ Bartholomæus Gradonicus, cùm ecce aquarum excreſcentia totam penè urbem inundavit. Subortâ enim nocturno tempore ſævisſimâ tempeſtate, divinâ ope ſupremum urbis excidium diſcuſſum eſt, piſcatore quodam rei miraculum divulgante. Is enim cùm tempeſtatem ex indubiis ſignis inſtare vidiſſet, cymbam, quam futilem ac ſemifractam ductabat, ad ripam Divi Marci in tutum appulerat. Tum omnia fluctu, imbre, ventoque miſcentibus, ad illum tres ſub humana ſpecie viri veniſſe dicuntur, rogantes, ut eos urgentisſimi negotii causâ; ad Divi Nicolai ædem in littore ſitam quamprimùm trajicere vellet. Id piſcator magnitudine tempeſtatis peterritus, ſenilique ætati diffiſus, ſe facturum, licèt crebriùs interpellatus, negavit. At illi, denegato obſequio, quaſi per ſe ituri confeſtim cymbam (multùm reluctante piſcatore) conſcenderunt, remisque innixi inoffenſo curſu per aſperos turbatosque exæſtuantis maris fluctus ad ædem littoralem pervenerunt. Inde ad portûs fauces converſi, navem cacodæmonum plenam, qui tantam tempeſtatem in Venetorum excidium concitatam ciebant, tremulo præ anguſtia ſeni oſtenderunt, ac in continenti ſuâ juſſione in profundum fluctuantis pelagi, non absque horribili dæmonum ejulatu, demerſerunt. Navi illâ demerſâ, ſubitâ maris tranquillitate ortâ, vis illa procelloſæ horrendæque tempeſtatis actutum evanuit. Piſcator autem rei novitate attonitus, quidnam id eſſet, diu cogitabundus hæſit, naulum tamen à tranſvectis petere non dubitavit. Huic unus ex illis Triumviris: *Ibis, inquit, ad Principem Urbis & Patres, à quibus mercedem vel cumulatisſimam habebis, cùm eis annunciaveris, noſtrâ ope & operâ civitatem hac nocte infernali diluvio liberatam.* At ille haud mihi credent, inquiebat, teſtium adminiculo carenti: tum Divus ille, annulum, quem pretioſisſimum digito inſertum geſtabat, detractum ei in pignus, loco teſtimonii, tradidit, adjiciens inſuper: *ne factum propalando erres, ſcias me Marcum eſſe Evangeliſtam, urbis veſtræ tutelarem. Divus alter Nicolaus eſt, tertius S. Georgius, qui & ipſe ſe ſuum in templum è Ducarii regione recepit: nos pro vobis, ne periretis, laboravimus:* hisque dictis ex illius oculis diſparuit.

Porrò ſenex tanto miraculo commotus diu ſtetit elinguis, tandem

dem autem eo pignore confirmatus, ubi dies illuxit, in Curiam ascendit, inque Principis ac Patrum conspectum admissus, rem omnem summâ audientium admiratione narravit; & in eorum, quæ dixerat, fidem, annulum sibi ab Evangelista traditum è sinu prolatum, omnibus ostendens, rem non incertam fuisse comprobavit. Eo viso, omnes qui aderant, in admirationem versi, miraculi magnitudinem celebrarunt, atque cœlitibus debitas in eorum templis gratias persolverunt, quorum præsentissimâ ope civitas à tanto periculo vindicata fuisset. Memoriæ proditum est, eam tempestatem ob immane cujusdam Ludimagistri scelus evenisse: qui dæmonum potestati se permittens, diris furiis agitatus, se ipsum domi laqueo suspenderat: atque hinc damnati hominis manes, tantam in urbe tempestatem excivisse, ab omnibus creditum est. Hæc omnia fusiùs prosequitur. Petrus Justinianus *Histor. Venet. lib. 4.* *Veneti insuos Tutelares grati.*

Cæterum Willottus & Trithemius contendunt Bertrandum nostrum, origine non Gallum, sed Italum ac patriâ Mediolanensem fuisse. At hallucinari eos probant Scriptorum pene omnium testimonio Arturus à Monasterio & Lucas Waddingus. De eo etiam bis agit Antonius Possevinus, sibi non satis constans, primò sub nomine Beltrandi, deinde Bertrandi, quasi duo essent: primo loco Cardinalem eum nominat; in secundo dubitat an Cardinalis unquam extiterit? & circa patriam atque originem utrobique hæsitat. Sed horum dubia multis hîc discutere, cùm certiora teneamus, supervacaneum ducimus. *Error nonnullorum circa Bertrandum notatur.*

Ejus meminère præter allatos Bernardus Guido in Chronico m. s. Raynaldus in Annal. Gonzaga in Hist. Seraph. Frizonius in Gall. Purp. Aubery in Vita. Hippolytus Marraccius in Purp. Mariana. Cæsar Nostrad. in Historia provinciali. & Alii.

ANNO 1316.

SEDENTE JOANNE XXI. DICTO XXII. PONTIF. MAXIMO.

De

PETRO TEXTORE
S. R. E. CARDINALE.

PETRUS Textor, genere Gallus, in urbe S. Antonini Caducensis Diœcesis suos sortitus natales in Sicilia Nuncii Apostolici munere, mandante Joanne, functus est. Etenim cùm anno salutis 1317. Robertus Siciliæ Rex in Federicum Trinacriæ Regem arma terrâ marique movisset, Joannes Pontifex Max. vel ob stabiliendam pacem, vel inducias obtinendas, ad Federicum nuncios Robertum Stephanum Episcopum Trecensem & Petrum Textorem familiarem suum, plurima instructos authoritate, ineunte Martio legavit, ac Regem Federicum ad ereptas Roberto arces restituendas, cùm sine ea re pax coire non posset, suis literis est adhortatus. Pacem inter eos Reges, seu veriùs inducias, in tertium à die publicationis annum valituras, firmârunt Nuncii, quas Pan- XXXI. *Nuncii Apostolici munere fungitur apud Federicum Trinacriæ Regem, & pacem procurat.*

Panhormi ad decimum Kalendas Junii ex tabulis publicis Messanæ editis præconis voce promulgârunt.

Fridericus initâ pacem rumpit, à Roberto bello petitur, & superatur.

Verùm inter eos Principes pax diu salva non stetit: nam postquàm Nunciis Apostolicis Federicus Rhegium, aliaque Calabriæ oppida citra Pharum ex pacto reddidisset, & illi vixdum recepta, continuò Francorum Præfectis administranda dedissent, offensus ea re Federicus, quasi Robertus conditionibus ex fœdere initis non stetisset, comparatis clanculùm copiis in Præfectos movet; arces & oppida, sufficienti milite & commeatu destituta, aggreditur, expugnat, & recipit. Robertus hôc se bellô peti animadvertens, rescissis induciarum pactionibus & ipse in campum adversùs Federicum processit; vicina quædam oppida ipsi erepta præsidiis munit, arces opportunis locis excitat, ex quibus suo tempore egressus, multa Federici studiosis intulit incommoda: magnâ siquidem astutiâ usus, hosti nusquam sui copiam fecit; sed per intervalla ipsius vires carpendo, sensim Federicum eò adegit, ut novis initis conditionibus, pacem expetere compelleretur. Quæ denique interventu Petri Textoris inita, transacta, & conclusa est.

Cardinalis renunciatur & Vice-cancellarius constituitur.

Functus ea legatione Petrus Avenionem ad Pontificem rediit, à quo paulò mox inter Presbyteros Cardinales titulo S.Stephani in Cœlio monte adlectus, Vice-cancellarii munus, teste Bernardo Guidone, obtinuit: quod munus, nullâ unquam interveniente querelâ, aut corruptelâ, magno Ecclesiæ commodo, ad obitum usque integerrimè sustinuit. Novit penitùs Jurisprudentiam, & Theologiæ scientiam, eratque in dicendo sublimis, in sententiis gravis, in inventione exquisitus, in compositione diligens, in expositione Scripturarum solidus, & profundus. Unde Joannis Pontificis hortatu acriter scripsit in illos, qui temerè contendebant: *Christum & Apostolos nullum jus, aut dominium habuisse in ea, quibus ad quotidianum victum & vestitum utebantur; & quæ Evangelista referunt eos habuisse, sed simplicem tantùm usufructum.* Tum etiam in eos, qui pari dementiâ somniabant, *Christum in habendis loculis imperfectorum personam, perfectorum verò in abdicatione gessisse.* In hos, inquam, Petrus a Pontifice rogatus acriter insurrexit, & strenuè egit, Scripturarum auctoritate, ac Patrum testimoniis manifesti eos erroris redarguens, convincens & damnans. Excessit ex hac moralitate Avenione septuagenario major circa salutis annum 1330. Sepultus ibidem in primaria Urbis Ecclesia.

Quæ? & in quos scripserit?

Ejus obitus.

Ejus meminere Bernardus Guido in Chron. m. s. Aubery in Vita. Frizonius in Gallia purpur. Contelorius in Elencho Cardinalium. Raynaldus in Annal. Eccles. Panvinius de Roman. Pontiff. Oldoinus in addit. ad Ciaconium. Morerius. & Alii.

ANNO

ANNO 1316.

SEDENTE JOANNE XXI. DICTO XXII. PONT. MAX.

De

JOANNE RAYMUNDI
S.R.E. CARDINALE.

JOANNES Raymundi, natione Gallus, Convennarum Comitis filius: vir prudentia, nobilitate, doctrina, ac vitæ integritate commendatissimus. Ex Magalonensi Episcopo primus Tolosæ Archiepiscopus à Joanne Pontifice mense Julio 1317. deinde Episcopus Cardinalis Portuensis anno 1327. renunciatus est. Claudius Robertus & Petrus Frizonius, Scriptores Galli, referunt Joannem hunc Presbyteris primò Cardinalibus titulo S. Vitalis, deinde Episcopis Prænestinis adscriptum fuisse. Felix Contelorius in Elencho Cardinalium (ex libro obligationum) translatum vult ab Ecclesia Tolosana ad Ostiensem. Verùm, ut optimè notat Ughellius ex ipso Elencho, ab anno 1327. usque ad annum 1352. Bertrandus de Porro (de quo superiùs numero 17. egimus) Ecclesiæ Ostiensi præfuit: ad quem tanquam ad Episcopum Ostiensem sunt etiam Joannis literæ anno Christi 1328. exaratæ. Quare impressoris, vel amanuensis incuriâ errorem illum in Elenchum Contelorii irrepsisse dicendum est, ut pro Portuensi Ostiensis scriberetur. Joannes Raymundi post Joannis Romani Pontificis obitum respuit Pontificatum, sibi ea lege *ne unquam Romam repeteret*, oblatum: asserens, id cedere Romanæ Ecclesiæ in præjudicium & detrimentum. XXXII.

Post varias dignitates Cardinalis Ostiensis creatur.

Oblatum summum Pontificatum recusat.

Cùm Alphonsus Rex Aragoniæ à Petro patruo, & Archipræsule Tarraconensi, aliisque proceribus suæ curiæ comitatus ad Benedictum XI. dictum XII. invisendum & salutandum procederet, Joanni Raymundo provincia demandata est, illum ex Benedicti nomine cum viginti duobus Cardinalibus ad Druentiæ fluminis transitum exspectandi, & excipiendi. Allapsum summo splendore excepit, stipatumque corona Cardinalium Avenionem ad osculum Pontificis perduxit.

Alphonsum Aragoniæ Regem splendide excipit.

Joannes Cardinalis sub Clemente VI. Talairandum Cardinalem Petragoricensem, quasi in necem Andreæ Regis Neapolitani conspirâsset, multis verbis contumeliâ plenis in publico Consistorio affecit, & Ecclesiæ proditorem appellavit, ut refert Joannes Villanus. Veréne Regicida & proditor fuerit Talairandus, aut tantæ conspirationis complex, cùm Auctores nihil certi afferant, & varient; edicere non ausim. Illud exploratum est, fuisse Talairandum avunculum Caroli Dyrrachii, cujus fraude interfectus credebatur Andreas, ut Regno Neapolitano, & Joanna Regina, suffocati Regis conjuge, quàm fœdo amore deperibat, potiretur. Clemens tamen VI. in litteris ad Ludovicum Hungariæ Regem datis, hanc infamiæ notam à Talairando amolire conatus est, uti dicemus n. 37.

Talairandū Cardinalem graviter objurgat & proditorem appellat.

Scripsit

Ejus Scripta & obitus.

Scripsit Joannes Raymundi varia opuscula,
De Passione Domini.
Sermones sacros diebus festis habitos.
Commentaria in Psalmum 103.
Commentaria in Epistolas Legales, in quibus varii juris Articuli continentur.

Ejus monumenta pietatis.

Desiit inter vivos esse, teste Contelorio ex libro obligationum die 20. Novembris anni 1348. Morti vicinus jussit ab executoribus ultimæ suæ voluntatis erigi celeberrimum Monasterium Avenione, in quo suis impensis ducentæ Virgines sacræ ex Ordine D. Augustini perpetuò alerentur, & ad divinum illic officium celebrandum duodecim Canonici Regulares instituerentur.

Ejus meminère Claud. Robertus in Gallia Christiana. Frizonius in Gallia purp. Aubery in Vita. Bernardus Guido in Chron. m.s. Panvinius in Vitis Pontif. Raynaldus in Annal. Nomenclator Card. & Alii.

ANNO 1316.

SEDENTE JOANNE XXI. DICTO XII. PONTIF. MAXIMO.

De

ANNIBALDO DE CECCANO
S.R.E. CARDINALE.

XXXIII.

Vir insignis multis honoribus, & purpurâ cohonestatur.

ANNIBALDUS de Ceccano Aquinatis Diœcesis, Campanus Hernicus, vir natalium origine, rerum gestarum gloria, scientiis, & virtutibus longè clarissimus, acris ingenii, alti & præstantis animi, atque rerum agibilium usu, & experientiâ ad miraculum excultus. Quamobrem gravissimis muneribus obeundis à Romanis Pontificibus expetitus, supremis sensim honoribus & dignitatibus decoratus est. Etenim à Joanne Pontifice circà annum Domini 1326. ad Archiepiscopatum sedem Neapolitanam, bienniô pôst ad Purpuram, denique ad Episcopatum Tusculanum promotus est.

Summo cum imperio Legatus ad pacificandos Galliæ & Angliæ Reges destinatur.

Avenione in curia Pontificali utplurimùm commoratus, Joanni Pontifici in expediendis quibuscunque arduis negotiis tum consilio, tum calamo, fideque præstanti præstò fuit. Post ejus obitum in comitiis Apostolicis suffragatus est Benedicto XI. dicto XII. eoque sublato, Clementi hujus nominis sexto: Qui acceptis universalis Ecclesiæ gubernaculis, magnis statim in primordio animis pia revocandæ in orbe Christiano pacis consilia ad finem perducere aggressus est. Cùmque cerneret ingentia mala, quæ passim ex Regum discordiis rei Christianæ imminerent, eaque à cervicibus fidelium paterno studio avertere exoptaret, præprimis legationem ad Philippum Francorum, & Odoardum Anglorum Reges, mutuis tum bellis collisos, decrevit, cujus obeundæ munus Petro Prænestino & Annibaldo Tusculano Episcopis Cardinalibus committens eis præcepit, ut Reges, propositis ob oculos impendentibus Christianæ

næ Reipublicæ cladibus, quocunque modo ad pacem allicere studerent; omnesque cujuscunque demum conditionis qui, quò minùs concordia conciliaretur, impedimento essent, intentatis sacrarum censurarum pœnis reprimerent; præstita fidei sacramenta ac inita malè fœdera de urgendo bello dissolverent, irritaque ac nulla, ex auctoritate qua pollerent, pronunciarent. Clementis literas ad utrumque Cardinalem de hoc argumento datas, ex Bibliotheca Vaticana rescripsit in suis Annalibus Odericus Raynaldus, ad quas Lectorem remitto. Imperavit prætereà iisdem Cardinalibus Legatis, ut si prædicti Reges, atque alii eo bello impliciti, inducias inter se spontè inire, aut oblatas acceptare detrectarent, ipsi Apostolicâ potentiâ fulti eas indicerent, atque promulgarent: contrà facientes censuris identidem Ecclesiasticis, & anathemate perstringerent.

Inducias ad triennium agrè impetrat.

Non extinxerunt Legati bellum illud, sed retardarunt, & licèt Odoardus Anglorum Rex à pacis consiliis totus aversus esset, inducias tamen, Legatorum impulsu, cum Gallo ad triennium admisit. Pactas inducias hac lege refert Hocsemius, ut arma Anglica & Gallica si non in Turcas, saltem in Granatenses in Hispania ad Alphonsi Regis Castellæ Algeziram obsidentis confirmandas vires verterentur. Assensit quidem in has inducias Odoardus Rex, non pacis studio, à quo totus alienus erat, sed ob tempus gerendo sibi bello incommodum, quòd hostis potentiam ipse viribus impar tunc temporis oppugnare non valeret. Distulit itaque bellum, non sustulit: triennales inducias fallaci animo admittens, ut redintegratis earum decursu copiis, majori postmodum apparatu bellum instaurare, & Galliam hostis invadere posset.

Odoardus Angliæ Rex inducias dolosè admittit

Galliam hostiliter invadit; sed à Scotis Gallorum confœderatis talionem recipit.

Dum itaque Angli vixdum expletô induciarum terminô, in Galliam ingenti cum exercitu irrumperent, ferrôque ac flamma omnia devastarent; Scoti Francorum confœderati ad Anglorum distrahendas vires cum triginta millibus armatorum, hostili irruptione factâ in Angliam depopulabundi excurrunt, cædes, prædas, incendia ubique locorum agentes. Clemens Romanus Pontifex duorum florentissimorum Regnorum excidia miseratus, Odoardum ac Philippum iterum atque iterum per sacra omnia obtestatur, uti pacis consilia amplecterentur, subditorum sanguini parcerent, eorumque rebus & saluti studerent. In hunc finem duos iterum Cardinales, Annibaldum scilicet & Stephanum ad eos concordandos submittit. Qui allapsi, ac sæpiùs cum Regibus congressi, cùm oleum & operam apud obstinatos se perdere conspicerent, ambosque à pacis nomine plurimùm abhorrere non obscurè intelligerent, diris devotos relinquunt, & ad Pontificem remeant.

Legatus in pacificandis Regibus frustrà laborat, hinc eos anathemate defigit.

Aliis legationibus strenuè perfungitur.

Anno 1347. ab eodem Clemente directus est Annibaldus in Germaniam superiorem & inferiorem, ut Principum animos adversùs Ludovicum Bavarum electum Imperatorem, fœdè omnia devastantem concitaret, eosque Friderico Austrio Principi pacifico ac pio, Ludovici æmulo conciliaret.

Regno Neapolitano egregiè consulit.

Ad restituendam verò Regno Neapolitano pacem, quod horrendis bellorum motibus ob necem Andreæ Regi illatam quatiebatur, eundem Annibaldum Clemens in Italiam legavit: eâque occasione

 sione

sione demandata ei provincia definiendi limites Agri Beneventani, ad Ecclesiasticam ditionem spectantis. In hac Legatione Annibaldus, ut desperatis propemodùm Regni Neapolitani rebus opem aliquam ferret, non parùm insudavit, sed immensos planè labores diu noctuque impendit: uti Regum illorum, quæ supersunt, Acta testantur & ipsemet affirmat in Diplomate, in quo inducias inter Ludovicum Hungariæ Regem, & Joannam Reginam indixit usque ad finem anni 1350. sub excomunicationis & ducentorum millium aureûm numûm pœnâ. Annibaldi Diploma, qui legere desiderat, adeat Ciaconium, illud in vita Annibaldi ex Registro Joannæ I. recitantem.

A Pontifice Rector urbis Romanæ constituitur.

Aderat jam annus 1350. orbi Christiano ob indictum Jubilæum Sacer. Ne igitur Romana Civitas, agente Avenione Clemente, rectore careret, eidem jussu Clementis præficitur Annibaldus, cui in præceptis datum, ut publicæ urbis quieti quacunque ratione consuleret; & Nicolaum de Rentio, hominem nefarium & factiosum, qui corruptô populô urbis præfecturam usurpaverat, judiciô urgeret. Annibaldus Romam profectus, dum Pontificis mandata exequi studet, grave subiit in ipsa urbe capitis periculum. Nam dum è Vaticana Basilica ad Templum Divi Pauli pergeret, immissæ in eum ex insidiis duæ sagittæ fuerunt, quarum altera pileum; altera vestem ejus circà pectus perstrinxit, sceleris auctore ignoto permanente. Invidia tamen Nicolao de Rentio semper adhæsit, ipsum ejusmodi comparâsse insidias, ut sublato è medio Legato, tyrannidem urbis, Tribunitiæ dignitatis specie faciliùs invadere, atque exercere posset. Hinc Annibaldus justo vindictæ titulo permotus, publicis execrationibus in ipsum detonuit, inque vitam ejus cuicunque jus fecit. Eapropter Nicolaus saluti suæ consulens, mutato habitu, clàm ab urbe discessit, atque in Bohemiam ad Carolum Romanorum Regem se contulit, ubi ad instantiam Annibaldi carceri mancipatus, ac denique Pontifice postulante Avenionem missus, eidem in manus consignatus est. De ejus interitu vide infrà n.44.

A factiosis sagittis impetitur.

Nicolaum de Rentio urbis Tyrannum excommunicat, & fugat.

Fugato itaque Nicolao, rebusque urbis utcunque compositis, jussus est Annibaldus proficisci ad Ludovicum Regem Hungariæ, ut iterum eum ab expeditione Neapolitana abduceret. Illicò se itineri accinxit Legatus, & mense Julio Româ solvit: per Campaniam Romanam iter faciens invisit Ceparanum, paternæ ditionis oppidum. Inde solvens, ac iter suum prosequens, ardentissimis solis radiis percussus ægrotare cœpit in oppido S. Georgii, ubi invalescente morbo, cùm mediocrum ope destitueretur, die 26. Julii anno salutis 1350. morte oppressus est: uti ex pontificiis literis ad Cardinales pridie Idus Augusti anni ejusdem exaratis colligitur. Sublatum venenô potioni infusô scribit Auctor Vitæ Clementis VI. Cui consentiunt Joannes Villanus, & Scriptor vitæ Nicolai de Rentio. Cuncta supellex ejus, vasa aurea & argentea, æs magnum itineri & donationibus destinatum, ab ejus Regionis incolis surrepta sunt, ac familia dispersa. Unus ex Cardinalis nepotibus, qui se raptoribus strenuè aliquamdiu opponebat, in eodem S. Georgii oppido armis circumventus interiit. Alter verò tumultum declinans, ac Romam reversus,

Dum Legatione Hungarica fungitur, in itinere porrectô venenô è medio tollitur. Bona ejus dirripiuntur Nepotes pereunt.

sus, ibidem paucis interjectis diebus ex animi mœrore mortem oppetiit. Cardinalis cadaver apprimè pingue, dissectum, exenteratum, unguentis delibutum, seraphico Minorum habitu indutum, arcæ creditum, mulòque impositum, Romam delatum est; ubi tumulo temporario in Basilica Vaticana sine comitibus, sine Sacerdotibus, sine cruce & luce (ut scribit Chioccarellus) injectum potiùs, quàm illatum fuit; nec erat, qui supinum, ut mox honestus postulat, illud componeret. *Atque hic fuit tristis finis*, inquit vitæ Clementis Auctor, *gloriosissimi quondam Cardinalis de Ceccano, à Pontificibus, Regibus, ac Principibus ob res præclarè gestas tantùm non adorati, cui vitam toxicum, prædones bona, nepotes fata, titulos invidia uno quasi momento surripuêre: heu fallaces hominum spes!*

Miserandus gloriosi quondam Cardinalis exitus.

Fuerat Annibaldus Roberto Siciliæ Regi ob eminentem scientiam, rerumque peritiam usque adeò charus gratusque, ut nisi eo consulto nulla pænè Regni negotia pertractaret: quem *tanquam Amicorum charissimum* (hoc enim vocabulo Rex illum appellare consueverat) multis muneribus, prædiis, castris, & oppidis affecerat. Ferunt Robertum ad nuncium mortis Annibaldi magnam vim lacrymarum profudisse, truduoque negotiis publicis, & cibo abstinuisse, quò liberiùs concepto mœrori indulgeret.

Fuit Roberto Siciliæ Regi apprimè Charus.

Anonymus ejus temporis Auctor, qui res gestas Nicolai de Rentio, Romanæ urbis tunc Tribuni, seu potiùs Tyranni, speciali librô, in Bibliotheca Vaticana etiamnum extante, complexus est, multa de Annibaldo nostro inseruit: nempe de legatione Romana; de ejus Palatio lapidibus à populo Romano petito; de sagittis in eum ex insidiis emissis; aliaque id genus plura, præsertim quæ Romæ gessit, nepotum item interitum, famulorum ægritudinem, bonorum direptionem, mortem toxicô causatam, sepulturam honestate carentem &c. Et quamvis eum commendet à sacrorum Canonum eruditione, magnumque illum Theologum, & Decretalium Doctorem nominet, de eo tamen in fine malè sentit, & plaustra convitiorum in eum evomit: asserens fuisse illum superbiâ elatum, ambitiosum, inanis gloriæ & dignitatum cupidum, domorum amplitudine gaudentem, peccuniæ corrodandæ avidum, vini potatorem maximum, edacem, ventrosum, deliciis & carni deditum, aliisque similibus vitiis contaminatum. Hæc tamen omnia maledicus obtrectator eo fine in Annibaldum commentus est, ut gesta Nicolai de Rentio, cujus provehendæ famæ unicè studebat, ex confictis vitiis illustriora redderet; &, ut habet Joannes Villanus, Romanorum auribus blandiretur. Invisus enim fuerat Annibaldus Romanis, tum propter deturbatum Nicolaum ex urbe; tum propter contractum tempus pro externis in sacrô annô sæculari invisendi Romanæ urbis Basilicas, cùm urbis opifices, aliique, captandi lucri causâ, maluissent exteros diutiùs ibi commoratos.

Ab Anonymo vitæ Nicolai de Rentio Scriptore multis injuriis, & mendaciis oneratur.

Me tamen non latet, quæ de piis Annibaldi operibus, gestorum Clementis VI. Auctor habet: nempe fuisse illum eloquentissimum; cujus doctrinâ, arte, & solertiâ Pontifices Maximi, Reges, ac Principes diversis temporibus, diversis in negotiis summo cum emolumento fuerunt usi. Rursùm benignum in pauperes, viduas, atque pupil-

Laudatur ab Auctore vitæ Clementis VI.

pupillos; præsertim verò in eos, qui à mendicando justo pudore retracti, stipem non nisi clanculùm expetere solebant; in hos sensim sua manu viginti duo aureorum millia dispertitus est. Pium in superos & homines, maximè Religiosos, quibus tum Avenione, tum Ceparani in patria nonnulla erexit Cœnobia, vineis, pratis, molendinis insignia. Ecclesiasticam reformationem, statutis saluberrimis editis, ubique locorum promovisse, & immunitatem Romanæ Ecclesiæ acriter contra quoscunque sæculi potentes tutatum esse: quæ omnia Calumniator Anonymus, ut laudibus Annibaldi apud posteros obsit, injurioso silentio præterit.

Quæ Scripserit?

Scripsit Annibaldus soluta & vincta oratione præclara opuscula, quorum illud viris doctis summopere probatur, quod de Actis Apostolorum Petri & Pauli heroico carmine edidit. Ad illum sunt plures doctissimi Petrarchæ litteræ, quibus eum agglomeratis laudibus concelebrat & cumulat. Coronidis loco unum audiamus Guillelmum Eisengrenium, hoc eum elogio exornantem: *Annibaldus de Ceccano, ex Archiepiscopo Neapolitano Episcopus Tusculanus, vir suæ ætatis eloquentissimus, Poëta gravis, Theologus profundus, sacrarum Legum Doctor exercitatissimus, Vitas Beatorum Petri & Pauli Christi Apostolorum doctissimis commentariis heroico versu conscripsit: aliaq. minimè spernenda opera.*

Ejus mentionem faciunt Panvinius in historia Rom. Pontiff. Aubery in vita. Bernardus Guido in Chron. m. s. Bartholomæus Chioccarellus in Cathalogo Antistitum Neapolit. Bzovius & Raynaldus in Annal. Ecclesiast. Contelorius in Elencho Cardin. Auctor vitæ Clementis VI. Anonymus vitæ Nicolai de Reutio. Nomenclator Cardinalium. Victorellus in addit. ad Ciaconium. Ughellius Tom. 1. Italiæ sacræ. & Alii plurimi.

ANNO 1316.

SEDENTE JOANNE XXI. DICTO XXII. PONTIF. MAXIMO.

De

MATHÆO URSINO
S. R. E. CARDINALE.

XXXIV.

Multis auctus dignitatibus denique Cardinalis creatur.

MATHÆUS Ursinus, dictus de Campo-Floræ, Romanus, Francisci Neapoleonis Ursini Cardinalis S. Luciæ in Silice ex fratre nepos, natalium ortu nobilissimus, ac Ordinis Prædicatorum Theologus clarissimus, ex Povinciali Romano Episcopus Agrigentinus, posteà Archiepiscopus Sipontinus, mox Presbyter Cardinalis SS. Joannis & Pauli titulo Pammachii à Joanne Pontifice; demum Episcopus Sabinensis à Benedicto XII. ob insignes animi dotes renunciatus est. Vir fuit literis cùm sacris, tum prophanis haud mediocriter eruditus, religione conspicuus, consilio maturus, gravis, solers, ac prudens rebus in agendis. Theologiam nondum Ordini addictus, Doctor publicus annis plurimis interpretatus, magnam exinde laudem assecutus est. In sacrum Dominica-

minicanorum Ordinem admissus, cùm & sanctitatis & doctrinæ præconiô omnibus antestaret, Theologiæ Magistris annumeratus, Parisiis, Florentiæ, ac Romæ sacra studia identidem magnâ sui nominis famâ ex imperiô superiorum professus est.

In pluribus sui Ordinis tam provincialibus, quàm generalibus comitiis, definitioris (ut vocat) titulo præsidens, ad propagationem sui Ordinis multùm operæ contulit. Romanæ Provinciæ patrum suffragiô præfectus, eam sanctissimè juxtà ac integerrimè annis plurimis rexit, quo in munere, gravi & à medicis conclamatâ ægritudine correptus, suprà naturæ vim atque ordinem, interventu Beatissimæ Virginis, cui addictissimus erat, convaluit. *Graviter ægrotans à B. M.V. divinitus sanatur.*

Romani Cives facundiam Mathæi exploratam habentes, eundem ad Joannem Pontificem, ut Romam ille Sedem Apostolicam reduceret, Oratorem direxêre, litterisque supplicibus, verbis & argumentorum pondere gravibus (ab ipso Mathæo conceptis) ut reditum omissâ omni tergiversatione maturaret, institêre. Pontifex iis acceptis & lectis consueta verborum ludificatione & blandimentis opportuno se tempore Romam accessurum respondit. *Legatus à Romanis ad Joannem Pontificem mittitur.*

Interim graviter expostulavit cum Mathæo, *Romanos juratæ fidei oblitos; & Pontificia Majestatis contemptores, inclinare in partes Ludovici Bavari, invasoris Romani Imperii, & usurpatoris, quem tamen ipse diris execrationibus tanquam Ecclesia hostem devovisset; Imperii juribus, & Bavaria Principatu exuisset; eidemq́ ob crimen hæreseos diem ad decretoriam sententiam excipiendam constituisset.* Mathæus inopinatâ hâc Pontificis increpatione motus, anxiè primùm objecta à Romanis amolire aggreditur; deinde, quò Pontificis animum deliniret, multis argumentis in medium productis ostendit, *Romanos eos non esse, qui vel Bavaro hostis studerent, vel Pontifici juratum obsequium detrectare in animo haberent, quin potiùs & opes & vitam sui gratiâ profusuros, si, quod maximè ambirent, Sedem ille Romam transferre; seq́ iis præsentem sistere satageret.* Hac oratione delinitus Pontifex, morem se Romanis gessurum, quamprimùm liceret, respondit. Interim Mathæum, quo iis blandiretur, purpurâ exornat, eundemque muneribus donatum, non jam ut Oratorem, sed ut Principem sacri senatûs domum remittit. Ea res multùm Romanis placuit, eosque in spem indubiam adduxit, brevi fore, ut Avenione Romam Sedes Apostolica transferretur: quamvis nihil minùs Joannes tum in animo haberet. *Pontifex de Romanis conqueritur.* *Legatus Regreditur; Romanos excusat.* *In sacrum Senatum legitur.*

Mathæus Cardinalibus adscriptus, suaque legatione perfunctus, ne porrò ejusmodi negotiis implicaretur, secessit in Monasterium, Deo, sibi, & proximo liberiùs deinceps atque in mundi strepitu vacaturus. In hunc finem quamplurimos agros propriis pecuniis in Bononiensium ditione coemptos, eâ lege Cœnobio in honorem S. Dominici Bononiæ erécto credidit, ut singulis annis Patres Dominicani certam pecuniæ summam in pia quædam à se præscripta opera impenderent; atque insuper duodecim literarum studiosos, ex eadem familia selectos in perpetuum ad Ecclesiæ & Ordinis emolumentum alerent. *In Cœnobium revertitur.* *Ejus pietatis & munificentia opera.*

Vitam cum morte mutavit Avenione XV. Kalend. Septembris anno salutis 1341. Corpus ejus Romam delatum in Sacello S. Catharinæ *Ejus obitus.*

 tharinæ

tharinæ à se constructo primùm; deinde in Sacrario; nunc in Ecclesia S. Mariæ super Minervam in arca marmorea unà cum ossibus Latini Cardinalis Ursini, propinqui sui, conditum jacet.

Inter Beatos sui ordinis numeratur. Patres Dominicani super Minervam, Matthæum Cardinalem inter Beatos Ordinis recensent, ejusque memoriam, ob edita plurima signa, quotannis mense Septembri concelebrant. Paulò antequam è vivis decessisset, mortalitatis & pietatis memor testamentum condidit, vigore cujus pretiosam supellectilem auream & argenteam cum innumerali pecuniâ, quam sibi parcus collegerat, in pios usus, ac pauperum subsidia assignavit.

Ejus Scripta. Scripsit Sermones de Tempore.
Commentaria in Universam Theologiam.
Aliaque nonnulla m. s. apud suos asservata.

Ejus mentionem faciunt Panvinius in Vitis Pontiff. Aubery in Vita. Franciscus Sansonius de Familia Ursina. Bernardus Guido in Chronico m. s. Leander Albertus de Viris illustribus Ordinis Prædicat. Raynaldus in Annal. Rocca Pyrrus in Notis Ecclesiarum Siciliæ. Ughellius Tomo 1. Italiæ sacræ. & Alii.

ANNO 1316.

SEDENTE JOANNE XXI. DICTO XXII. PONT. MAX.

De

JOANNE COLUMNA
S.R.E. CARDINALE.

XXXV. JOANNES Columna illustri Romæ & perantiqua stirpe natus, in patrem habuit Stephanum Columnam, Senatorii Ordinis virum, belli gloriâ, opibus, & factis inclytum. Joannes ex Protonotario Apostolico Diaconus Cardinalis S. Angeli à Joanne Pontifice renunciatus, jucundâ apud posteros memoriâ vivet. Nam seu virtutum ornamenta; seu morum comitatem; seu prudentiam, ac copiosam scientiarum eruditionem spectes, nemo facilè Purpuratorum suâ ætate clarior aut cultior extitit. Adolescentiam Romæ sub patriæ, parentumque aspectu transegit omni vitio carentem. Politiores litteras, & Philosophicam facultatem sub optimis Magistris edoctus, tantâ enituit modestiæ laude & ingenii facilitate, ut omnes in Juvene senilem quandam gravitatem admirarentur. Nihil in eo puerile, nihil vulgare aut dissonum apparebat. Aspectus, gestus, motus, sermo, illam ipsam jam tum dignitatem redolebant, quam posteà cum majestate erat suscepturus. Romæ legum peritiâ apprimè imbutus, laureâque doctorali insignitus, à Joanne Pontifice jussus est urbis præfecturam contrà Nicolaum de Rentio Tyrannum, vicario nomine administrare, & locum judicis supremum in causis civilibus tenere. Hoc autem in munere tantam præsetulit morum integritatem prudentiam atque æquitatis solertiam, ut passim *Justitiæ norma* indigitaretur. Fridericum Austrium adversùs rebelles Ludovici Bavari acies constanter & perdiù juvit, non modò expe-

Omni virtutum genere ornatus Cardinalis efficitur.

Ejus præclaræ vitæ primordia.

Urbis Romanæ Præfecturam summa cum laude gerit.

expedito milite; sed & numeratâ in menses singulos pecuniâ, quam Joannes Pontifex ex ærario liberaliter subministraverat: auctorque fuit, ut Ludovicus Bavarus, juratus Ecclesiæ hostis, ex Italiæ finibus semel iterumque eliminaretur.

Friderico Austrio adversus Bavarum studet.

Hujusce Cardinalis consilio & suasione Joannes Pontifex permotus, non parvam manum Fratrum Minorum in Armeniam ad prædicandum Dei Evangelium transmisit anno salutis 1332. Inter quos præcipuum fuisse ferunt Gonzalum Suratum, virum doctrinâ & vitæ famâ illustrem, qui tum concionibus, tum pluribus libris in illam linguam conversis, maximo Armenis ad salutem emolumento fuit. Eodem pariter tempore & Paschalem inter Medos, & Gentilem inter Persas conversatos esse, Annales Minorum produnt. Extat hac de re jucunda ipsius Paschalis epistola ad Joannem Cardinalem data, in qua narrat se, cùm munera & uxores, quas barbari illi offerebant, aliasque id genus blanditias constanter repulisset, tentatum deinde fuisse contumeliis, bis etiam lapidatum, & tum ad frontem, tum ad plantas ignibus adustum: quibus tamen rebus ita se nunquam territum, ut nec habitum deposuerit, nec à dissemínando Dei verbo unquam destiterit. De Gentili autem hoc omninò notabile traditur, quòd cùm Babylone degeret, neque in ediscendo Arabico idiomate, cujus illic usus est, magnoperè proficeret, decrevisse in Italiam regredi; in ipsa autem via occurisse illi adolescentulum quendam longè speciosissimum, qui causâ illius reditûs cognitâ & improbatâ, jusserit eum quantocyus Babylonem reverti, quoniam certo certiùs futurum esset, ut Deo concedente, Arabici sermonis notitiam nullo labore assequeretur. Itaque ab ea hora tam benè & expeditè Arabicè loqui scivisse, ac si in ea lingua natus esset.

Joanni Pontifici author est, mittendi in Armeniam Fratres Minores.

Gonzales Suratus, Paschalis & Gentilis Minoritæ: Viri memoriâ digni.

Circa idem etiam tempus Bosina urbs Dalmatiæ Gerardi Ordinis Minorum Generalis Ministri operâ conversa est ab hæresi ad orthodoxam fidem, cùm illac fortè iter habuisset: qui deinde monitu Joannis Cardinalis (accedente summi Pontificis adsensu) pluribus Fratribus eò missis, finitima loca, eâdem labe infecta expugnavit, & ad Christi ovile reduxit: pro ut testatur is, qui illi post obitum in urna marmorea epitaphium sculpsit. Sed revertamur ad Joannem.

Bosina urbs Dalmatiæ, operâ Gerardi ad fidem conversa.

Is Basilicæ Lateranensi Clementis VI. jussu Archipresbyter præfuit aliquandiu; in cujus Archivio extat etiamnùm insignis epistola Joannis Cardinalis ad Capitulum Lateranense pro celebratione Anni sacri data, quam, quia singularem Joannis Columnæ pietatem, prudentiam, charitatem, animi demissionem, & pastoralem sollicitudinem commendat, Ciaconius rescripsit, atque in Acta Joannis retulit.

Inter alia laudatur extremè à Romana dicendi agendivé libertate, qua tum apud summos Pontifices, tum apud Reges, & Principes eximiam sibi peperit existimationem & famam. Franciscum Petrarcham virum eâ ætate literatissimum, aliosque doctrina & eruditione præstantes in deliciis habuit. Quem jure meritò Patrarcha, *Romani decus cardinis, & Columnensis familia principem atque ornamentum* dixit,

Laudatur à dicendi, agendivé libertate.

Quo anno obierit?

dixit, & luxit, dum ille Avenione immaturo facto decederet, non anno 1347. ut scripsit Ciaconius (nam eo anno subscriptus invenitur in Diplomate Clementis VI. dato Monialibus Monasterii Misericordiæ B. M. Virginis de Denio) sed III. Kalend. Julii. Anni 1348.

Mortem ejus Stephanus Pater prædicit.

Stephanus Columna tanti Cardinalis genitor, nobili quondam filiorum coronâ in convivio procerum Romanorum septus, omnium se natorum hæredem futurum prædixit, atque omnibus, uti divinaverat, superstes fuit. Quòd cùm à Stephano audivisset Petrarcha, & amicis inter confabulandum narrâsset, in vulgus effusum est. Joannes id resciens, sed num verum esset, subdubitans, Petrarcham ad se accersitum interrogat. Petrarcha diu reluctans, cùm identidem urgeretur, tandem invitus rei narrationem aperuit. Tum Joannes altùm ingemiscens, & vicinam mortem præsentiens, *utinam*, inquit, *genitor noster tam veridicus vates non esset!* Eodem anno, post alios fratres morte surreptos, dolore confectus, moriendo dictum patris, tristi quidem, sed plena fide complevit. Eidem paulò ante trium fratrum, totidemque nepotum obitum, forti animo ferendum, suadens Petrarcha, in hæc verba scripsit: *Habent, magne Princeps, qui nobiscum vivunt; habebunt, qui nascentur posteà, quod in te suspiciant, quod laudent, quod efferant, quod mirentur, infractum malis animi robur, & generosam verè Romani spiritus majestatem.*

A Petrarcha meritò commendatur.

Ejus Scripta.

Scripsit plurima tum Philosophica tum Theologica, in familiæ Archivio M. S. asservata, quæ permagnæ ipsum eruditionis virum arguunt.

Ejus mentionem faciunt S. Antoninus p.3. Historia. Anonymus Scriptor Vitæ Nicolai de Rentio. Bernardus Guido in Chron. m. s. Raynaldus in Annal. Eccles. Waddingus in Annal. Minor. Contelorius in Elencho Cardin. Rasponus de Basilico Lateran. Franciscus Petrarcha in Epist. Victorellus in addit. ad Ciac.

ANNO 1316.

SEDENTE JOANNE XXI. DICTO XII. PONTIF. MAXIMO.

De

PETRO BERTRANDI S.R.E. CARDINALE.

XXXVI.

Nonnullis prima nota muneribus in Curia Seculari fungitur

PETRUS Bertrandi, ad distinctionem Junioris Bertrandi, dictus Senior, Mathæi Bertrandi nobilis viri Annonensis in Provincia Vivariensi, & Agnetis cognomento Imperatricis filius, pietatis laude, & doctrinâ clarissimus. Causas primùm egit in Senatu Parisiensi, cujus deinde Consiliarius in primâ, ut vocant, Curiæ classe, imò & unus è quatuor sanctioris consilii Clericus, qui Regem tum sequebatur: nec non Joannæ à Burgundia Reginæ Franciæ Cancellarius factus strenuam, quoad iis muneribus functus est, navavit operam.

In Universitatibus Avenionensi, Mompeliensi, Aurelianensi & Pa-

& Parisiensi publicè magno cum plausu Jurisprudentiam interpretatus est. Ejus doctrinæ ac virtutum famâ illectus Joannes Pontifex, eum Nivernensem primò, tum Augustodunensem Episcopum, ac demùm Presbyterum Cardinalem titulo S. Clementis creavit. Hic dum adhuc Augustodunensi infula ornatus esset, feliciter disceptavit, ac decretoriè pugnavit pro Jurisdictionibus Ecclesiasticis adversùs Magistrum Petrum de Cugneriis in Parisiensi Senatu Advocatum, hominem astutum, audacem, & in Ecclesiæ jura injurium, multarumque ea propter litium & discordiarum auctorem, qui rejectis Conciliorum decretis, ac Patrum sanctionibus, petulantissimo ausu immunitatem Ecclesiasticam funditùs evertere ac proculcare nitebatur. Pugnavit, inquam, coram Rege Philippo Valesio, Galliæque Prælatis ac Principibus, ob eam rem Anno 1329. de industria congregatis. Rex auditis, ponderatis & discussis Petri Bertrandi adversùs Cugnerium argumentis & rationibus, auctoritate Scripturæ, Patrumque testimonio fultis, ab ipso stetit; Cugneriique temerariam sententiam, velut impiam & erroneam rejecit, jubens, ut Prælati Jurisdictionis, & libertatis Ecclesiasticæ privilegiô, uti priùs, & ratio postulabat, uterentur. Hanc causam Philippus Rex Ecclesiasticis adjudicavit Anno 1329. illo ipso anniversario die, quo duobus propè retro antè sæculis S. Thomas Cantuariensis pro tuendo eodem Jure mortem oppetiit: Ex quo Philippus à Sede Apostolica *Catholici* cognomentum obtinuit. Cæterùm de Petro Cugnerio, qui de Jurisdictione & Ecclesiastica libertate tollenda publicè dixit; ac de infamia, quam inde contraxit; deque illius statua, quam quisque obvius, pugnis, sputis, saxis, gladiis & sagittis impetebat, qui plura desiderat, adeat Abrahamum Bzovium in Annal. ad annum 1328. Genebrardum *libro 4. Hist.* & Jacobum Gualterium in Sæculo XIV. Tabulæ Chronographicæ plura in hanc rem afferentes.

Jurisprudentiam diversis in Locis cum laude profitetur.

Adversùs Petrum Cugnerium, immunitatis Ecclesiasticæ hostem acerrimum viriliter pugnat; eundemq; expugnat.

Cugnerius ea propter infamis redditur, & opprobriis publicis impetitur.

Vitam hanc cum meliore permutavit Petrus Cardinalis Avenione 24. Junii anno redemptionis humanæ 1348. prout ex Libro obligationum & divisionum Cameræ Apostolicæ, quem se vidisse, & legisse in Bibliotheca Vaticana fatetur Felix Contelorius, colligitur. Sepultus est in Ecclesia Beatæ Mariæ Virginis Prioratûs Montis-Alti, ab ipsomet propè Villam Novam Avenionensem fundati.

Bertrandi obitus.

Fundavit insuper Annonæi Cœnobium Monialibus S. Claræ, & majus ejusdem urbis Nocosomium, cognomento *Beata Mariæ Pulchra*. Sacellum item S. Jacobo Apostolo sacrum in Ecclesia principe, in quo genitoris sua ossa, nobili tumulo inclusa, humata sunt anno salutis 1311. Ac Sacellum aliud in Ecclesia Franciscanorum, ubi Mater ejus, sub annum 1306. mortua, egregiò pariter monumentò donata quiescit. Extra urbem verò Annonensem Sacellum nobile fundavit in Monasterio Sanctimonialium Clavasiensium. Extat Parisiis Collegium Augustodunense, sive Hedunense, quod Cardinalis Bertrandi appellatur, institutum ab illo prima die Augusti æræ Christianæ 1341. redditibus deinde locupletatum die 13. Octobris anni 1345. In quo ejusdem Cardinalis effigies, doctis expressa coloribus, etiamnum conspicitur.

Multa Pietatis post se monumenta reliquit.

Ejus Scripta multis Voluminibus comprehensa, necdum typis vulgata, permagni tamen à viris eruditis æstimata, & diu Parisiis instar thesauri ditissimi asservata, tandem anno 1575. iniquissimi cujusdam furciferi sacrilegiò periêre, qui & ipse posteà in notabili furto deprehensus, quæstioni admotus, & convictus, per sententiam in furcam est actus. In Bibliotheca Patrum inveniuntur Actus disputationis, quam habuit adversùs Petrum Cagnerium: & Tractatus bini de spirituali, ac temporali Potestate.

Ejus Scripta furto ablata.

De eo agunt Claudius Robertus in Gallia Christiana. Bzovius in Annal. Eccles. Frizonius in Gallia purp. Aubery in Vita. Jacobus Gualterius in Tabula Chronographica. Antonius Possevinus in Apparatu. Bellarminus de Script. Ecclesiastic. Victorellus in addit. ad Ciaconium, & Alii.

ANNO 1316.

SEDENTE JOANNE XXI. DICTO XXII. PONT. MAX.

De

TALAIRANDO COMITE PETRAGORICENSI S.R.E. CARD.

XXXVII TALAIRANDUS nobilissimus Gallus, Eliæ Talairandi, hujus nomenclaturæ V. Comitis Petragoricensis, & Brunezindis lectissimæ matronæ filius, in exordio pueritiæ patre usus est diligente & indulgente: qui cùm ipsè literarum studiosus esset, filium nullò non doctrinarum genere, quibus ea ætas impertiri solet, adhibitis optimis magistris, imbui curavit. Erat autem in juvene Talairando præter docilitatem ingenii summa suavitas oris ac vocis, ut non solùm celeriter arriperet quæ tradebantur, sed etiam excellenter pronunciaret. Qua ex re inter coætaneos mirè exsplendescens, omnium ore celebratur.

Talairandi primordia.

Duobus fratribus Archambaldo natu maximo, & Rogerio Bernardo natu minori generis propagationi operam dantibus, Talairandus absolutis studiis, animum ad statum Clericalem adjecit, cui Joannes Pontifex anno salutis 1329. defunctò Petro de Mortuomari, Ecclesiæ Altisiodorensis curam commisit, eumque biennio pòst sacro Purpuratorum Collegio titulo Eudoxiæ, instante Philippo Galliarum Rege, adscripsit.

Cardinalis renunciatur.

Talairandus hac auctus dignitate, generis sui provehendi cupidus, Mariam Neptem ex filio Regis Roberti præmortuo, matrimonio jungi procuravit Carolo Durazzio Duci Neapolitano nepoti suo, dispensatione ob sanguinis propinquitatem à Clemente VI. obtenta. Id resciens, ac ægrè ferens Ludovicus Hungariæ Rex Talairandum tanquam cædis Andreæ Regis conscium, & quòd Carolum nepotem Regni Neapolitani successorem destinaret, apud Clementem accusavit. Clemens innocentiam Talairandi perspectam habens, quò eum de objecto crimine purgaret, inter alia hæc ad Hun-

Neptim suā Carolo Durazzio collocans, Ludovico Hungariæ Regi, quasi conscius & complex fraternæ cædis esset, in suspicionem venit.

Hungarum scripsit. *Denique, fili charissime, mirari cogimur, quòd Celsitudo regia dilectum filium nostrum Talairandum titulo S. Petri ad vincula Presbyterum Cardinalem de scelerata nece Germani tui conscium, literarum serie descripsisti. Licèt enim ipse in negotio Regni Siciliæ pro nepotibus suis interdum institerit, eorum justitiam allegando, & pro eorum provisione, sine juris alterius præjuditio, purè in negotio ipso procedendo: non debuisti propterea, vel quivis alius existimare, quòd idem Cardinalis, qui de præclaro & antiquo genere trahens originem, magna probitate, & literarum scientia existit præditus, & multiplicibus virtutibus insignitus, tanti sceleris conscius fuerit, vel eidem dederit initium, consilium, auxilium, vel favorem. Nam, ut cum veritate loquamur, auditâ nece prædictâ, indicia evidentia, signa patentia ingentis tristitiæ & doloris noscitur ostendisse. Cessante igitur, quæsumus, apud te suspicione prædicta, quæ caret procul dubio veritate, credas quòd prædictus Cardinalis in prædicti Regni, vel quocunq; alio negotio nihil scienter ageret, quòd divinam crederes offendere Majestatem; aut maculam in gloriam poneret, vel suam & domûs suæ nobilitatem aliqualiter denigraret &c.* Ludovicus amplissimo Clementis testimonio deferens, Talairandum, amotâ suspicione, in gratiam recepit. Quem deinde idem Pontifex, defuncto Jacobo de Stephaneschis Cardinale ad Velum Aureum (de quo superiùs numero XI. egimus) Ordini Minorum in Protectorem dedit, hasque ad eum anno salutis 1343. literas scripsit.

Clemens Pontifex eum apud Hungarum literis purgat.

CLEMENS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI.

Dilecto filio Talairando tit. S. Petri ad Vincula Presbytero Cardinali.

Petitionis dilectorum filiorum Generalis, & Provincialium Ministrorum Ordinis Fratrum Minorum Nobis nuper exhibita series continebat; quòd ipsi dudum in suo generali Capitulo Massiliæ celebrato, diligentiùs attendentes, quòd bonæ memoriæ Jacobo S. Georgii ad Velum aureum Diacono Cardinale, Protectore, Gubernatore & Correctore ipsius Ordinis deputato Auctoritate Apostolica, sicut Domino placuit, ab hac luce subtracto, dictus Ordo Protectoris, Gubernatoris, & Correctoris erat præsidio destitutus. Cupientes super hoc salubriter provideri, Te, quem ad eundem Ordinem affectu sinceræ devotionis, & benevolentiæ specialis indubiè confidunt affici, unanimiter, & concorditer ad hujusmodi protectoriæ gubernationis & correctionis officium elegerunt. Quare Nobis humiliter supplicarunt, ut juxta sui Ordinis præceptum Regulæ, Te in Protectorem, Gubernatorem & Correctorem prælibati Ordinis concedere dignaremur. Nos igitur, qui Ordinem ipsum intra Nostra, & Sedis Apostolicæ præcordia recumbentem prosequimur favoribus dilectionis paternæ, supplicationis hujusmodi benigniùs inclinati, Te, de cujus probitate, & circumspectione provida plenè confidimus, in Protectorem, Gubernatorem, & Correctorem Ordini memorato, & ipsius fratribus Auctoritate Apostolicâ duximus tenore præsentium concedendum; sinceritatem tuam attentiùs exhortantes, Tibiq; in tuorum remissionem peccaminum injungentes, quatenùs circa hæc piè, utiliter, fideliter, prout tibi ministraverit Dominus, te impendas &c.

Talairandus Ordini Minorum in Protectorem datur.

Cùm scripsisset Clemens VI. ad Imperii Electores, & Germaniæ Proceres, ut repudiato Ludovico Bavaro alium eligerent Cæsarem: Carolus Moraviæ Marchio, unà cum parente Boëmiæ Rege convenit Pontificem Avenione: actum ibi seriò de eligendo Carolo in Imperatorem Talairando Cardinali totis viribus adnitente, cui ex opposito

Carolo Moraviæ Marchioni ad Imperium studet.

posito contradicebant Joannes Galliarum Rex, & Raymundus Cardinalis Convennarum Comes, nihilominus conditionibus quibusdam oblatis uterque Avenione subscripsit, & Carolus renunciatus est Cæsar.

Legatur in Gallias ad concordandas Galliæ & Angliæ Reges: sed in cassum laborat.

Annô à partu Virginis 1348. Talairandus ex Presbytero Cardinali à Clemente Episcopus Albanensis creatus, legationem suscepit in Gallias pro pace inter Reges Francorum & Angliæ firmandâ, sed cùm nihil Regibus à pace aversis conveniret, re infecta ad Curiam rediit.

Sævissima pestis eodem tempore grassans, multa hominum millia inficit & enecat.

Eodem ipso anno pestis sævissima, ex malignorum siderum concursu orta, totamque pœnè Europam pervagata, orbem Christianum magna ex parte evertit. Hanc Mathæus Villanus, in principio historiæ suæ fusè describit. Meminit ejusdem etiam Petrarcha libro 8. Senilium, & alibi, *Annum*, inquiens, *trecentesimum quadragesimum octavum supra millesimum lugens, & considerans, totus contremisco: qui non solùm amicis, sed mundum omnem gentibus spoliavit, cui si quid defuit, sequens ecce annus illius reliquias demetit, quo non hac pars, aut illa terrarum, sed universus fere orbis sine habitatore remansit.* Florentiæ Tuscorum centena hominum millia interiisse Bocatius initio Decameronis sui attestatur. Hæc cùm Avennionem quoque progressa esset, Talairandi Cardinalis operâ factum, ut Clemens Pontifex conquisitis undique Medicis & remediis, ruenti populo saluti fuerit. Inter Medicos eminuit eâ ætate Guido Chaulia Gabalus, Sacerdos sæcularis, qui artis suæ studio corruptum aërem purificans, Avenionensibus, ne corriperentur, egregiè opitulatus est. Sed præprimis magna tunc pietatis Christianæ, admirandaque opera Clementis fuêre erga eos, qui labe illa infecti erant: quos foveri sumptibus suis, ac ne insepulti jacerent, maximâ pecuniâ Vespillonibus propositâ sepeliri curavit in agro de industria ad id coempto: in quo magnificum Templum Divæ Virgini nuncupatum, adjectis annuis redditibus construi jussit, ut beneficii illius memoria ad posteros quoque pervenire posset. Demùm totô trienniô pestis illa Romæ ita sæviit, ut vix decimus quisque ex millesimo homine superfuerit. Nec id mirum quidem, cùm ob Jubilæum contagione hominum, & multitudine undique Romam confluentium, squallore, situ, pædore omnia inficerentur.

Eidem Talairandi solertia medetur.

Guido Chaulia Sacerdos, insignis medicus.

Talairandus Joanni Birellio, ne ad Pontificatum assumatur, obicem ponit.

Anno salutis 1352. sublato è vivis Clemente VI. dum Cardinales conclave ingressi, unà de creando novo Pontifice vota conferrent, ac tanto muneri vir probitate & eruditione insignis admovendus quæreretur, illata est mentio de Joanne Birellio Carthusianorum præside, viro non minùs doctrinæ laude, quàm vitæ sanctitate clarissimo, ad summum Pontificatum assumendo, ut refert Carthusianorum Historia. Et certè conspirantibus jam plurimorum suffragiis ille procul dubio Pontifex salutatus fuisset, nisi Talairandus Cardinalis caducarum rerum amore devinctus, veritusque, ne is luxum omnem in Cardinalibus pia asperitate resecaret, obstitisset, ac ut Cardinales Stephano Alberto Episcopo Ostiensi suffragarentur, auctor fuisset. Rejecto itaque ad instantiam Talairandi Birellio, ad Apostolicum apicem evectus est Stephanus Albertus, dictus

ctus Innocentius hoc nomine Sextus. Verùm cùm non multò pòst Birellius sanctitate celebris è vivis excessisset, ac ingenti miraculorum gloria statim ab obitu mundo inclaruisset, Talairandus culpam suam agnoscens, eamque peracerbè deflens, Carthusianos quoad vixit singulari studio complecti, atque beneficentiâ prosequi cœpit. Quibus etiam in signum æternæ pœnitudinis & amoris, nobile Cœnobium Vallis-claræ apud Petragorios multis redditibus auctum condidit. *Facti pænitens Carthusianis Cœnobium condit.*

Innocentius verò VI. ut pacem atque inducias inter Gallum & Anglum Reges redintegraret, legationem ad eos decrevit, cujus obeundæ provinciam Talairando Episcopo Albanensi, & Nicolao S. Vitalis Presbytero, Cardinalibus imposuit: & ut faciliùs Legati Cardinales incœptum opus perficerent, Pontifex adhibendum etiam Carolum Imperatorem pacis interpretem censuit, quare illum rogavit, ut Cardinalibus Legatis locum, in quo ipsum commodè convenirent, constitueret. Interim cùm Odoardus Junior Regis Angliæ filius Aquitaniæ Provincias flammâ ferroque devastaret, in illum Joannes Rex Galliæ signa convertit, ac deprehendit spoliorum exuviis onustum in Pictaviensi agro, copiarum numero admodùm imparem. Certa videbatur pro Gallis sine periculo victoria, sed vincendi patientia cùm Joanni defuisset, obfuit. Inter hæc Legati Cardinales Talairandus & Nicolaus cùm metuerent, si adversæ concurrerent acies, plurimum Christianorum sanguinem effusum iri, qui longè utiliùs pro defendenda in Turcas fide, ac firmandâ Orientalis Ecclesiæ cum Romanâ conjunctione profundi poterat ad Francorum Regis, ac Walliæ Principis castra discurrerunt, ut concordiam inter illos redintegrarent. Neque abnuit Anglus periculi terrore perfusus æquis legibus pacisci concordiam, eamque affinitate, si Gallo videretur, firmare. At Joannes ob deprehensos hostes elatior factus, ducumque sinistris consiliis depravatus, nihil, quod pacem sonaret, admisit. Eapropter Talairandum multis rationibus concordiam suadentem facessere jussit, adjectis etiam verborum minis, ni abiret, de vitâ periclitaturum. Hæc cùm insolentiùs, quàm par erat, Joannes jactaret, Talairandus *cedo equidem, ò Rex*, inquit, *si ita jubes, at temerarium tuorum consilium, nimiamq; virium fiduciam non possum non reprehendere, satis gnarus, dubiam esse belli aleam, ac sæpè à contempto hoste cruentam edi pugnam.* Hæc prolocutus è castris abiit. Joannes pugnæ avidus in hostes edito clamore movet, neque Angli moram faciunt: magnis utrinque animis concurrunt. Galli primo impetu egregiè se gerere, Anglorum ad octoginta, antequam quisquam eorum vulneratus esset, dejicere. Mox verò pugnâ ingravescente Anglis acriter se defendentibus, cùm diutiùs teneret pugna, Galli sub armorum pondere depressi, æstu & lassitudine defectis viribus, cedere paulatim hosti expedito & laboribus assueto coacti sunt. Angli ea re magis magisque animati, fortiùs instare, bellum urgere, nec desistere, donec profligati ex integro hostes essent. Joannem Regem, sunt qui asserant, à fugientibus monitum, uti è discrimine in tutum se reciperet, id facere noluisse: quin potiùs, visô suorum periculô, ex equo desiliisse, suamque

Jussu Innocentii VI. secundâ legatione fungitur in Galliæ ad pacificandos Galliæ & Angliæ Reges.

Gallos pacem detrectat: Talairandum suadentem objurgat, & facessere jubet.

Atrox prælium Gallos inter & Anglos.

cum reliquis fortunam conjunxisse, atque ita agminibus adversis immixtum, captum fuisse. Ex quo victoria, deletis septem millibus Gallorum, sublatoque nobilitatis præcipuo flore, penès Anglos stetit: quorum nonnisi quingenti desiderabantur. Rex, qui pacem anteà rejecerat, captivus Burdegalam primò, mox in Angliam abductus est. Legati pacis firmandæ ergô & ipsi in Angliam sunt profecti: ubi verò animadverterunt Odoardum Regem (quamvis magnificentissimè Joannem Francorum Regem excepisset) pacis colloquium variis coloribus protrahere; rerumque gerendarum occasionem ex mora captare, quò leges victis acerbiores dictaret, re infecta, domum sunt reversi.

Joannes Gallia Rex, in potestatem Anglorum devenit.

Bienniô postquàm Rex in Anglia detineretur elapsô, Legati iterum eò destinati; cum Odoardo de Regis Francorum liberatione tractârunt. Qui tandem in has conditiones, ut Anglis totam Aquitaniam cederet, ac tres insuper auri milliones penderet, libertate donatus est. Pace cum Anglis firmatâ Joannes Rex sub annum 1360. Urbanum V. Romanum Pontificem, Innocentii Successorem, Avenione invisit, ubi post varios congressus, transmarina profectio in Sarracenos decreta est, cujus dux ab Urbano constitutus ipse Joannes Rex, & Talairandus Episcopus Albanensis Legatus à latere, qui Regem comitaretur: uterque tamen morte præventus, rem præclarè conceptam aliis perficiendam relinquêre. Avenione igitur die 17. Januarii, non anno 1346. (ut scripsit Ciaconius & Ughellius) sed anno 1364. è vita excessit Talairandus, ibidem in primaria Ecclesia tumulatus. Paulò ante obitum auctor fuit Collegii nuncupati Petragoricensis Tolosæ, cui deinde ultimam manum imposuit Gregorius hujus nominis XI. ut ex illius Diplomate datô Avenione die 5. Octobris anno sui Pontificatûs V. constat. Petragorii Sacellum Divo Antonio sacrum dotavit, atque in illo duodecim Sacerdotia ea lege erexit, ut singulis diebus Sacerdotes essent, qui Deo Viventi cœlestem hostiam immolarent.

Benè mulctatus libertate donatur.

Talairandus moritur.

Ejus pietatis monumenta.

Interfuit Talairandus quatuor Summorum Pontificum electionibus, videlicet Benedicti XII. Clementis VI. Innocentii VI. & Urbani V. Ad illum Franciscus Petrarcha epistolam tertiam libri primi Senilium dedit; eumque in literis Urbano V. scriptis vocat *Virum oculatissimum, magnæ eruditionis & prudentiæ, ac lucidum Ecclesiæ sidus.* De ejus Scriptis nihil ad notitiam nostram pervenit.

Ejus mentionem faciunt Claudius Robertus in Gallia Christiana. Frizonius in Gall. purp. Aubery in Vita. Odericus Raynaldus in Annal. Lucas Waddingus in Annal. Minor. Carthusiana Historia. Felix Contelorius in Elencho Cardinal. Walsingamus in Odoardo III. Victorellus in addit. ad Ciaconium. Ludovicus Morerius in Magno Dictionario Histor. & Alii.

ANNO

ANNO 1316.

SEDENTE JOANNE XXI. DICTO XXII. PONTIF. MAXIMO.

De

RAYMUNDO ALBERTO GOTTOLANO S. R. E. CARDINALE.

RAYMUNDUS Albertus Gottolanus, sacri Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis captivorum octavus Magister Generalis, & primus ex Clericis ad illam dignitatem (uti paulò mox dicemus) assumptus. Quem ob vitæ sanctimoniam, literarum eruditionem, & egregias tum corporis, tum animi virtutes & dotes, Domestici Scriptores eximiis laudibus concelebrant, ac *Beati* titulo non immeritò exornant. *XXXVIII.* *Raymundi sancta primordia.*

Is Barchinone ex Alberto Romeo & Artalda de Puejo, comitibus de Ruisellon natus, ab eisdem illicò Deo ac Virgini Matri (cujus auspiciis ex voto concepto in lucem venerat) unanimi assensu oblatus, præclara futuræ sanctitatis specimina in ipsa pueritia dederat. Cumque ex ephœbis excedens Fratrum Ordinis de Mercede curæ in Cœnobio Barchinonensi commissus fuisset, ibidemque post navatam sedulò literis operam (in quibus mirum in modum ob ingenii facilitatem profecit) vigesimo primo ætatis anno Doctoratus lauream in Jure Canonico assecutus fuisset; contemptis nuptiis, quas illi consanguineorum turba perquàm splendidas paraverat, innocens Juvenis castimoniæ amator (quam à teneris unicè coluerat) sæculo ejusque pompis ac illecebris valedicens, Deo se in religiosam servitutem annos vixdum triginta natus dicavit; ac quatuor solemnibus votis, Religiosorum illorum propriis, summâ animi alacritate obstrinxit. Jejuniis, vigiliis, meditationibus, cæterisque corporis voluntariis macerationibus perpetuò vacans, adeò profecit, ut Tractatus aliquot spirituales ediderit, omnibus sed maximè Novitiis, quibus instituendis aliquamdiu cum summo Ordinis emolumento præfuit perutiles. Quotidianus & communis illius sermo ferè semper erat vel de Deo, vel de iis, quæ ad Deum conducunt. Illius dicta ad sacrorum instar proverbiorum in unùm collecta, ac ordine Alphabetico disposita inter viros perfectioris vitæ studiosos, tanquam Oracula circumferebantur: quæ deinde Alphonsus Remundus exscripta, Chronico sui ordinis, tum ad memoriam posterorum, tum ad profectum Religiosorum, inseruit. *Ordinem B. M. V. de Mercede ingreditur, & austeram vitam ducit.* *Tractatus aliquot eximiè spirituales, accutiles edit.*

Quater juxtà Ordinis sui Institutum ad captivos redimendos longis se, iisque difficillimis itineribus commisit: illorum supra sexcentos ab Infidelium manibus liberavit; & Granatæ Maurum quendam in Philosophia & Astronomia apprimè versatum ad Christum traduxit, atque collatô baptismate ad frugem correxit. Inter Sarracenos adeò religiosè, comiter, prudenterque se gessit, ut vel

inter ipsos magnam sibi venerationem & auctoritatem conciliaverit. Ad supremas sui Ordinis dignitates, licet invitus & ingemiscens, ascendit. Successit enim Fr. Dominico à S. Petro, ad Cardinalatum eâ tempestate assumpto, in Prioratu Barchinonensis Cœnobii. Erat autem eo tempore Prioratus summa Ordinis dignitas, quam annis decem incredibili prudentia & integritate rexit. Jacobi II. Aragoniæ Regis precibus, Bonifacium VIII. coram Clemente V. Successore adversùs Regis Francorum injurias & machinationes egregiè tutatus est. Ab eodem Rege Jacobo unà cum Petro Fernandez Orator ad Joannem XXII. & Robertum Neapolitanorum Regem missus, discordias inter ipsum Robertum & Federicum Siciliæ Regem in causa Regni Siciliæ exortas utcunque composuit, ex eoque posteà promeruit (uti proximè dicemus) Presbyteris Cardinalibus à Joanne Pontifice adscribi, à quo etiam Apostolica mandata accepit erigendi Ecclesiam Cæsaraugustanam in Metropolitanam.

Magnus Prior sui Ordinis eligitur

Legationibus utiliter perfungitur.

Perfunctus ea legatione Barchinonem redit, & mortuo Fr. Arnaldo de Rossiniol ultimo Magistro Generali Ordinis B. Mariæ de Mercede ex equitibus laicis, anno reparatæ salutis 1317. cùm centum & nonaginta electores in Comitiis Valentiæ in Hispania celebratis adessent, illorum centum & quatuordecim nostro Raymundo (qui jure sui Prioratûs Comitiis illis præerat) album calculum adjecêre, juxtà Clementis V. Decretum *de Clericò & non laico post obitum Arnaldi in Magistrum Generalem totius Ordinis eligendo.* Hanc electionem Joannes Rom. Pontifex ratam habuit, firmavitque, rejecto Berengario de Hostalesio, quem 70. ejusdem professionis viri, qui à Comitiis Valentianis recesserant, alibi in Magistrum Generalem elegerant.

Magister Generalis totius Ordinis eligitur; & multa præclara præstat.

Haud facilè dici potest, quantùm incrementi sub Raymundi regimine sacer ille Ordo sumpserit, cùm nihil ille omiserit eorum, quæ optimum Præsulem, ac Pastorem vigilantissimum decent. Et quamvis occupationibus domesticis assiduâ curâ præpeditus esset, non tamen publicis Principum Christianorum negotiis, aut communi Ecclesiæ utilitati suo studio defuit: nam Galliæ & Aragoniæ Reges de Jure in Monte-pessulano contendentes, arbiter cum nonnullis aliis constitutus composuit, ac pacis initæ inter Pisanos & Aragonenses mediator extitit. Jacobi Aragonensis in Regnum Majoricæ subdubia jura examinavit, ac discussa ex æquitate terminavit.

Nonnulla ejus Scripta.

Librum edidit inscriptum, *Acclamationes Catholicæ circa Ecclesiasticos honores:* in quo à Laicis non esse gravanda sacerdotia variis ac doctis rationibus demonstrat. Edidit & Sermones præstantissimos:

De Tempore.

De Passione Domini.

De Contemptu Mundi.

Aliaque nonnulla pia & utilia opera, quæ inter M.S. Bibliothecæ Vaticanæ asservantur.

Miraculis in vitâ claret.

Miraculis claruisse Raymundum Scriptores sui Ordinis affatim testantur. Inter quæ illud eximium referunt, Hominem illum utriusque tibiæ debilitate laborantem ac eleemosynam à se petentem sanâsse

nâsse iisdem pænè verbis, quibus olim Apostolorum Princeps claudum ad Portam speciosam sedentem sanum reddidit.

Cùm autem talis ac tantus in omnium oculis Raymundus esset, Deo & hominibus gratus, sicuti suâ præsentiâ in Legatione ante dictâ gratiosum atque benevolum habuit Romanum Pontificem, sic absens, tantorum famâ gestorum, eundem etiam habere promeruit remuneratorem. Nam (ut sui Ordinis referunt Historici) anno à partu Virginis 1331. Joannes Rom. Pontifex virtutis ac meritorum ejus gloriâ permotus, submisso per nuncios galero, sacro illum Cardinalium senatui adscripsit. Diu tamen eâ in dignitate non supervixit, nam initio mensis Novembris æræ ejusdem, Valentiæ jejuniis, vigiliis, aliisque laboribus pro Deo & ordinis incremento susceptis confectus, maturæ jam ætatis vir, lethalem in morbum incidit, quo ingravescente cùm lux splendida, adstantibus pluribus, super caput ejus visa fuisset, cunctis præ gaudio ac devotione lacrymantibus, cantu gravi ac modesto verba illa: *Lux perpetua luceat eis*, præcinuit. Cumque jam proximam mortem ex divina revelatione præcognitam haberet, Ecclesiæ Sacramentis ritè munitus, purissimam animam his verbis ad exitum hortatus est: *Proficiscere Anima Christiana & religiosa in nomine Dei Patris omnipotentis, qui te creavit ad imaginem & similitudinem suam; & Filii, qui te in Aracrucis pretioso suo sanguine redemit; & Spiritûs sancti, qui te in Ordinem & Religionem Beatissimæ semper Virginis Mariæ vocavit.* His verbis nullô editô mœstitiæ signô prolatis, spiritum Deo tradidit die 18. Novembris Anno salutis 1331. Corpus ejus, quod tribus diebus (ut piorum desiderio fieret satis) inhumatum remanserat, iis transactis solemni funere illatum est in Ecclesiam Cœnobii sui Ordinis, ubi quievit usque ad annum 1334. quo anno, sexta die Junii, indictâ supplicatione ad Templum Virgini Deiparæ sacrum, quod *de Podio* dicitur, & à Valentia urbe sex milliaribus distat, translatum, in speciali tumulo honorificè conditum est.

Cardinalium cœtui adscribitur.

Sancti moritur.

Agunt de illo Sylvester Marulus in Oceano omnium Religionum. Stephanus Corbera in Vita B. Mariæ Soccos. Jacobus Joannes de Vives in Viridario. Bernardus de Vargas tom. 1. suæ historiæ. Zumel de vitis Patrum & Magistrorum Generalium. Guimeranus Episcopus Jacensis in Historia. Salmeron Episcopus de Truxillo in suis memoriis Seculo II. & Alii.

ANNO 1316.

SEDENTE JOANNE XXI. DICTO XII. PONTIF. MAXIMO.

De

PETRO AUREOLO

S.R.E. CARDINALE.

Uu PETRO

Anno ætatis vigesimo SS. Theologiam Parisiis interpretatur.

XXXIX. PETRUS Aureolus, natione Picardus, patria Vermerius, professione Minorita, à puero totus in studiis fuit, ob admirabilem eruditi ingenii capacitatem inter æquales facilè princeps. Is, antequam sacris initiaretur, Parisiis Scoti Discipulus, vel potiùs æmulus, obtentâ Laureâ doctorali, nonnisi annos viginti natus, sacram Theologiam in Conventu Parisiensi publicè docuit. Vir in divinis & humanis literis interpretandis omnium suâ ætate versatissimus. Ingenio subtilis & acer, disputatione acutus, & in declamandis ad populum sermonibus adeò disertus & eloquens, ut communi vocabulo *Doctor facundus* appellaretur. Tanti viri fama cùm ad aures Joannis Romani Pontificis pervenisset, subjectas ad Ecclesiæ Parisiensis Canecllarium literas exaravit in eum finem, ut Aureolus deinceps, more aliorum Doctorum, publicè doceret. Quæ quia multùm ad laudem Aureoli faciunt, eas hìc subnectere non abs re duxi, sunt autem tales:

JOANNES EPISCOPUS &c.

Dilecto filio Cancellario Parisiensi.

Litteræ Joannis Pontificis de eo ad Cancellariū Parisiensem data.

Sicut partim experientiâ, partim fide dignâ relatione didicimus, & Te ipsum etiam non latere putamus, Dilectus filius Petrus Aureolus Ordinis Minorum sic in studia Theologica facultatis diebus insudavit & noctibus; sic per continuationem studii, & exercitium lectionis profecit laudabiliter in eodem, quòd dignum se reddidit, ut credimus, ad obtinendam publicè docendi licentiam in hujusmodi facultate. Quia igitur ipsum honestate conspicuum, & tantum thesaurum scientiæ, divinâ sibi suffragante gratiâ, assecutum, dignùm est, ut benevolentiâ prosequamur gratiosâ, Discretioni tuæ per Apostolica Scripta mandamus, quatenus eidem Petro juxta morem, qui servari consuevit in talibus, licentiam hujusmodi auctoritate nostrâ, remotò cujuslibet tarditatis obstaculô, largiaris &c. Data Avenione secundo Kalend. Julias, anno Pontificatûs nostri II. qui fuit Christi annus 1318.

In Collegium Purpuratorum legitur.

Petrus ex Ministro Provinciali Aquitaniæ, Archiepiscopus Aquensis tertio Kalend. Martii anno salutis 1321. creatus, sexto pòst anno (teste S. Antonino, Possevino, Frizonio, aliisque infrà laudandis) à Joanne Pontifice Collegio Cardinalium adscriptus est. Quam dignitatem tum vitæ probitate, tum virtutibus, ac scriptis maximè libris conspicuam reddidit.

Admirandū Opus, Breviarium Bibliorum nuncupatum, molitur.

Elucubravit omnium primus doctissimum juxtà ac laboriosissimum Opus, *Breviarium Bibliorum* nuncupatum, quod extat M.S. in Bibliotheca Minorum Toletana, in lucem editum Venetiis anno 1571. & Parisiis anno 1581. Notis illustratum à Stephano Novelletio Theologo Parisiensi. De Breviario hoc Biblico Georgius Ederus, natione Germanus, Juris Consultus & Theologus celeberrimus tale ad Posteros elogium transmisit. *Cæpi de sacrorum Bibliorum artificio summatim explicando diligentiùs inquirere: in qua cogitatione cùm diutiùs, ut par erat, multumq́; versatus essem, en mihi fortuitò (sed quòd constanter credo, non absque Dei quodam nutu) in manus venit liber verè aureus, conscriptus primùm à probatissima opinionis & sanctitatis viro Petro Aureolo, posteà verò à doctissimo viro Jacobo Wimphelingo, magno Germaniæ Theologo, Joanni Eckio, summo pariter Germaniæ Theologo dicatus, qui quòd toties mihi*

Hoc Opus Georg. Ederus Jurisconsultus sumoperè laudat.

evenire

evenire optabam, primâ statim fronte pollicebatur, videlicet Compendium Bibliorum utriusque Testamenti, atque adeò totius Scripturæ Epitomen. Quo semel, atque iterum perlecto, magna cum animi voluptate cognovi divinum hunc virum illud prorsùs ipsum, quòd olim apud Ciceronem Crassus de ipsâ Jurisprudentia proposuit, in hac nostra Theologia Christiana, non tantum pari dexteritate conatum, sed majori etiam laude consecutum fuisse, quàm ab illo ferè potuerit exspectari. Nam sacrosanctum illud divina Scriptura corpus ferè totum in suas primùm partes, ipsas deinde partes in ipsos libros, hos in capita, sive genera, capita verò in versiculos, tanquam generum species, & tandem versiculos in singula sæpè paulò gravioris ponderis verba, tanquam specierum differentias tantò artificiò partitus est, ut tam hujus terrena, quàm illius æterna & immortalis Ecclesiæ formam, atque adeò Bibliorum non solùm Summam comprehendisse, sed etiam artem quandam tradidisse videretur. Mirabar profectò vehementer, utilissimum hoc opus nostris hominibus adeò esse incognitum, quod ferè nullam antea audivissem neque Auctoris, neque Libelli tam excellentis fieri mentionem &c. Hæc Ederus, qui & ipse in hoc genere scribendi præprimis clarus habetur. Præter Breviarium Bibliorum scripsit etiam

Compendium Theologiæ in octo libros divisum. *Alia ejusdem Aureoli Scripta.*

Commentaria in 4. Libros Sententiarum, quæ operâ Constantii Sarnani anno 1595. Romæ typis tradita.

De Conceptione B. Mariæ Librum unum, qui habetur M. S. Tolosæ in Bibliotheca Fuxensi.

Librum, qui inscribitur, Rosæ distinctiones.

Sermones de Tempore.

Logicam, quæ asservatur M. S. in Biblioth. Vatic.

Tractatum de Paupertate, & usu pauperc rerum.

Extant hæc ejus Scripta, teste Luca Waddingo, in Cœnobio Sagiensi Custodiæ Normandiæ, & sæpè in Summa Anglicana laudantur.

Adversus Michaelem Cæsenatem Schismaticā depositionis sententiam urget. AffuitPetrus ante adeptam Cardinalatûs dignitatemComitiis Neapolitanis, in quibus cùm alium à Michaële Cæsenate (qui periculosa dogmata in præjudicium Ordinis Minorum, & Ecclesiæ seminaverat, atque insuper Ludovico Bavaro, à Joanne Pontifice diris execrationibus devoto adhæserat) Ordinis sui Magistrum Generalem peroptâsset, ac procurâsset, non defuêre susurones, qui post depositionem Cæsenati contrarium à se Petri studium referrent, eique ex invidia suggererent, ut illum vindictæ causâ à Cathedra Parisiensi, quam tum moderabatur, proturbaret, atque ad Cœnobium aliquod humile retraheret: piè tamen & religiosè Cæsenatem in hæc verba obtrectatoribus respondisse ferunt: *absit hoc à me, ut egò propter peculiares respectus, aut proprias injurias tantum malum Instituto nostro inferam; & clarissimum hoc lumen sub modio abscondi velim, multò minus extingui.* *Cæsenatis de Aureolo Judicium.*

Minores exorbitantes in Ordinem redigit. Dum verò Petrus Ministri Aquitaniæ officio in Ordine suo fungeretur, jussus est à Joanne Pontifice omnes illos Minores in ordinem redigere, qui specie strictioris observantiæ, discussô Rectorum suorum frænô, ab ordinis obedientia recesserant. Renuerunt illi Petro obedientiam præstare, ac satiùs judicârunt coram

ipso Pontifice comparere & causam dicere. Auditos igitur Pontifex, duriusque de violata obedientia increpitos ad Petrum corrigendos remisit: quos ille, ut erat vir mitis ingenii, nullâ affectos pœnâ, in gratiam atque ordinem recepit.

Petro de Corbario Antipapa, ut resipiscat, Auctor creditur.

Sunt, qui Petrum Aureolum, dignitate purpuræ jam jam auctum, Petro de Corbario auctorem fuisse asserant, Pseudopontificatu, quem instigante Ludovico Bavaro, sub Nicolai V. nomine usurpaverat, sese abdicandi; atque ejurato Bavari consortio Joannem legitimum Pontificem agnoscendi, veniamque ab eo admissi sceleris deprecandi. Lucas Waddingus in Annalibus Minorum scribit, Petrum Corbarium, nullo Aureoli interveniente hortatu, sacrilegæ dignitatis pertæsum, eâ cessisse, ac Joannis Pontificis clementiæ se sponte sua commisisse. Villanus & Ægidius Viterbiensis id negantes, captum vinctumque Avenionem ad Pontificem à Bonifacio Comite perductum contendunt. Alii rem iterum aliter narrant. Et quia frequens apud Historicos Petri hujus Pseudopontificis mentio ingeritur, sed usque adeò succincta, jejuna, interrupta & corrupta, ut quis ille reverà fuerit? quævé gesserit? quo tempore & quamdiù sederit? aut sedem iniquitatis deseruerit? non satis constet: operæ pretium me facturum arbitratus sum, si, quæ sparsim apud Auctores de illo circumferuntur, in unùm colligam, totamque rei seriem lectori curioso hoc loco exhibeam.

Historia Petri de Corbario enarratur.

Fuit igitur Petrus de vico Corbario, natione Italus, gente Aprutinus, Ordinis Minorum in Provincia Romana, & Custodia Reatina professus, qui tunc in Urbe ad S. Mariæ *de Ara Cœli* habitabat. Vir doctus, & ad res gerendas apprimè idoneus, imò, ut B. Odoricus, illius ævi Scriptor candidus, in suo Chronico M. S. attestatur, magnæ pietatis & religionis. Verba Oderici hæc sunt: *Petrus de Corbario inter Minores ultra annos 40. laudabiliter conversatus, magnus Prædicator, & Apostolicus Pœnitentiarius in Urbe, vir magna abstinentia, paupertatis evangelica, & religiosa obedientia, multos aberrantes in viam salutis reduxit.* Ciaconius nobili loco & sanguine natum; Auctor Chronicæ aulæ Regiæ, de cognatione Columnensium Romanorum fuisse, scripserunt. Alii è contrariò, (inter quos Odericus Raynaldus, & Lucas Waddingus) humili loco natum produnt, ac Sacerdotium contaminâsse affirmant, dum in conjugio constitutus, invita uxore Joanna Matthæi dicta, illud susceperit. *Cum illa*, inquiunt, *annis quinque sacro matrimonii fœdere cohabitaverat, à qua denique reclamante ipsa, & invitâ recessit, ne quicquam Episcopo divortii libellum concedente.*

Contra Joannem XXII. à Bavaro Pseudopontifex renunciatur.

Petrus hic à Ludovico Bavaro Romæ contrà Joannem Romanum Pontificem, Pseudopontifex renunciatus anno nostræ salutis 1328. tertio Idus Maji, atque pallio aureo indutus, annuloque pontificali ornatus, dictus est Nicolaus V. Is in Basilica Vaticana sacris de more habitis, à Schismaticis aliquot Episcopis consecratus, ut legitimus Christi Vicarius summis in Urbe honoribus & cultus, & habitus est. Alium anteà ex Ordine Minorum (quem nonnulli Petrum Aureolum fuisse autumant) Ludovicum Bavarum elegisse in Pseudopontificem affirmat S. Antoninus, sed illum nolentem schismati operam dare, sacrilegam dignitatem detestatum recusâsse, atque

que ex urbe noctu, mutato habitu, aufugisse. Joanna Matthæi audità Petri à Corbario mariti promotione, divitiis, quibus ille splendebat, allecta, maritum jam Pontificem locupletem, quem tot annis spreverat monachum mendicum, repetiit. Ille Uxorem, ne pontificio excideret honore, inauditam repulit. Transacta res in publico judicio, porrectô supplici libellô Joanni Episcopo Reatino, qui pro Tribunali discussâ sententiam tulit tertio Kalend. Decembris anni 1328. nullo justo titulo dissolutum fuisse conjugii vinculum, ac proinde Petrum teneri ad Joannam vi sacramenti Matrimonii reverti.

Joanna Matthæi, Uxor quondam Petri de Corbario, eundem Pseudopontificem renunciatum repetit.

Nihil horum Petri animum à malis avertit, tanta est ambitionis libido! quinimò tanquam legitimus Pontifex omnia Christi Vicarii munia sacrilego ausu obivit: duodecim Pseudocardinales quarto à creatione, seu potius execratione, die instituit: Sacerdotia, quæ hostibus eripuerat, cultoribus suis & asseclis contulit: Bullas & privilegia amplissima, ut aurum inde emungeret, elargitus est: Cuncta Joannis Romani Pontificis acta & decreta rescidit: Ludovicum Bavarum, anteà à Laicis coronatum, denuò in Basilica Vaticana, more majorum, diademate aureo coronavit, & confirmavit: Provinciis ditionis Ecclesiasticæ Præsides, & Legatos dedit: Pseudoapostolicos nuncios & oratores ad varios Principes, & Regna misit: & ut Religiosos Dominicanæ Familiæ viros, (qui ut fortissimi pugiles contra ipsum & pseudominoritas pro fide dimicabant) divexaret, Bonifacium iis Pseudocardinalem præfecit. Neque expavit sacrilega Edicta proferre, quibus latam à Bavaro in Joannem Rom. Pontificem sententiam corroboraret; & omnes, qui ei adhærebant, sacerdotiis, dignitatibus, & bonis privaret. Sed his minimè contentus, tyrannidem suam etiam in reliquos Christi fideles exercuit, quos statutis atrocissimis pœnis, à legitimi Pontificis obsequio divellere, sibique conjungere annisus est. Quare duos Romæ nobilissimos viros, quorum alter patriâ Etruscus, alter Insuber erat, quum intrepidè, & constanter assererent Joannem verum esse Pontificem, nec potuisse Apostolico gradu Ludovici Bavari sententiâ dimoveri; Corbarium verò esse Apostaticum, ejusque complices schismaticorum & hæreticorum Synagogam, crudeliter tortos flammis exuri jussit.

Petrus de Corbario Pseudocardinales creat, & reliqua legitimi Pontificis munia sacrilegè exercet.

Sibi contradicentes, & non adhærentes variis pœnis affligit.

Pridiè Nonas Augusti anni ejusdem cùm Rex Robertus, qui à Joanne steterat, in Campaniam, ac conterminas urbi terras cum exercitu penetrâsset, ne in periculum adduceretur, cum Bavaro ac tota Pseudocuria Româ discessit. Illorum discessum lacrymis Romani prosecuti sunt, non amore fidelitatis, sed mœrore super inductæ desolationis moti: quòd urbem scilicet exhauserint, & quælibet pretiosa deprædati abduxerint.

Bavarus cum Nicolao Antipapa Pisas profectus, congregato maximo cœtu, denuò Joannem Romanum Pontificem deposuit, contrà quem Michael Cæsenas, olim Ordinis Minorum Minister Generalis, tunc verò ob hæresim depositus & damnatus, sacrilega verba fecit, ac populum, ne Joanni deposito studeret, acerrimè hortatus est. Interim nuncius è Germaniâ allabitur Fridericum

Bavaro in Germaniam reverso Pseudopontifex capitur, & ad Joannem mittitur.

Cæsarem, non absque veneni suspicione fatis cessisse. Bavarus auditâ Cæsaris Adversarii morte, Pisis Antipapa relicto, in Germaniam, rebus suis consulturus, properavit. Eo autem abeunte Actius Vicecomes, & Pisani olim Ecclesiæ hostes, Bavari amicitiâ ac fœdere rejecto, Legatos Avenionem ad Joannem Rom. Pontificem miserunt, ut errorum commissorum veniam deprecarentur. Illis Pontifex eâ lege ignovit, hâcque eos conditione anathemate solvit, ut Joannes Vicecomes Actii frater Pseudo-Cardinalatûs honorem ab Antipapa acceptum ultrò deponeret, & Episcopatu Novariensi deinceps contentus viveret: Pisani verò, ut Nicolaum Pseudopontificem turbarum in Ecclesia auctorem, ad se illicò transmitterent. Pisanorum Legati his instructi conditionibus, in patriam reduces, ita cum Bonifacio Comite Pisano egerunt, ut ipse Pseudopontificem, quem suæ fidei à Bavaro concreditum in custodiâ habebat, magnis muneribus & pollicitationibus illectus prodiderit; vinctumq; triremibus duabus Roberti Regis commiserit, ac solerti vigilantiâ custoditum Avenionem ad Joannem miserit. Ita breviter Ægidius Viterbiensis in Chronicò: *Antipapa capitur, ac per Bonifacium Pisanum Comitem Avenionem perducitur, ubi in carcerem tractus infanta pœnas dedit.*

Veniam precatur & misericordiam implorat.

Pseudopontifex, antequam Pisis Avenionem versùs abduceretur, inter angustias deprehensus, cum diffugia diu quæsita aucupari non posset, Pontificis misericordiam tentandam ratus, ad eam sibi conciliandam supplices hasce literas doloris & veræ pœnitudinis indices trasmisit, quibus ejuratô Bavarô, Antipapatûs correpti crimen execratus, Joannem verum, legitimumque Christi Vicarium agnovit.

REVERENDISSIMO, AC SANCTISSIMO PATRI, ET DOMINO,
DOMINO JOANNI PAPÆ SACROSANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ,
Frater Petrus de Corbaria, dignus omni pœnâ,
Seipsum ad pedes cum reverentiâ veræ subjectionis.

Supplices ejus ad Joannem littera.

Licèt secundùm Canonem Evangelicæ Veritatis, qui non intrat per ostium in ovile gregis Dominici, fur appelletur, & latro rapacitatis lupinæ: *audiens, & considerans diligenter tanta enormia scelera pravitatis hæreticæ stylo ferreo exarata in ungne adamantino quanta dicebantur à multis de Vestra solida fide, sicut præsumptuosus, temerarius, & superbus ascendi super astra cæli Ecclesiastici, ubi mihi meis peccatis exigentibus parata fuit sedes iniqua prælationis. Sed postquam deveni ad territorium Pisanum, & quæsivi diligentissimè de prædictis, & inveni, quod obliqua erant, & falsa, & deficiebant in pondere veritatis, dolui, & doleo vehementer, & pœnitet me fecisse, quæ feci contra jura, & leges Vestri sanctissimi nominis de consilio perversorum. In cujus rei testimonium jam est annus completus, quòd Adversarium Vestrum dimisi spontè, & Sedem mei præsumptuosi culminis dereliqui; & propono firmiter in Civitate Pisana, & etiam in urbe, atque ubique locorum renuere, secundùm quòd Vestra benignissima Sanctitas decreverit ordinandum. Et quia gravissimè peccavi, & erravi patenter in invio, & in via, supplico Vestræ clementissimæ pietati, quatenùs mihi maximo peccatori dignetur parcere secundùm multitudinem magnam misericordiæ Dei Vivi, ut rediens ex totis visceribus reliquias deleam, & an-*

& annihilem supradictorum de cordibus universorum fidelium, & ora claudam omnium obloquentium de Vestra serenissima Sanctitate; & Ecclesia Dei de cætero sit unus Pastor, & unum ovile pro pace totius populi Christiani. Datæ in confinibus Lucanorum. Hæc Petrus de Corbario in Ecclesiæ potestatem lapsus demissè scribebat, qui dum Ludovici Bavari potentiâ nitebatur, Pontificem Maximum, nonnisi *Joannem è Caturco Hæreticum, & exauctoratum* appellabat, atque inanibus anathematum suorum fulminibus percutere satagebat. Illum tamen seu verè, sive in speciem resipiscentem paterno sinu excipere decrevit Pontifex, uti subjecto Diplomate ipsemet testatur. *Suscipitur in gratiam*

JOANNES EPISCOPUS &c.

Petro de Corbario Ordinis Fratrum Minorum, quod cœpisti laudabiliter, feliciter adimplere.

Profectò, Fili, ex dictarum serie literarum percepimus immensam tibi exultationis & gaudii materiam ministratam esse: nunquid enim non ingens materia gaudii, quòd tibi ambulanti in tenebris, & quasi in profundum malorum prolapso, lux illa vera, quæ omnem hominem venientem in hunc mundum illuminat, illuxisse videtur, manumq; suam tibi, ut de profundo malorum exeas, misericorditer porrexisse? Sanè quia affectum paternum non prætereunt commoda filiorum, nos expertes non sumus illius gaudii, quod utique inane existeret, si quod cœpisti laudabiliter Spiritûs Sancti gratiâ, feliciter non compleres. Et quoniam nemo ponens manum ad aratrum, retrò respiciens aptus est Regno Dei, hortamur te in Domino, & rogamus, ut attentè provideas, ne spiritum tam benignum extinguat, sed ipsum in te nutrient, ejus inspirationes exequi cum omni promptitudine & reverentia studeas. Et quia sæpè nocuit differre paratis, sæpeq; vidimus tempus à manè usq; ad vesperam immutari, sano tibi suademus consilio, ut mora cujusvis vinculis interruptis & laqueis, de tenebris ad lucem, ac de morte ad vitam exire, ac pervenire festines, nihil hæsitant, quin Nos (si compensaveris facta dictis) reperies Patrem benignum, pium, propitium, & omnium tuarum immemorem offensarum &c. *Paternæ Joannis ad Eum Literæ.*

Postridiè quàm Avenionem pervenerat, in publico Consistorio, cinere conspersus & lacrymis, ac insertô in collum laqueô ad Pontificis se pedes abjecit: consurgere jussus, veniamque erratorum, & vitæ spatium ad pœnitentiam, deprecatus, publicam fidei professionem, sacramentô posteà firmatam, recitavit. Qua finita Pontifex è throno consurgens, ejusque orationi respondens, præ nimio gaudio illacrymavit, eumq; è terrâ sublatum amplexus & osculatus est. Ne verò Christiana Respublica turbaretur, aut novi tumultus exorirentur, si liber in Italiam rediret, cubiculum, libros, custodes, & victum illi assingnavit, custodibus districtè mandans, ne quemquam cujuscunq; conditionis aut dignitatis, se inconsulto, ad ejus alloquium intromitterent. Sicque in tristi illo silentio sensim ex animi mœrore contabescens triennium propè integrum & mensem complevisse scribitur. Defuncti corpus Minorum habitu indutum, jussu Pontificis, ad Ecclesiam Minorum nocturno tempore delatum, nullo honore exhibito, nullôq; superstite titulô Avenione tumulatum est. Cardinales, qui ab eo perperam creati fuperant, ejus captione, abdicatione, & morte intellecta, abdicarunt & ipsi. Sicq; pax, sublatô dirô schismate, (quod *Agit pœnitentiam.* *Paulò post ex animi mœrore moritur.*

(quod per annos tres, totidemq; menses, ac dies quatuor supra in Ecclesia Romana duravit) ei reddita est. Alii tamen rem accuratiùs considerantes, eum sedisse putant annos dumtaxat duos, menses tres, dies duodecim; quibus & ego assentior. Namà die 13 Maij anni 1329. quo à Bavaro ad Solium iniquitatis evectus est usque ad diem 25. Augusti anni 1330. quo suos detestatus errores, Joanni Pontifici supplex factus est, nonnisi annos duos, menses tres dies duodecim computabit, qui ritè numeraverit.

Quamdiu sederit?

Quòd verò spontè & ex propria voluntate (ut benè quidam cum Luca Waddingo noâtrunt) non seductus à Pisanis, nec coactus à Bonifacio Comite, sed potiùs ab Aureolo, viro prudentissimo & integerrimo persuasus, impiam Pontificatûs umbram deposuerit, ac errores suos detrectaverit Corbarius, ubique in omnibus literis ad Reges & Principes scriptis, ipse Joannes palàm testatur. Atque hanc rationem objecit Joannæ Reginæ Franciæ, dum deprecaretur veniam cuidam Conrado in hæresim prolapso & capto, sed resipiscenti & misericordiam postulanti; quam ut faciliùs impetraret, crimen Corbarii maximum, sed misericorditer remissum opposuit; cui tamen Pontifex ita respondit: *Nec quòd de Antipapa proponitur, juvat istum; Antipapa quidem non captus, sed liber errorem suum recognovit, & per suas literas veniam à nobis humiliter postulavit, offerens se paratum in omnibꝫ locis, in quibus Nobis videretur expediens, confiteri scelera sua, & quæ contra Nos fecerat, vel dixerat, revocare &c.* Eadem ferè respondit Romanus Pontifex Joanni Boëmiæ Regi, reconciliationem Ludovici Bavari urgenti: *Secundo,* inquit inter alia, *quia ipsemet Petrus de Corbario reatum suum humiliter recognoscens, à statu suo, quem de facto receperat, illi renunciando se de facto deposuit & ab ipso Bavaro discessit.* Quare Lucas Waddingus in Annalibus Minorum ad annum 1330. Villanum historicum, aliosq; cum illo sentientes, quadraginta tribus pontificiis Diplomatibus, aliisq; monumentis Vaticanis, quæ præ manibus habuit, rejecit scribentes, *Pisanos dolosè & proditoriè eum misisse Avenionem.* Ac perperàm etiam Platinam, & Ægidium Viterbiensem referre ostendit, *Bonifacium Comitem eum Avenionem captivum perduxisse.* Atq; hæc in gratiam Petri Aureoli, qui Corbario, ut abdicaret & resipisceret auctor fuisse creditur, hoc loco memorâsse suffecerit. Si quem plura scire delectat, consulat Abrahamum Bzovium, Alphonsum item Ciaconium in vita Joannis XXI. dicti XXII. & Augustinum Oldonium in Schismate XXXV. Romanæ Ecclesiæ. Nos ad institutum, à quo fortassè plùs æquo digressi sumus, revertamur.

Spontè illum Pontificatû deposuisse Authores cũ fundamento contendunt.

Contrarium tenentes refelluntur.

Lucas Waddingus in Annalibus Minorum, & Felix Contelorius, ac novissimè etiam Ludovicus Morerius in magno suo Historico Dictionario, Petrum Aureolum è Cardinalium numero excludunt, tum quia in libris sacri Collegii non inveniri dicitur; tum quia eôdem, quo multi alii, laborat infortuniô, scilicet quòd toto vitæ suæ tempore Cardinalatûs titulo caruerit, nec quicquam uti Cardinalis (quòd quidem memoriæ proditum sit) egerit. Verùm hæ rationes, meo quidem judicio, usque adeo potentes, aut convincentes non esse videntur, ut Aureolus earum intuitu circà Purpuram dispendium pati, aut in controversiam trahi debeat: aliàs

Aureolus contra quosdam Cardinalis asseritur.

aliàs multi alii, titulis, gestis, & Auctorum narrationibus egentes, è sacroCardinalium Albo expungendi venirent. Illum certè Cardinalem agnoscunt, deprædicant, & contendunt præter suprà laudatos S.Antoninum, Possevinum & Frizonium, probatissimi Auctores, nominatim Raphael Volateranus, Claudius Robertus in Gallia Christiana, Hippolytus Marraccius in Purpura, & in Bibliotheca Mariana, Nomenclator Cardinalium, Gaspar Arturus à Monasterio in Martyrologio Franciscano, Gaspar Caccinus in historia Ecclesiastica, & Gaspar Jongellinus in Elogiis Cardinalium Ordinis Minorum, & novissimè Augustinus Oldoinus in additionibus ad Ciaconium: quorum profectò omnium Auctoritati non deferre, aut temerè contradicere, pænè piaculum arbitrârim.

Cæterùm obiit Aureolus doctrinæ fama & vitæ sanctitate illustris Quinto Calendas Maij. Anno salutis 1332. Ejus elogium Gaspar Arturus in Martyrologio Franciscano V. Kal. Maij his verbis contexit: *Aquis in Gallia Beati Petri Aureoli, Aquensis Archiepiscopi, & Sacra Romana Ecclesia Cardinalis, qui doctrina & eloquentia, ac concionandi munere pollens, vita quoque sanctitate emicuit.* *Sanctè moritur.*

De eo prater allatos agunt Marcus Ulyssipponensis in Chronico Minorum. Hieronymus Platus de Bono statis Religiosi. Tossignanus in Hist. Seraphica. Sixtus Senensis lib.4. Biblioth.Sancta. Bellarminus de Scriptoribus Ecclesiasticis. multiq; alii.

ANNO 1334.

SEDENTE BENEDICTO XI. DICTO XII. PONT. MAX.

De

BERTRANDO DEUCIO
S.R.E. CARDINALE.

BERTRANDUS Deucius, nobilis Gallus, natus in oppido Blandiaco Uticensis Diœcesis, vir pietate, literis & virtutibus illustris, Legum Pontificalium & Cæsarearum Doctor insignis, Jurisprudentiam, qua instructissimus habebatur, Parisiis publicè magno cum plausu professus est. XL. *Parisiis Juris prudentiam docet.*

Anno verò salutis 1337. cum Benedictus XI. Cardinalium numerum augere, ad optima in dubiis & difficillimis rebus consilia explicanda, decrevisset: Bertrandum Deucium, Regis Francorum gratiâ jam anteà ad Archiepiscopatum Ebredunensem evectum, virtutibus & scientia apprimè excultum, absentem Presbyteris Cardinalibus titulo S. Marci adscripsit, atque has ad eum literas exaravit.

Urgens Universalis Ecclesia non dissimulanda necessitas istis temporibus Nos & Fratres nostros reddidit anxios in perquirendis viris secundùm cor nostrum idoneis, ad Cardinalatus præeminentiam assumendis. Opus quidem esse ipsi Ecclesiæ conspicimus, ut ad tantum ministerium ritè exequendum viri dumtaxat assumantur idonei, Deum timentes, diligentes justitiam, libidinem & avari- *Purpurâ qui nam digni?*

avaritiam abhorrentes. Ideoq; nos cum fratribus nostris, prahabitâ deliberatione providâ & maturâ, inter alios, quos ad tantum gerendum officium, nostrum & dictorum fratrum consilium honorare decrevit, ad personam tuam, quam bonorum omnium Largitor altissimus multis virtutibus insignivit, nostra considerationis intuitum dirigentes, Te ad onus hujusmodi ministerii de fratrum ipsorum consilio duximus assumendum: Datum Avenione XIV. Kal. Januarii. Anno Pontificatûs nostri IV.

Ante Purpuram Legatione Siciliana perfungitur. Antequàm autem Cardinalis honore & nomine cohonestaretur, Benedicti jussu decretus est Nuncius in Siciliam, ad Robertum Regem in Pontificia verba adigendum, ut testantur literæ ad ipsum Robertum datæ Avenione Nonis Maij anno sui Pontificatûs primo: in quibus hæc de Bertrando legimus: *Venerabiles Fratres nostros Bertrandum Ebredunensem, quem ad Te super hoc destinamus, & Joannem Neapolitanum in ipsis partibus existentem, Archiepiscopos, de quorum circumspectionis industria, fide & fidelitate probata fiduciam in Domino gerimus specialem &c.* *Litteris Apostolicis munitur, & commendatur.* In iis verò, quas ad Federicum Trinacriæ Regem idem Benedictus anno eodem scripsit, hæc habet: *Super his autem, & nonnullis aliis præmissa tangentibus, Tibi ex parte nostra oretenùs seriosè, ac particulariter enarrandis, Venerabilem Fratrem nostrum Bertrandum Archiepiscopum Ebredunensem, quem propter sua probitatis constantiam, grandiaq; dona virtutum ad hac utilem per experientiam novimus, ad Tuam præsentiam providimus destinandum: Quem tua Magnitudo ob Sedis Apostolica, & nostram reverentiam benignè recipiat, prosequatur honorificentiâ debitâ, sibiq; referenda super præmissis pro parte nostra credat, ac illa deducat ad votiva ac sperata executionis effectum. Sciturus pro firmo, quod si Tu monitionibus & exhortationibus paternis hujusmodi aquieveris cum effectu, & de præmissis omnibus satisfactionem debitam (prout tui statûs ratio & decentia exigit) Nobis, & Ecclesia Romana impenderis, apertè cognosces, Nos & dictam Ecclesiam adesse Tibi, quantùm cum Domino poterimus, favoribus & præsidiis opportunis &c.*

Aliis legationibus decoratur: & quid gesserit, enarratur. Deinde, ut Bononienses, qui ab Ecclesiæ obedientiâ desciverant, ad obsequium Benedictus revocaret; & Romanos novas res molientes, in officio contineret, Anno 1336. Bertrandum hunc Sedis Apostolicæ Nuncium ad illos cum literis transmisit.

A Clemente posteà Sexto, Benedicti Successore, Episcopis Sabinensibus adscriptus, Vice-Cancellarii munere functus est. Nec multò pòst, ejusdem Clementis jussu, ad Petrum Aragonensem in Hispaniam se contulit, ad sedandum Balearium, & Aragoniæ Regum bellum. Induciis inter illos Reges statutis, ad Pontificem rediit, à quo cum amplissima rursùs potestate in Italiam Legatus missus, ditionis Ecclesiasticæ restaurandæ, & protegendæ munus accepit. In hac legatione inducias inter Ursinos & Columnenses, Proceres Romanos, qui Guelphorum & Ghibellinorum partes tuebantur, ad biennium pactas in Ecclesia Capitolina Aræ-Cœli, præsente Clero, Senatu, Populoque Romano ad diem Januarii decimum anno à partu Virginis 1346. publicatas roboravit, easquè violare præsumentibus anathema dixit.

Eodem anno Regnum Neapolitanum ejusdem Clementis jussu petiit, ut in Auctores cædis Andreæ Regis Neapolitani inquireret, & Re-

& Regicidas anathemate defigeret. Eò delatus cùm nec à Reginâ, nec à Regni Proceribus eo quo decuit honore exceptus fuiſſet, neque ullam ipſe ſpem & remedium, rebus quaſi ad extrema redactis, ſupereſſe videret, abruptâ legatione ſeceſſit Beneventum; ubi, licèt flocci à pluribus æſtimatus, tamdiu hæſit, donec Ludovicus Hungariæ Rex, fraternam cædem ulturus, è Pannoniâ cum ingenti Claſſe in Regnum Neapolitanum irrumperet: cui pontificio nomine occurrens, pactis certâ lege induciis, facilè perſuavit, ut acceptata compoſitione, omiſsô interim bellô, vel potiùs dilatô, ad ſua pacificus remearet. *Rebus Neapolitanis egregiè conſulit.*

Anno deinde ſalutis 1348. fidei propagandæ Legatus conſtitutus has à Clemente Pontifice meruit accipere literas: *Plenam de tua probitatis, & circumſpectionis prudentiâ, & donis virtutum Tibi à Domino conceſſis, fiduciam obtinentes, Te ad Regnum Siciliæ, Terras, ac Provincias Eccleſiæ Romanæ immediatè ſubjectas, cæteraſq; partes Italiæ cum plenæ legationis officio, & aliis negotiis tibi per Nos commiſſis variis, de Fratrum noſtrorum conſilio providimus deſtinandum. Cupientes itaq; fidei negotium ſic ubique dirigi, ut nihil circa illud inhoneſtum committatur, vel ſiniſtrum: ut per te, vel alium, ſeu alios de Inquiſitorum hæretica pravitatis infra terminos legationis tuæ conſtitutorum exceſſibus inquirere, ac de illis quibusvis conquerentibus juſtitiam facere, ac de quibus tibi videbitur, illos ab officiis removere, & alios ſubſtituere valeas, contradictores per cenſuram Eccleſiaſticam, appellatione poſtpoſitâ, compeſcendo, plenam Tibi concedimus tenore præſentium poteſtatem. Datum Avenione iv. Idus Auguſti, Pontificatûs noſtri anno V.* *Eidem negotium propagandæ fidei committitur.*

Bertrandus hac inſtructus auctoritate, negotio fidei propagandæ invigilans, hæreticæ pravitatis Inquiſitorem in Italia conſtituit Joannem Spellanum Minoritam, virum ſumma probitate, doctrinâ & zelô fidei conſpicuum: cujus ſolerti operâ virus hæreſeon, diſſenſiones, & ſchiſmata, magna ex parte, totâ Italiâ vel ſublata ſunt, vel compreſſa, prout ex literis à Spellano ad Bertrandum eâ de re datis colligitur. *Ejus pietatis monumenta.*

Bertrandi Cardinalis impenſis paulò ante obitum conſtructæ & dotatæ ſunt Ædes ſacræ Divi Deſiderii Avenione, ſicut & Monaſterium Carthuſianum, ut teſtatur gemina Inſcriptio, foribus earundem Eccleſiarum, ad memoriam beneficii, appoſita.

Scripſit vitam & Paſſionem Chriſti carmine ſaphico. *Quæ ſcripſerit?*
Tractatum de gloria Martyrum.
Dialogum de Gentium converſione.
Aliaque nonnulla inter M. S. Bibliothecæ Vaticanæ aſſervata.

Interfuit Concilio Avenionenſi, & poſt obitum Benedicti ſuffragium dedit primò pro Clemente VI. deinde pro Innocentio VI. ſub quo demùm glorioſum vitæ curſum terminavit Avenione, XII. Kalend. Novembris Anno 1355. Sepultus in Templo S. Deſiderii à ſe, dum viveret, conſtructo: cum hoc Elogio funerali. *Ejus obitus.*

HIC JACET BONÆ MEMORIÆ BERTRADUS DE DEUCIO, GALLUS, CASTRI DE BLANDIACO UTICENSIS DIOECESIS, LEGUM DOCTOR EGREGIUS, QUI FUIT EBREDUNENSIS ARCHIEPISCOPUS, ET DEINDE TITULI *Ejuſdem Epitaphium.*

S. MARCI PRESBYTER CARDINALIS, DEMUM EPISCOPUS SABINENSIS, ET S.R.E. VICECANCELLARIUS. VIR MAGNARUM VIRTUTUM, ET SCIENTIÆ, QUI DE SUIS BONIS HANC ECCLESIAM DOTAVIT, ET FIERI CURAVIT. OBIIT AVENIONE XXI. OCTOBRIS ANNO A PARTU VIRGINIS M CCC LV. DOMINI INNOCENTII PAPÆ VI. TERTIO. CUJUS ANIMA IN PACE QUIESCAT.

Ejus mentionem faciunt Panvinius in Vitis Pontif. Contelorius in Elencho Cardin. Raynaldus in Annal. Frizonius in Gall. purp. Anbery in vita. Nomenclator Cardinalium. Claudius Robertus in Gallia Christiana. Henricus Spondanus in Annalibus. Victorellus, Ughellius, & Oldoinus in addit. ad Ciac.

ANNO 1334.

SEDENTE BENEDICTO XI. DICTO XII. PONT. MAX.

De

GUILLELMO CURTI
S. R. E. CARDINALE.

XLI. GUILLELMUS Curti, Gallus Tolosanus, Benedicti XI. Rom. Pontificis ex fratre nepos, repudiatis in ipso juventutis flore mundi illecebris ac opibus, quibus ob singularem formæ elegantiam affatim non tam impetebatur, quàm impugnabatur, divino se famulatui in Monasterio Balbonensi Ordinis Cisterciensis, Mirapicensis Diœcesis devovit. Lutetiæ Parisiorum altioribus disciplinis imbutus, Laureâque doctorali ornatus, cùm redux domum, bonis omnibus probaretur, ob eminentem virtutis & scientiæ famam Abbas sui Monasterii omnium votis eligitur. Ex Abbate à Patruo Pontifice anno salutis 1337. Episcopus Nemausensis renunciatus, sequenti anno Presbyteris Cardinalibus titulo SS. Quatuor Coronatorum ab eodem Pontifice aggregatus est.

Abbas Cisterciensis, mox Episcopus Nemausensis, denique Cardinalis renunciatur.

Sublato circà salutis annum 1342. è vivis Benedicto, affuit Avenione Comitiis sacris, in quibus renunciatus est Romanus Pontifex Clemens, hujus nomenclaturæ Sextus, à quo statim maxima instructus auctoritate in Italiam missus est Legatus. Laniabatur ea tempestate continuis factionibus ac bellis inter cæteras Italiæ Provincias, præprimis Insubria, tum Magnatum ambitione, qui novos condiderant Principatus, suosque fines æquo latiùs & iniquiùs proferre annitebantur; tùm Interregni diuturnitate, cùm nullius justi Regis metu aut potentiâ comprimi possent. Ad eos itaque conciliandos & in ordinem redigendos, pacemque publicam procurandam & alendam visum est Clementi Pontifici eò destinare Guillelmum, virum ad id muneris omnium maximè solertem & idoneum: De quo ejusdem Clementis vitæ Scriptor hæc ad posteros transmisit: *Dictus Papa audiens bella, dissensiones & turbationes, quæ erant & vigebant quasi communia mala in partibus Italiæ, ex quarum occasione subversio* *earum*

Legatur in Italiam bellis & factionibus divexatam.

earum verisimiliter evenire poterat; & etiam ex aliis rationabilibus causis ad hoc animum suum moventibus, per idem tempus misit Legatum suum de Latere ad partes memoratas Dominum Guillelmum Curti Presbyterum Cardinalem, qui aliquamdiu ibidem permansit.

Plures gravissimæque causæ Clementem impulerant, ut summa studia ad extinguenda Insubriæ bella converteret. Eorum enim occasione libidini & improbitati frœna laxabantur impunè; Religionis obsolescebat splendor; fides superis & hominibus debita vacillabat; multisque passim virus hæreseôn variorum fraude impostorum afflabatur. Præterea optabat providus Pontifex rubentes hactenùs Christiano sanguine enses in Turcas, aliosque Christiani nominis hostes convertere. Cùm enim Barbari in Thraciam, Achaiam, Peleponesum, Ægeique maris Insulas, immanes excursiones facerent, ad horum impetus coërcendos nullis viribus, nisi Italicis cum Rhodiis ac Cypriis conjungendis opportuniùs uti poterat. Impendebat etiam Italiæ, in factiones distractæ, alterius belli terror è Germania: quippe Ludovicus Bavarus contubernii Margarithæ comitissæ cum Ludovico Juniore specie, Tyrolis Comitatum invaserat, atque ex Alpium jugis ad totius Italiæ depopulationem cum Germanorum copiis decurrere iterum minitabatur. Jungenda propterea erant Principum Italicorum arma ad infestos illius conatus comprimendos, ne fortè novum iterum (quòd maximè timebetur) in Ecclesia Dei Schisma conflaret. *Quibus de causis in Italiam missus sit?*

Hujus autem legationis Guillelmi Cardinalis causæ omnes in Diplomate Apostolico expressæ inveniuntur: vigore cujus eidem injuncta provincia, ut in Insubria, Liguria, Aquileiensi & Gradensi Patriarchatibus, Dalmatia & Creta Insula, quæ ad tuendum Religionis splendorem conducerent, sanciret; grassantis hæresis semina præfocaret; Principes ac populos dissentientes conciliaret, firmoque fœdere ad repellendum Italiâ Bavarum copularet, atque unà cum Venetis, aliisque Principibus de conferendis contra Turcas auxiliis, ornandaque sacra expeditione pro defendenda Europa consilia agitaret. Quæ omnia, ut faciliùs procederent, ac decretæ executioni mandarentur, instructus est Guillelmus Legatus amplissima Auctoritate, fœdera paciscendi, inducias indicendi, censuras Rebellibus incutiendi, Præsules sibi adversantes coërcendi & mulctandi. *Summâ Auctoritate instruitur.*

Eodem Diplomate Aquilejensis & Gradensis Patriarchæ, Mediolanensis, Genuensis, Jadertinus, Spalathensis, Ragusinus, Cretensis, Antibarensis, Archiepiscopi, cæterique Provinciæ Præsules, ac Principes ad explicandam pro sanciendo cum Venetis & aliis populis sacro in Turcas fœdere, & arcendum è finibus Italiæ Bavarum, qui se Italiam subacturum gloriabatur, Legato opem excitati. Denique collata Guillelmo Cardinali potestas Apostolica, sacra Concilia promovendi, Synodus cogendi, injustas coitiones rescindendi, contraria sacramenta dissolvendi, inducias inter dissidentes, si necessitas posceret, indicendi, omniaque peragendi, quæ vel honori divino, vel Ecclesiæ commodo, vel publicæ tranquillitati quomodolibet conducere, & expedire viderentur.

Legatione commissa strenuè perfungitur.

Perfunctus est strenuè demandato sibi munere Guillelmus, neque enim Italis Principibus mutuo fœdere conjunctis, ausus est Bavarus Italiam ingredi, multoque minùs infestare, suam potiùs in Germania factionem confirmare coactus, quàm novam discriminum potestatem adire. Quin etiam confœderatæ Germanorum copiæ, quæ Æmiliam longo tempore depascebant, Italiâ exactæ fuerunt, ut refert pluribus Cortusiorum Historia. De sedatis porrò, Induciarum beneficiô, Italicis discordiis à Guillelmo, meminit Clementis VI. vitæ Auctor his brevibus verbis: *In multis complevit sibi commissa Legatus, dissensiones sustulit, odia internecina extinxit, bella per inducias sedavit.* Quibus per omnia consentiunt, quæ de gestis Guillelmi Legati Clemens ipse Romanus Pontifex in literis ad Italiæ Principes anno sui Pontificatûs quarto datis commemorat; Has autem descriptas curiosus Lector inveniet apud accuratissimum Historicum Augustinum Oldoinum S. J. in additionibus ad Ciaconium, ubi de Guillelmo ex professo agit. Completo legationis suæ munere, ad Curiam rediens à Clemente Pontifice, totoque Patrum Senatu ob pacatam magna ex parte Italiam; abactum Bavarum; concordatos Principes; conciliatos Populos; eliminatas hæreses; assertum Religionis splendorem; excitatos in Turcas Fideles; summo honore exceptus, in præmium benè navatæ operæ Episcopatu Tusculano donatus est, quem ad mortem usque inculpabili vitæ moderamine & integritate rexit.

Episcopatu Tusculano donatur.

Parisiis in florentissima Scientiarum Academia insigne Collegium Cisterciense, *Bernardistarum* vulgò appellatum, à Benedicto Patruo inchoatum, suis sumptibus perfecit, ac Templum celebre, illi contiguum extruxit, cui tamen ultimam manum morte præventus imponere non potuit. Libris quamplurimis, undequaque conquisitis, magnoque ære comparatis ejusdem Collegii Bibliothecam exornavit, atque annuos redditus larga manu, ad sexdecim Theologiæ Studiosos in perpetuum alendos, suppeditavit. Prout ex Inscriptione, præ foribus ejusdem Collegii apposita, hodiedùm colligitur.

Parisiis insigne Collegium, à Benedicto Papa inchoatum perficit.

DOMINUS GUILLELMUS QUONDAM CARDINALIS, DOCTOR THEOLOGIÆ, TOLOSANUS NATIONE, CISTERCIENSIS RELIGIONE, ECCLESIAM PRÆSENTEM AD PERFECTIONEM, QUALEM OBTINET, PERDUXIT. BIBLIOTHECAM INSIGNIVIT, SEXDECIM SCHOLARES IN THEOLOGIA STUDENTES PERPETUO FUNDAVIT.

Hic, cùm esset eruditione clarissimus, plurima tum ligatâ, tum solutâ oratione conscripsit opuscula, quæ in Collegio Lutetiano Cisterciensi M.S. asservari dicuntur. E vita migravit ad superos Avenione die 22. Junii, anno ab orbe redempto 1361. ibidem sepultus, ut refert ex Tabulis Vaticanis Contelorius in Elencho Cardinalium. Cui potiùs inhærendum censeo, quàm Frizonio, qui eundem cum Guillelmo de Aura pariter Cardinali Ordinis Divi Benedicti confundens, epidemiæ morbo infectum, animam efflâsse asserit Anno salutis 1356.

Scripta ejus, & obitus.

Ejus

Ejus meminère Panvinius in Vitis Pontif. Frizonius in Gallia purp. Aubery in Vita. Claudius Robertus in Gallia Christiana. Raynaldus in Annal. Ughellius in Italia sacra. Waddingus in Annal. Minorum. Felix Contelorius in Elencho Cardinal. & Alii.

ANNO 1334.

SEDENTE BENEDICTO XI. DICTO XII. PONT. MAX.

De

RAYMUNDO COMITE MONFORTIO S.R.E. CARDINALE.

RAYMUNDUS, dictus de Tolosâ, natione Gallus, nobilissimis ortus natalibus, filius tertio-genitus Comitis de Monfort, clarissimum Ordinis Beatæ Mariæ de Mercede Redemptionis captivorum sidus, florenti ætate, urgentibus meritis, inter Presbyteros Cardinales à Benedicto Rom. Pontifice cooptatus, Titulo S. Stephani in Cœlio Monte cohonestatus scribitur ab Alphonso Remondo, & Jacobo Vives, sui ordinis Historicis. Verùm, si Ciaconio & Oldoino credimus, in cœlum jam ille abierat Barcinone, quando ad illam urbem Pontificius Nuncius cum Insigniis Cardinalitiis, Raymundo à Benedictô destinatis pervenit. XLII.

Juvenis adhuc in sacrû Senatum legitur.

Hic adhuc puer Deiparæ Virginis voce ad Religiosum Ordinem illectus, tantum in illo profecit cùm literis, tum vitæ sanctimoniâ, uttanquam publicum virtutis & scientiæ oraculum sæpiùs adiretur; maximamque eximiæ doctrinæ opinione totâ Hispaniâ & Galliâ existimationem aquisiverit, ac rebus præclarè gestis æternam nominis sui memoriam in ventura sæcula summa cùm laude propagaverit. Semel atque iterum non sine capitis periculô pro redemptione captivorum ex Hispania præcipuas Africæ urbes, unô dumtaxat sociô comitatus, pedes adiit. Qua occasione disputationes plures, easque doctissimas cum Judæis & Legis Mosaicæ Magistris, inspectante & audiente populo habuit, quorum aliquos, dilucidis argumentorum rationibus convictos, ad Evangelicam veritatem traduxit, & sacro fonte propriis ipse manibus expiavit.

Vitæ Sanctimoniâ, & doctrinâ laude floret.

Peregrè ad redimendos Christi fideles proficiscitur.

Ad immortalem vitam piissimo exitu transiit anno salutis 1337. recepturus beatam cœlestis præmii coronam, cùm in terris ejus virtutes sacrâ purpurâ ornare Christi Vicarius Benedictus decreverat.

Sanctè moritur.

Ejus mentionem faciunt Alphonsus Remondus in historia Ordinis B. Mariæ de Mercede Redemptionis captivorum. Joannes Jacobus de Vives in Viridario Mercenario. Ciaconius in Vita. Oldoinus in addit. ad Ciaconium.

ANNO

ANNO 1334.
SEDENTE BENEDICTO XI. DICTO XII. PONTIF. MAX.

De

BERNARDO DE ALBIA
S. R. E. CARDINALE.

XLIII. BERNARDUS (aliis Bertrandus) de Albia, Gallus Tolosanus, vir ætate sua (ut multa paucis complectar) rerum peritiâ, scientiarum laude, dicendi artificiò in paucis unus, à doctissimo Petrarcha contemporaneo non imeritò inter Literatos Cardinales repositus, & cultus. Hic ex Episcopo Rutenensi (Rutenorum civitas Segodunum sub Metropoli Bituricensi in Gallia est) Presbyteris Cardinalibus titulo S. Cyriaci in Thermis à Benedicto XII. adscriptus; eo sublato à Clemente VI. Aragoniæ & Majoricarum legationem obtinuit Quinto Idus Junii anno reparatæ salutis 1343. Hunc Clemens Pontifex inter alia mandata, amplissimâ auctoritate instruxit: ut (si visum ita foret, expediretque) objecto anathemate Ecclesiasticos non minùs, quam Sæculares, Baleare Regnum terrâ, marique bello petere ausos, coërceret; atque illos, qui Regnum Aragonium invadere molirentur, à conatu deterreret. In Literis ad Petrum Aragoniæ Regem datis, inter alia hæc habet Clemens de nostro Cardinali Legato: *Nihilominus præfatum Cardinalem Apostolicæ Sedis Legatum, virum scientia & virtute præditum, ob Nostram & Apostolicæ Sedis reverentiam, & suorum excellentiam meritorum, imò Nos in ipso potiùs benignè recipiens, ac debitâ honorificentia prosequens, & pertractans, salubriter ejus monitis, & paternis exhortationibus effectualiter acquiescas &c.*

Ex Episcopo Rutenensi Cardinalis creatur.

Legatione Aragonica perfungitur.

Petrus Aragonius à Jacobo Majoricarum Rege, titulò non satis æquò certas repetebat Terras: quas Jacobus bellò decretò potiùs defendere; quàm ultrò concedere constituebat. Hinc orta dissensio, & bellum intestinum. Bernardus Legatus, ut sanguini parceret, inducias suasit, & impetravit. Inter hæc Petrus falsis quorundam suggestionibus inductus, Episcopo Gerundensi & Canonicis infensus, totò eos Regnô ejecerat; à Sede Apostolica eapropter anathemate percussus: Re maturiùs perpensâ ad corrediens, proscriptos revocavit; ac supplex à Pontifice obtinuit, ut Bernardus Legatus ipsum anathemate solveret, & sacra universo Regno interdicta postliminiò restitueret. Bernardus, rebus hôc modô confectis, Avenionem rediit, ubi paulò pòst apoplexiâ correptus, die 13. Novembris anno 1350. exspiravit.

Petrus Aragonius anathemate percutitur, & à Legato solvitur.

Franciscus Petrarcha Poëta laureatus sæpè sæpiùs hujusce Bernardi Cardinalis, quem præstantem Poëtam appellat, in suis Epistolis meminit, atque inter alia hæc ad eum scribit:

Obitus ejus, & Scripta.

Dii tecum uberiùs, quoniam tibi conscia cæli
Vox adamantina est, calamus quoque ferreus, omnes
Promptus ad insultus, versus brevis hora trecentos
Et septem decies excudit.

Scrip-

Scripsisse perhibetur nonnulla Poëmata, ipsi Petrarchæ laudata. Sermones item & Hymnos sacros, stylo, ut illa ferebant tempora, satis eleganti.

Ejus meminère Panvinius in Vitis Pontiff. Claudius Robertus in Gallia Christiana. Raynaldus in Annal. Aubery in Vita. Frizonius in Gall. purp. Waddingus in Annal. Minor. Petrarcha in Epistolis. Ughellius in addition. ad Ciaconium, & Alii.

ANNO 1342.
SEDENTE CLEMENTE VI. PONTIF. MAXIM.

De

AYMERICO DE CASTROLUCI
S. R. E. CARDINALE.

XLIV.

AYMERICUS de Castroluci, natione Gallus, patriâ Lemovicensis, Clementis VI. Pontificis Maximi propinquus, Juris tum Pontificii tum Cæsarei Doctor illustris, Archidiaconus primò in Ecclesia Turonensi, mox Triumvir Ferrariæ in temporalibus, & Æmiliæ Rector, demùm Archiepiscopus Ravennatensis, & Carnotensis Episcopus in Galliis, ob excellentes animi dotes, doctrinam, & merita à Clemente VI. Presbyteris Cardinalibus titulo SS. Silvestri & Martini in montibus anno salutis 1342. adscriptus, statim ab adeptâ Purpurâ in Italiam, ad continendas in officiô ditionis Ecclesiasticæ Provincias, quæ crebris dissensionibus fluctuabant, Legatus est missus. Quo munere egregiè perfunctus, mox aliam ejusdem Pontificis jussu legationem in Etruria, Sardinia, & Corsica obeundam suscepit, quæ eò maximè collimabat, ut sopitis discordiarum ignibus, salubri fœdere copularet Italiæ Provincias ad propulsandos hostiles Ludovici Bavari conatus, qui obtentô Tyrolis Comitatu, belli facem injecturum Italiæ partibus minabatur: utque ad pristinum splendorem revocaret religionem Catholicam, quæ in multis partibus ob enatas hæreses & schismata, labefactata multùm defloruerat. Utrumque præstitit Aymericus ex voto Pontificis, magnam inde nominis sui famam adeptus.

Cardinalis creatus, variis legationibus cum laude fungitur.

Defunctô paulò pòst Roberto Rege Neapolitano, ut Regno Rectore viduato consuleret Clemens, ac Jura Ecclesiæ Romanæ sarta tecta tueretur, Edictô pronunciavit, Regiæ Siculæ procurationem non ad Sanctiam Reginam viduam, aliosque à Roberto Rege supremis Tabulis designatos; sed ad Sedem Apostolicam pleno jure spectare. Hinc omnia ab iis in contrarium gesta rescidit; atque Aymericum Cardinalem administrando interim Regno, pontificio nomine præfecit, donec Joanna Regina adhuc juvencula fortiorem ætatem attigisset. Joannæ tamen levitas, & pravorum Ministrorum temeritas initio se se pontificiis Decretis opposuit. At paulò pòst instante acriùs & monitis & censuris Clemente perterrita Legatum recepit, & die 28. Augusti, anno 1344. coràm illo

Neapolitano Regno, Ecclesiæ nomine administrando, præficitur.

Joanna Regina Neapolitana in ordinem redigitur.

Coronam liberalitate Sedis Apostolicæ in se translatam agnovit, ac fidelissimæ clientis obsequia tum Clementi, tum futuris ejus Successoribus, interpositô fidei sacramentô, spopondit. Ad cujus rei commendandam secuturæ ætati memoriam publicas tabulas edendas curavit, quas refert, & exhibet in vita Aymerici Cardinalis Augustinus Oldoinus.

Ad importunas postmodùm Joannæ Reginæ preces permotus Pontifex Aymericum Legatum revocavit, relictis Joannæ ex integro Regni habenis. Cùm verò illa vanitatibus potiùs, quàm Regni curæ dedita opes regias, contra Apostolica imperia, ac Regni jura dissiparet, Pontifex periclitanti Regno consulturus, factas à Regina post obitum Roberti donationes convulsit, & Aymerico Legato nova imperia dedit, ut Edicta, quæ è re pontificiâ forent, in Regno, Regnique finibus divulgaret. Qua occasione etiam Hæreticos quosdam, Reginæ oscitantiâ impunè in Regno grassantes in jus vocavit, quæstioni admotos, ac convictos meritis pœnis affecit.

Legatus Romam ad sedandas Niccolai de Rentio turbas mittitur.

His peractis jussus est Aymericus, relictâ Neapoli, Romam accedere ad sedandas periculosas seditiones, quas excitaverat Nicolaus de Rentio, homo ex argilla, lutoque (ut ait Ciaconius) confictus. Natus enim erat Romæ patre popinario, matre verò lotrice, & aquæ bajulâ: qui tamen populum suis artibus cicuratum usque adeò dementavit, ut ad deferendam sibi Tribunitiam potestatem facilè compulerit. De quo laudatus Ciaconius in vita Clementis VI. ita scribit: *Interim Roma creandorum ex Auctoritate Apostolicâ commutatâ ratione, Nicolaus Rentii, seu Laurentii filius, Romanus, publicus scriba, vir quidem erecti ad libertatem, excelsiq; animi, occupatô armis Capitoliô, tantum sibi auctoritatis & benevolentia apud omnes comparavit, ut facilè quò vellet Populi Romani mentem flecteret. Is autem quò magis hominum animos commoveret, hoc titulo usus est:* Nicolaus severus & clemens, libertatis, pacis, Justitiæque Tribunus; ac sacræ Romanæ Reipublicæ liberator illustris. *Hac autem verborum pompâ tantam de se admirationem, opinionem, & terrorem concitavit, ut omnes Italici nominis Principes certatim per Legatos pacem ac amicitiam ab eo peterint.*

Nicolaus de Rentio quis? & unde?

Ejusdem arrogantia.

Ad hujus igitur seditiosas molitiones, seu potiùs immanem tyrannidem comprimendam (namque præter rapinas bonorum, deflorationes virginum, matronarum stupra, conjugum adulteria, expilationes templorum, civium cædes, insontem quemlibet Nobilium, quo imperium malè partum stabiliret, ferro & fune sustulerat) missus Romam Aymericus Cardinalis Legatus in Vaticanum Palatium concessit, ubi pro tribunali sedens, pontificio nomine Nicolao Tyranno diem dixit. Venit ille, non ut reus, sed imperatoriô paludamentô, & Dalmatica gemmis & aurô ornatâ indutus, virgam chalibæam manu ferens. Præsonabant illi tibicines præcedentes; stipabant latus armati pedites gladiis exertis viam aperientes; comitabantur numerosâ frequentiâ Nobiles, parasiti, Ministri, & famuli ad servitia & pompam faciendam destinati. Nicolaus torvo vultu Aymericum Legatum intuens, hoc eum convitio alloquitur: *Perfricta frontis homo, quid tibi rerum est mecum? Temerarie, quid me audactâ insigni in jus vocas, responde?* Cardinalis ad tantam

Nicolaus fastu tumens Legatum malè habet, eundemq; urbe excedere compellit.

tum hominis insolentiam nonnihil perterritus, *habeo*, inquit, *imperia, qua summi nomine Pontificis tibi denunciem :* Nicolaus in furorem actus, ac sermonem interrumpens : *à quo*, inquit, *Pontifice? Neque enim Pontificem ego, neque pontificium agnosco Legatum : quin te ocyùs hinc proripe, ni mális hostia vindictæ Nicolai cadere.* Coactus est Cardinalis è conspectu se furiosi subducere, atque tempori ad tempus servire, videns hominum vesanum, militibus cinctum, & exitium minitantem. Româ igitur in tutiorem locum secedens, dirum anathema illi dixit, à Luca Sabellio & Sciarra Columna animatus. Ex eo tempore sensim eviluit apud Romanos fucata Nicolai gloria. Nam dum parti civium studere, parti adversari aggreditur, utrique suspectus, repentè ex Patrono Tyrannus, ex liberatore patriæ proditor est habitus; eapropter, adnitentibus Pontificis fautoribus, tanquam perduellis & Reipublicæ Turbator ad necem quæsitus. Ille insidias odoratus, septimo Magistratûs sui mense, ignaris omnibus, mutata veste per obscuram noctem Româ abiens, in Boëmiam ad Carolum Cæsarem (quem Clemens Pontifex paulò antè ob linguarum, literarumque peritiam in exauctorati Bavari locum ab Electoribus in Cæsarem designari fecerat) profugit. Captus itaque à Carolo Tribunus, & Avenionem missus, Pontifici ad arbitrium dono datur. At Pontifex, retento eo in vinculis, duos cum Aymerico Legato Cardinales Romam misit, qui urbis statum recognoscerent, recognitum ad justitiæ, frugalitatis & temperantiæ leges componerent. At quos Petrarcha scribens, eis suadet, ut ad tollendam seditionem Senatores ex populo Romano eligerent, eosque urbis moderandæ regimini imponerent, cùm non satis constaret in ipsa urbe qui Senatorii, quique plebei ordinis essent, cùm omnes ferè peregrini essent, & ignotis parentibus orti. Declarati itaque Senatores sunt Petrus Sciarra Columna, & Joannes Ursi filius, viri prudentes, nobiles, impigri, armis & opibus validi, qui eliminatô Nicolaô discordes populos facili negotio concordârunt, atque in ordinem redegerunt.

Nicolaus excommunicatus vilescit, & urbe pellitur.

Fugit in Boemiam ad Carolum Cæsarem.

Aymericus Romam mittitur, Senatores constituit, & urbis statum componit.

Non erit abs re breviter hoc loco referre, quæ de Nicolai Rentii Tyranni progressu & interitu apud Andream Victorellum in vita Clementis VI. in additionibus ad Ciaconium, & apud Abrahamum Bzovium in Annalibus Ecclesiasticis ad annum 1353. n. 2. adnotata invenio. Sic habent : Nicolaus ab Aymerico Cardinale anathemate percussus, Româ diffugiens Pragam ad Carolum Boëmiæ Regem (electum tum Imperatorem) concessit. Deinde non captus à Carolo, neque missus, sed volens sponte Avenionem, Pontificem allocuturus, se contulit. Ibi in carcerem conjectus, causámque suam dicere jussus, tantâ verborum facundiâ, tantis apparentium rationum coloribus, etiam perjurio firmatis, innocentiam (quæ nulla re verâ erat) apud credulum Pontificem adstruxit & tutatus est, ut planè, nemini dubio relicto, mortalium omnium innocentissimus crederetur. Quocircà publicis tabulis, versipellis impostor, insons declaratus, liberque dimissus cum omnium admiratione rediit in Italiam: ubi à Legato Apostolico, exhibitis innocentiæ suæ tabulis deceptо, Senator Romanus constitutus, Romamque cum ingenti armorum

Nonnulla alia de Nicolao tyranno afferuntur.

Innocentiam suam perjurio adstruit, liberque dimittitur.

Urbis Senator declaratur, & à populo summo cum honore excipitur.

morum & gloriæ apparatu missus, Pontificis & Ecclesiæ nomine senatorio illo munere fungebatur.

Ad urbem cùm accederet, quasi alter Scipio incredibili plausu & lætitia popularium, olivarum ramos præferentium, & *Benedictus qui venis* conclamantium exceptus per arcus triumphales in adventum illius erectos, & plateas floribus stratas, aulæisque pretiosis ornatas usque in Capitolium præcinentibus musicis, & tubis præsonantibus deductus, Tribunitiam iterum dignitatem usurpavit. Aditô hoc modo imperiô, cùm sensim ad consueta libidinum flagitia, adque ipsam tyrannidem proculcatâ omni justitiâ & æquitate deflecteret; ac insuper ad extorquendam ingentem pecuniæ vim, qua imperium stabiliret, intolerandum Romanis omnibus vectigal imposuisset, preciaque rerum omnium vænalium, quò plùs æris emungeret, mirum in modum auxisset, maximum odium apud populum Tyranni crudelitatem mille convitiis detestantem incurrit. Offenderat etiam ea res, præter populares, primarios urbis senatores & nobiles, à quibus maximam auri summam ad solvenda militibus stipendia per summam injuriam perurgebat; non obsequentes, aut etiam obloquentes in carcerem compingebat, nullâque aliâ interveniente causâ tanquam seditiosos & refractarios publicatis eorum bonis vel proscribebat, vel capite imminuebat.

Tyrannidem ut anteà exercens, populo odibilis redditur.

Hujus rei ad instantiam populi à Panafulcio Guidone familiari suo Nicolaus admonitus, atque, ut porrò mitiùs cum Romanis ageret, rogatus, in furias actus hominem è vestigio jugulari jussit. Sed eâ crudelitate in populum emanatâ, magis exulceratorum animos commovit atque irritavit: quòd proditorem, qui ne ab amicis sibi temperaret; & tyrannum impotentem; qui æquè in sontes, atque insontes grassaretur, vociferarentur. Inerat Nicolao audacia summa & temeritas cum inconstantia conjuncta. In loco consilii obtinebat omnem suam voluntatem, nullo consiliario contradicente. In uno eodemque instanti ridens plangebat, & emittens lacrymas ac suspiria ridebat. Tanta fuit homini varietas, & mobilitas voluntatis. Promittebat plurima, sed nihil eorum, quæ pollicitus fuerat, præstabat. Unde & populus omni ære emunctus annonæ caritate laborabat; & pedites ac equites Regionarii, quos excubitorum loco collocaverat, nullis receptis stipendiis, omnes promiscuè injuriis, rapinis, ac contumeliis afficiebant.

Panafulciâ Guidonem familiarem suum occidit.

Audax, temerarius, varius, & inconstans.

Igitur intoleranda ea calamitas visa est omnibus, se se invicem vel ad necem, vel ad libertatem privatim ac publicè cohortantibus. Quamobrem ad octavum diem Septembris anno salutis 1353. (conniventibus maximè Columniis) summo diluculo tumultu excitato, ad conclamationem *Vivat populus, moriatur tyrannus*, cùm innumerabiles armati confluxissent, Nicolaum nil tale suspicantem horrendis clamoribus ad necem postulârunt. Ibi miser, diffugientibus passim præsidiariis, mentis, opis, & consilii inops, quo se verteret nescius, tandem vexillum Populi Romani manu arripiens, populum è loco editiore Palatii alloqui ausus, nonnisi convitia, lapides, lutum & sagittas accepit. Erant aliqui, qui ignem portæ Capitolinæ admoverant, ut vel vivum exurerent tyrannum, vel exeundi necef-

Conspiratio populi in Tyrannum.

necessitatem illi imponerent. In quas angustias conjectus infelix, armis ac vestibus speciosis depositis, personatus effugere decrevit; barbam, quam prolixam gerebat, totondit; vultum atro colore tinxit; vestem sordidam semique laceram induit, & capiti gausape imposuit; ad eum modum toto corpore immutatus, deformatusque, ne agnosceretur, palatio exivit. Non tamen circumdantes (ultore Deo) his artibus fallere potuit, quamquam voce inconditâ *ut occideretur tyrannus, & viveret populus* conclamaret. Nam unus aliquis eum ex indiciis levissimis cognoscens, elato clamore *hic tyrannus est, occidatur*, populo indicavit. Populus nihil cunctatus illum, qualis erat, misericordiam altùm implorantem inter medios leones marmoreos, quo in loco plurimum sanguinem crudelis fuderat, duxit. Ubi cùm pro spectaculo ad ludibrium universorum horam unam palo alligatus stetisset, & frustrà veniam, ac vitæ gratiam postulasset, Ceccus Vecchius nobilis Romanus accedens, exerto pugione miseri præcordia confodit: mox alius nonnemo è populo accurrens, gladio vel conto jam jam animam agentem crebris repetitis ictibus ita confixit, ut vulneri deinceps infligendo nullus superesset locus, cùm adinstar cribri ex vulnerum multitudine (ut inquit Bzovius) corpus exanime pateret.

Populum personatus fallere, & diffugere conatur.

Agnitus miserandum in modum occiditur.

Ab eo deinde loco usque ad sancti Marcelli Basilicam exangue cadaver raptarunt, & revulso à busto capite, semilacera membra pedibus cuidam infami ligno appensa omni contumeliæ genere affecerunt. Duos integros dies, & unam noctem pependit, Judæorum quoque opprobriis expositum; qui fasciculis lignorum, carduorum, & sentium congestis, illato igne tandem illud exusserunt, & cineres mille diris devotos in profluentem, ne quid ex tali monstro superesset, projecerunt. Atque hunc finem sortitus est Nicolaus de Rentio, qui si intra fortunæ suæ modum se continuisset, tam tragicum exitum nequaquam incurrisset: exemplo iis præsertim attendendo, qui vel in Petram soliditatis æternæ incurrunt, vel tyrannidem arripere præpostero vulgi favore exambiunt. Sed jam ad residua Aymerici Cardinalis enarranda revertamur.

Ex animis in furcam agitur, contumeliis afficitur, ac deinque comburitur.

Is Legationibus multis insignis vitæ finem fecit Carnuti in Gallia die 7. Martii æræ christianæ 1349. quadriennio ante Nicolai tyranni interitum: sepultus in Ecclesia principe ejusdem urbis, in qua nobile Sacellum Divo Petro sacrum, dum viveret, construxit, atque duodecim canonicatus ad rem divinam splendidiùs peragendam erexit. Erat Aymericus vir doctrina, rerum peritia, pietate & omni virtutum genere celebris: doctorum virorum cultor eximius, scriptis plurimis cùm sacris, tum propriis clarus, quorum nonnulla fragmenta inter MM. SS. Bibliothecæ Vaticanæ asservantur, & laudantur: Francisco Petrarchæ, eruditorum ea tempestate virorum delicio, singulari amicitiæ nexu conjunctus.

Aymerici obitus, & munificentia.

Ejus laus, & Scripta.

Narrant aliqui, at non satis firma fide, facetum olim Poëtam viventi Aymerico obtulisse libellum supplicem, alicujus doni obtinendi gratiâ; & in eum finem versus quosdam panxisse mirô artificio elaboratos, qui, si supplicationi annueret Cardinalis, in laudem ejus legebantur: sin repulsam pateretur, retrogradô ordine

lecti, eidem in dedecus & vituperium cederent. Sunt autem hujus tenoris:

Laus tua, non tua fraus, virtus, non copia rerum
Scandere te fecit hoc decus eximium.
Pauperibus tua das, nunquam stat janua clausa.
Fundere res quaeris, nec tua multiplicas.
Conditio tua sit stabilis, non tempore parvo
Vivere te faciat hic Deus omnipotens.

Ingeniosum carmen, non Aymerico, sed Clementi VI. inscripta.

Hi versus, quemadmodùm recto ordine lecti mirè Cardinalem à virtutibus commendant, sic inverso ordine repetiti, meris conviciis eundem infamant. Ordiamur à calce, ascensuri ad caput:

Omnipotens Deus hic faciat te vivere parvo
Tempore, non stabilis sit tua conditio.
Multiplicas tua; nec quaeris res fundere, clausa
Janua stat, nunquam das tua pauperibus.
Eximium decus hoc fecit te scandere rerum
Copia, non virtus: fraus tua, non tua laus.

Verùm non Aymerico Cardinali inscripta hæc esse carmina, sed Clementi VI. Romano Pontifici Auctores sunt Abrahamus Bzovius, & Augustinus Oldoinus in vita Clementis: quibus proinde, utpote Scriptoribus accuratissimis, potiùs, quàm minus peritis adhærendum censeo.

Ejus mentionem faciunt Hieronymus Rubeus in Historia Ravennatensi. Frizonius in Gallia purp. Panvinius in vitis Pontif. Aubery in vita. Raynaldus in Annal. Contelorius in Elencho Cardinal. Bzovius in Annal. Stephanus Baluze in Antifrizonio. Ughellius in Italia sacra. & Alii.

ANNO 1342.

SEDENTE CLEMENTE VI. PONT. MAX.

De

GUIDONE DE BOLONIA
S. R. E. CARDINALE.

XLV.

Nobilissima Vir prosapia.

GUIDO de Bolonia, perperàm à nonnullis de Mortefort dictus, natione Gallus, Roberti hoc nomine Tertii Comitis Boloniæ & Arverniæ, cognomento Magni; & Blanchæ primogenitæ Roberti Comitis Claramontani, ultimi filii S. Ludovici Galliæ Regis filius, & Propatruus Roberti de Gebennis Cameracensis Episcopi, posteà Clementis VII. Antipapæ, de quo infrà n. 66. plurima dicturi sumus.

Variis dignitatibus ac denique purpurâ ornatur.

Guido ab ineunte ætate ingenuè, pieque ad exigentiam nobilissimæ prosapiæ educatus, confecto Parisiis studiorum curriculo, Doctor Theologiæ insignis evasit. Procedentibus annis, urgente meritorum cumulo, virtutumque suffragio renunciatus est primò Episcopus Tornacensis, deinde Cameracensis, ac demùm Archiepiscopus Lugdunensis. Malè à quibusdam asseritur Bononiensis Antistes,

tistes, cùm neque in serie Bononiensium in Italia Episcoporum reponatur; neque Bononia Galliæ, tunc temporis esset Civitas Episcopalis. Tornacensis Episcopus affuit Synodo Sylvanectensi, celebratæ sub annum salutis 1317. ab Archiepiscopo Rhemensi Roberto de Courtenay, in qua excommunicati fuêre omnes Domini temporales, qui contra jus fasque spiritualia invaserant, & bona temporalia Ecclesiasticis adempta retinuerant.

Anno 1342. adscriptus est Guido à Clemente Pontifice Presbyteris Cardinalibus titulo S. Cæciliæ; exinde renunciatus Episcopus Portuensis, legationis munere functus est ejusdem Clementis jussu in Hungaria ad Ludovicum Regem, arma in regnum Neapolitanum anno 1349. moventem. Attingebat Guido Cardinalis propinquitate sanguinis Hungari Regis uxorem, eandemque Caroli Romanorum Regis filiam. Hinc eò missus, non difficulter pacis negotium cum amico Rege transacturus sperabatur. Causa legationis erant gravissimæ discordiæ ob cædem Andreæ Regis Neapolitani in Regno exortæ: quas paulò altiùs ad rei intelligentiam ex probatis Auctoribus repetere non abs re judico.

Legationis munere ad Hungariæ Regem fungitur.

Robertus Rex Neapolitanus absque stirpe virili decedens Joannam filiam, Andreæ nepoti suo Caroli Regis Hungariæ filio uxorem dederat; neapolim enim adolescens ex Hungaria illis diebus advenerat. Joanna dissolutæ vitæ fœmina, hominem morosum, socordem, & injucundum perosa, parumque virilem experta, eum in urbe Aversâ per insidias fune appensum & strangulatum interemit; alterique fratueli, cujus amoribus vivente etiamnùm Andreâ consueverat, nupsit. Is erat Ludovicus Tarentini olim Principis filius, nepos Roberti defuncti Regis, homo audax, impudicus, & ad quævis flagitia promptus, cujus potissimùm artibus Andreas Joannæ maritus enectus credebatur.

Andreæ Regis Neapolitani cædes, enataq; exinde bella & incommoda enarrantur.

Ludovicus Hungariæ Rex strangulati Regis germanus frater, tantum scelus ulturus, cum potentissimo exercitu in Italiam venit, primumque Sulmonenses ei resistere ausos adoritur. Sulmone post longam obsidionem expugnatâ potitus, Regnum deinceps facilè occupat, fugientibus præsertim in Provinciam Narbonensem Joanna Regina, & Ludovico ejus adultero. At verò cùm totâ Italiâ eo tempore sævissima peste laboraretur, Ludovicus Hungariæ Rex, non tam à Clemente persuasus, quàm lue in exercitum grassante coactus, relicto forti in quibusdam oppidis & arcibus præsidio, tertio ab ingressu mense in Hungariam revertitur. Regni Proceres Hungari Regis imperium pertæsi, cæsô ubique præsidiô, Joannæ & Tarentino scribunt, ut Neapolim postpositâ omni morâ redeant. Illi Neapolitanorum fidem exploratam habentes, nihil cunctati, magnis itineribus Neapolim contendunt, à Regni Proceribus humaniùs quàm speraverant, & meruerant, suscepti. Ludovicus in Hungaria rerum edoctus, obque cæsum præsidium vehementer commotus, conscripto novo exercitu alteram expeditionem in Joannam parat. Clemens Pontifex periclitantibus Regni rebus consulturus, mox Guidonem Legatum in Hungariam ad Ludovicum mittit, rogatque ut omisso difficili prælio, pacis consilia præscri-

ptis

ptis ad placitum legibus cum Joannâ ineat. Paruit Ludovicus, suorum maximè tumultu, qui in Italiam regredi renuerant, inductus; ad instantiam Legati Cardinalis cum Joanna Regina pacem his conditionibus sancit: ut Regiis titulis illa ornata Ludovicum Tarentini Principis filium, maritum suum adscitium his excluderet; illeque deinceps non Rex, sed Princeps dumtaxat Tarentinus vocaretur. Eâ verò mortuâ, Regni jus ad se suosque legitimos hæredes postliminiò devolveretur.

Ludovicus Hungariæ Rex cum Joanna Regina Neapolitana pacificatur.

Rebus ita compositis, Hungariâ excedens Guido ad Curiam rediit, ibique usque ad annum Jubilæi sacrum 1350. permansit. Illucescente verò sacro Jubilæi centenario, jussu Clementis Romam se contulit, ubi hortatu & operâ Annibaldi Cardinalis de Ceccano, Episcopi Tusculani (de quo suprà n.33. egimus) propter innumerabilem Peregrinorum ad urbem concursum; annonæ penuriam; luemque pestiferam dirè grassantem, quindecim dierum spacium, ad lucrandas indulgentias firmatum, ad octo dies contraxit. Ea re vehementer offensi Romani correptis armis seditiosum in Legatos concursum faciunt, parumque abfuit, quin à tumultuantibus ambo violarentur. Legati de salute sua soliciti, submissis clanculùm literis fidissimos sibi quosque civium, confœderatorum, ac militum adjungentes, cùm satis jam virium ad resistendum inconditæ multitudini haberent, in apertum prorumpunt, seditiosos circumstant, ac denique tumultum censuris & armis compescunt. Exinde instituto in pacis perturbatores examine, quosdam proscribunt, quosdam in carceres compingunt, ac nonnullos publico capitis supplicio afficiunt, postquam urbem octo dierum intervallo Ecclesiastico interdicto subjecissent.

Guido Legatus Romam missus quæ gesserit?

Mense Majo anni ejusdem ab urbe discedens Guido Patavium se contulit, ubi ad perpoliendos Cleri, populique mores, ac splendorem religionis tuendum Synodum celebravit: Eâ solutâ Divi Antonii Ulyssipponensis sacra lypsana in amplissimam Ecclesiam pro sui nominis honore noviter extructam solemni pompa, magnoque populi confluxu, transferenda curavit voti reus: morbo siquidem paulò antè affectus, ejusdem Sancti interventu, pristinam receperat sanitatem, ut refert Bartholomæus Pisanus his verbis: *Cardinalis Guido Episcopus Portuensis à morte per S. Antonium liberatus, Apostolicus in Italia Legatus, ipsius translationem peregit: & caput in pulcherrimo tabernaculo de argento suis sumptibus facto locavit.* Hujus Translationis meminit etiam præter S. Antoninum Archiepiscopum Florentinum Cursorum Historia.

Patavii celebratâ Synodò Corpus S. Antonii in Ecclesiam principem transfert.

His peractis iter suum direxit in Galliam, quo in Regno legationis munere functus est primò cum Cardinale Talairandò (de quo egimus suprà n.37.) ad pacem inter Francorum & Angliæ Reges, qui internecinis odiis & præliis mutuò collidebantur, stabiliendam. Deinde jussu Innocentii VI. in Hispania ad conciliandos Petrum Castellæ, & Petrum Aragoniæ Reges. Hujus operâ in Hispania pax diu exoptata præconis voce his legibus proclamata: ut capta belli tempore oppida inter sesjustâ partitione restituerent: Vectigalia, portoria, & exactiones, durante bellô, invecta, utrinque tolerentur.

Legatione Hispanicâ fungens pacem inter Petrum Castellæ, & Petrum Aragoniæ Reges procurat.

tur. Arces, villæ, prædia, domus, aliaque id genus tempore belli occupata, justis Dominis incorrupta cum suis fructibus redderentur. Principes emerita militibus stipendia, ne subditis eô nomine molestiam exhibeant, quamprimùm exsolverent. Moneta justi ponderis cuderetur, extranea & adulterina in nullo precio haberetur. Captivi absque pretio dimitterentur, neque pacta pro cujusquam liberatione pecunia exigeretur. Offensæ veteres, tam iis, qui in partibus fuerant, quàm qui se quietos continuerant, remitterentur.

Pacificatâ ad hunc modum Hispaniâ, Regibusque concordatis, magnis donatus muneribus ad Pontificem rediit, sed illicò Italiam repetere jussus, Carolum Imperatorem hoc nomine Quartum (qui tum Romæ Imperii diadema susceperat; & Ludovico Bavaro circa annum 1347. ex apoplexiâ in venatu extincto, rerum potiebatur) Româ discedentem, honoris & officii causâ usque ad ditionis Apostolicæ terminos prosecutus est. *Alia ejusdem gesta referuntur.*

Demum cùm bellum in Hispania inter Castellæ & Aragoniæ Reges iterum recrudesceret, eosque Gregorius XI. firmiori atque anteà fœdere conjungere satageret, Legatum eò misit Guidonem, (ut auctor est Mariana) qui cùm nihil, quod quidem Regibus ad pacem ineundam conveniret, proponere posset; saltem inducias, magno subditorum commodo, in biennium protractas eblanditus est. Ea occasione pacem etiam sancivit inter Henricum Castellæ, & Ferdinandum Lusitaniæ Reges, nam Henricus qui per eos dies, Marte non satis propitio, cum Petro Aragonio conflixerat, pacatum sibi Ferdinandum potiùs, quàm offensum exoptans, cum eo his legibus convenit: ut oppida belli tempore occupata utrinque restituerentur, & offensæ utriusque partis studiosis, nullâ dictâ mulctâ, remitterentur, & abolerentur. Ad eandem quoque concordiam revocavit Carolum Navarræ Regem, qui Henrico Castellano, indictô bellô, multùm negotii fecerat, multisque eum incommodis ac injuriis afflixerat.

Ereptus est è vivis Guido Cardinalis, antequam controversias inter Aragonium & Castellanum iterum, ut diximus, exortas sopiret. Sublatum autem increbuit rumor illum venenô, à Carolo Navarræ Rege per insidias propinatô. Quo rumore sparso Carolus objectum crimen apud Pontificem submissis literis & oratoribus purgare conatus est, cujus excusationes uti fundatas Gregorius (postquam Guidonis necessarios diligenter percunctatus, non venenô, sed morbô naturali extinctum comperisset) admisit, ac pristinæ illi famæ integritatem hisce litteris, anno 1374. exaratis restituit: *Moritur: sed falsò à Carolo Navarræ Rege venenô impetitus fuisse argitur.*

Gregorius &c. Carolo Regi Navarræ illustri &c.

Iidem Nuncii sub commissâ eis per easdem literas credentiâ pro parte Tuæ Magnificentiæ Nobis exposuerunt, quòd eidem Serenitati relatum extiterat, nobis falsò suggestum fuisse, quòd bonæ memoriæ Guidoni Episcopo Portuensi, tunc in partibus illis Apostolicæ Sedis Legato, venenum seu toxicum dari, seu ministrari feceras, propter quod viam fuerat universæ carnis ingressus. Verùm, Fili charissime, id nobis à pluribus dictum fuit; sed considerantes puritatem devotionis ad Deum Catholicorum Principum progenitorum tuorum, atque

tuam, statumq́ regium nolle tantam maculam in sui nominis gloriâ ponere; nec non sincerum amorem, quem ad dictum Episcopum gerebas, hoc credere nullâ ratione potuimus. Et licèt cum familiaribus præfati Episcopi de infirmitate ipsius & morte sæpiùs & diligenter locuti fuerimus, nunquam tamen scire potuimus, eum aliter, quàm morte naturali, quæ nulli parcit, decessisse. Quapropter, Fili charissime, de præmissis nobis falsò suggestis, cùm veritatis claritas mendaciorum tenebris in hôc obfuscari nequeat, in anteà non curet sinceritas Regia nobis chara. Datum Sallon. Arelatensis Diœcesis x. Kalend. Julii, Anno IV.

Obitus ejus, & Scripta.

Lucis igitur usuram amisit Guido Cardinalis Ilerdæ in Hispania, die 25. Novembris anno à partu Virginis 1373. non venenô, sed morte naturali, ut luculenter Pontificiæ demonstrant literæ. Vir literis, meritis, virtutibus, & amplissimis legationibus clarus. Ejus corpus in Abbatiam *de Boschetto* dictam translatum, ibidem honorificè conditum fuit. Hic Ædes sacras Carmelitarum Parisiensium in Mauberti platea anno salutis 1353. decimo sexto Octobris, deprecante Joannâ Philippi Longi uxore; & Ecclesiam Moncelli D. Claræ Diœcesis Bellovacensis solemni ritu dedicavit. Prædones Villam à S. Spiritu dictam occupantes, tempore Innocentii VI. fugavit.

Scripsisse fertur plurima, quæ ad Ecclesiasticæ Antiquitatis doctrinam, exquisitamque sacrorum Rituum cognitionem spectant. Uti MM.SS. Bibliothecæ Vaticanæ fidem faciunt.

De eo agunt Panvinius in Vitis Rom. Pontif. Frizonius in Gall. purp. Matthæus Villanus in Hist. Florentina. Aubery in Vita. Thomas Costus in Histor. Neapolit. Odericus Raynaldus, & Abrahamus Bzovius in Annal. Waddingus in Annal. Min. Felix Contelorius in Elencho Cardinal. Victorellus in addit. ad Ciaconium. Ughellius in Ital. sacra. Volerius Polydorus in descriptione Ecclesiæ S. Antonii. & Alii multi.

ANNO 1342.

SEDENTE CLEMENTE VI. PONT. MAX.

De

GERARDO DOMARO
S.R.E. CARDINALE.

XLVI.

Ordinem D. Dominici ingreditur, ejusdemq́ Ordinis Generalis, ac denique Cardinalis efficitur

GERARDUS Domarus (quem varii variè de Domario, de Guardia, de Gorria appellant) natione Gallus, Lemovicensis, in Provincia Tolosana (vel ut Petro Frizonio placet) Narbonensi natus, Clementis VI. Pontificis Maximi ex sorore nepos, à teneris annis optimis moribus & disciplinis institutus, religiosæ militiæ in sacro Prædicatorum Ordine nomen dedit. Emissâ Professione divinis literis tanto se studio addixit, ut decursô sacræ Theologiæ curriculo, eandem facultatem diversis in locis sui Ordinis publicè docuerit, Doctorque clarus non immeritò audire meruerit. Post Cœnobia varia integerrimè administrata, ad

ta, ad supremum ordinis sui apicem, exigentibus id præclaris suis meritis, evectus est. Etenim in locum Hugonis Galli vitâ functi, Carcassonæ in Capitulo generali sub annum 1340. adunato & celebrato, omnium suffragiis Generalis totius Ordinis designatus, diu optatam Clementi patruo ansam dedit cooptandi illum inter Patres purpuratos. Lutetiâ igitur Parisiorum anno Domini 1342. Avenionem apostolico decreto vocatus, Collegio Cardinalium titulo S.Sabinæ insertus est.

Claruit dum vixit virtutibus variis, præsertim sacro eloquio, & munificentia in pauperes, in quos magnam sæpè vim auri liberali manu effudit. Multa apud Clementem ei addictissimum pro sacro suo Ordine emolumenta & privilegia impetravit: & intentus eidem Ordini provehendo, auctor fuit, ut Bertrandus, Pontifici Sacelli Sacerdos; & Joannes Molendinus, clarus in Theologiâ Magister, lector sacri Palatii constitueretur. Legationis munere functus est in Gallia, ubi collapsos Clericorum mores præclaris editis statutis, integritati pristinæ restituit. *Ordini suo magno emolumento & ornamento est.*

Scripsit, ut refert Paulus Cortesius, *Scripta Ejus, & obitus.*

Commentaria Theologica.

Synopsim in Summam D.Thomæ Aquinatis.

Sermones plurimos, doctrina insigni conspicuos publicæ postmodùm luci donatos.

Efflavit animam meritis plenus Avenione die 17. Septembris anno salutis 1343. vel ex Ciaconio, Frizonio & aliis Tolosæ 1345. sepultus ibidem apud sui Ordinis Alumnos.

Ejus meminêre Frizonius in Gall.purp. Antonius Senensis in Chron.Ordin.Prædicat. Ferdinandus de Castillo in Hist.Ordin.Prædicat. Aubery in Vita. Panvinius in Vitis Rom.Pontif. Felix Contelorius in Elencho Cardin. & Alii.

ANNO 1342.

SEDENTE CLEMENTE VI. PONT. MAX.

De

GUILLELMO JUDICIS S.R.E. CARDINALE.

GUILLELMUS Judicis, natione Gallus Lemovicensis, Clementis VI. ex sorore nepos, scientiâ Juris instructissimus, ac legum Doctor in paucis egregius, ab eodem Clemente Diaconus Cardinalis S. Mariæ in Cosmedin (aliàs Scholæ Græcæ) mox ab Urbano V. anno 1361. vel meliùs à Gregoriô XI. anni 1371. inter Presbyteros Cardinales titulo Sancti Clementis cooptatus est. XLVII.

In Regno Neapolitano legationis munere unà cum Annibaldo priùs; deinde cum Guidone, Episcopis Tusculanis (de quibus n.33. & n.45. egimus) functus est jussu Clementis, ut LudoviciHungarorum *Cardinalis creatus Legatione Neapolitanâ fungitur.*

garorum Regis impetus atque iram in Joannam Reginam ob interemptum Andream Maritum conceptam, suâ prudentiâ frangeret. Hic cum Oratoribus Hungariæ Conventus plures habuit pro pace: in quibus nonnullas leges partim à Pontifice, partim à Rege Hungarô, partim à Joannâ Reginâ ejusque marito Ludovico Principe Tarentino adimplendas proposuit: quæ cùm summam viri prudentiam redolerent, summamque justitiam & æquitatem præseferrent; non modò Pontifici, sed & cæteris Principibus, quorum intererat, gratissimæ juxtà ac acceptissimæ cecidêre.

Simili successu legatione Castellanâ perfungitur.

Ab Innocentio VI. Clementis Successore in Castellam posteà sub annum 1352. Legatus missus, ad civiles motus comprimendos; restituendum Ecclesiasticæ disciplinæ splendorem; labantemque rei Christianæ statum sustentandum, omnia ex sententia Pontificis confecit. Ea occasione jussus est etiam Petrum Castellæ Regem, ejusque pellices, ob publicam libidinationem sacris interdictos (si quidem resipiscerent, ac flagitiorum veniam peterent,) ritu Ecclesiastico absolvere, atque interdictum, quo innexi erant, dissolvere.

Dum hæc curaret Legatus, auctæ inter Reges Aragoniæ & Castellæ sunt discordiæ, quibus impliciti, cùm neuter alteri cedere in animo haberet, novum & atrox inter eos conflatum est bellum, nonnisi multo Christianorum sanguine extinguendum. Innocentius, qui fidelium arma in Mahumetanos versa magnâ sui animi voluptate perspicere optaverat, Legato imperia dedit, dissidentes Hispaniæ Reges, quacunque demùm arte posset, in concordiam revocandi. Sed, ut refert Rodericus Sanctius in Historia Hispanica, Legatus Petrum Castellæ Regem pro pace ineundâ humanissimè conventum, inflexibilem reperit, nihilque apud obduratum profecit.

Petri Castellæ Regis crudelitas & sacrilegia.

Cumulaverat interim flagitia flagitiis Petrus Rex, non modò sævitiâ & crudelitate in suos, quos pro lubitu, nullâ interveniente causâ, carcere, inediâ, ferrô, fune, venenô passim sustulerat; verùm etiam sacrilegiis & rapinis, quum Ecclesiastica bona, redditus, vectigalia (omni sacrorum ratione contemptâ) sui juris faceret, atque ad infamem scortorum alendorum usum, in ærarium regium conferret. Eapropter gravissimam vindicantis Numinis dexteram expertus, debitas scelerum pœnas infelix dedit. Nam ab uno fratrum Henrico, cujus vitæ insidiabatur, bellô petitus, acieque devictus, multis confossus vulneribus, miserrimo exitu impiam animam in execratione efflavit. Documento sanè Regibus ac Principibus luculento & attendendo, ne & ipsi improba Petri vestigia sequentes pari se pœnâ perditum eant.

Ejusdem interitus.

Alphonsi Regis triste sed veridicum de Petro filio vaticinium.

Cæterùm Petri Regis (cujus enormia flagitia Bzovius in Annalibus ex Sanctio graphicè describit) corruptissimos mores prævidisse & prædixisse ferunt Regem Alphonsum patrem. Cùm enim peste percussus sub annum Christi 1350. moreretur, & Proceres, quos filio decedens commendatos relinqueret, perquirerent: ille sensum verborum perspiciens, quasi vellent dicere: *Si Petro tuo filio nos commendas, gladio nos committis:* respondit; *Deo summo Regi vos committo.* Cùm verò etiam sciscitarentur, *cui Petrum committeres?* Ille

Ille altùm ingemiſcens, *Vobis*, inquit, *ſi bonus erit: ſed id me pluris, quàm mors angit! cùm enim qualis futurus ſit, non ignorem, doleo acerbiſſimè talem vobis relinquere heredem & Dominum, qui meliorem vobis filium dimiſiſſe optarem.* Subdidit porrò: *Licèt enim Adriani Cæſaris ſententia fuerit: quia ſucceſſorem nemo odit: ego fateor, Petrum ut filium diligo, ut ſucceſſorem non amo, nec ut Regem futurum lator.* Hæc Alphonſus pater de Petro filio, qui initia regni ſui laſciviâ, progreſſum tyrannide, exitum execrabili fine defœdavit.

Atrociùs quiddam in thoro geniali, hoc ipſo tempore, quo Guillelmus Neapoli legatione fungebatur, apud Principes regios Neapoli perpetratum lego. Robertus, Hugonis cōmitis Avellini filius, Mariam Caroli Dyrrachiani Ducis relictam viduam excellentis formæ fœminam, & Joannæ Reginæ conſobrinam (poſtquàm amoris impatiens reluctanti ſtuprum intuliſſet) in matrimonium ſibi conjunxerat: ac propterea à Ludovico Siciliæ Rege cæſo patre ipſe quoque in vincula datus erat. Conabatur Innocentius Pontifex mediante Guillelmo Legato hominem non modò in libertatem aſſerere, ſed & inter illum atque Reges pacem non ſpernendis conditionibus conciliare. Cæterùm fruſtrà operam impendebat, quòd & Maria indignè ferret contumeliam ſibi à Roberto illatam, & Reges amplitudinem dignitatis regiæ contemptam vindicare cogitarent. Ulta eſt Maria, Ludovico & Joanna ſive conniventibus, ſive adeò jubentibus, acceptam injuriam. Namque virilis animi mulier, ſtupri contumeliâ exacerbata, arrepto pugione, quatuor ſatellitibus comitata, in ergaſtulum, ubi Robertus vir detinebatur, acceſſit: & cùm inprimis præpoſteram illi libidinem impotenti convitio exprobraſſet, tum deinde indignum ſe ſuo matrimonio addidiſſet, adacto in ejus viſcera pugione, quatuor illis apparitionibus, quos ſecum adduxerat, ut & ipſi proditorem ſanguinis ac honoris regii confoderent, præcepit. Repetitis ictibus confoſſum confectumque per decipulam in mare piſcibus eſcam projecerunt, capite, ne truncum fortè corpus inventum agnoſceretur, à cervicibus revulſo. Ad hunc modum ſalax invenis pœnas ultori Deo dependit, quòd vim ſeu ſtuprum Regiæ fœminæ (ut ait Bzovius) intuliſſet.

Robertus comes Avellinus Mariæ Dyrrachianæ vim infert.

Maria injuriam ſeverè ulciſcitur.

Guillelmus Legatus atrox facinus deteſtatus, relictâ Neapoli Avenionem repetiit, ubi ſumptuoſum Palatium (hoſpitio ad id in Divi Agricolæ areâ coëmpto) extrui curavit. Quod deinde progreſſu temporis in cœnobium converſum, ſacris Virginibus S. Praxedis ad incolendum ex ejus teſtamento conceſſum eſt.

Guillelmus Avenionem redit. Ejus munificentia.

Vitâ demum privatur Avenione die 28. Aprilis anno ſalutis 1374. ſepultus ibidem in Eccleſia majori. Scripſit plurima ad Juriſprudentiam, Decretorumq; Pontificiorum explanationem ſpectantia: quem ex hoc maximè nomine laudat Corteſius, Purpuratorum encomiaſtes doctorum. Petrus Frizonius ſcribit Guillelmum hunc Diaconorum primum, anno 1371. coronam pontificalem Gregorii XI. capiti impoſuiſſe in Eccleſia principe Avenionenſi: quare videtur in ea ſententia eſſe, Guillelmum non ab Urbano V. ſed à Gregorio XI. presbyteris Cardinalibus adſcriptum fuiſſe.

Ejuſdem obitus, & Scripta.

Ejus meminere Panvinius in Vitis Roman. Pontif. Aubery in Vita. Odericus Raynaldus in Annal. Jo. Mariana in Histor.Hispan. Frizonius in Gall. purp. & Alii.

ANNO 1342.

SEDENTE CLEMENTE VI. PONTIF. MAXIM.

De

ELIA DE NABUNAL
S. R. E. CARDINALE.

XLVIII. *Ob egregias animi dotes magnis Ecclesiæ dignitatibus decoratur.* ELIAS de Nabunal, Gallus, natus in Diœcesi Petragoricensi in villâ quadam *Nabunal* dictâ, unde cognomen traxit, egregius Ordinis Minorum Theologus. Hic ob eminentem sacrarum literarum scientiam, præstantissimos mores, ac virtutum merita renunciatus est primò Archiepiscopus Nicosiensis, deinde Patriarcha Hierosopolitanus, retentâ nihilominùs, ex pontificia dispensatione, Ecclesiæ Nicosiensis administratione: demùm Presbyter Cardinalis S. Vitalis. Hisce dignitatibus auctus à Clemente VI. (cui charissimus erat) plura insignia diplomata obtinuit, quibus tum ipsi, tum Ordini suo multa concessa sunt beneficia Ecclesiastica, annui redditus, & privilegia, additâ hâc clausulâ: *Non obstante quod professor Ordinis Minorum existis.* Quâ illum Pontifex votô paupertatis, quo vi Ordinis nullas proprietates admittere poterat, exemit. *Dispensat cum Lusignano Regis Cypri filio.* Eidem quoque potestatem fecit dispensandi cum Lusignano Hugonis Regis Cypri Primogenito, qui sponsam sibi delegerat Ecchinam, miræ pulchritudinis Virginem, Monfortii Comitis filiam, quæ tertio sanguinis gradu eum attigerat.

Obitus Ejus & Scripta. Post Clementis obitum interfuit comitiis, in quibus, eo maximè adnitente, renunciati sunt Romani Pontifices Innocentius VI. & Urbanus V. è vita excessit Avenione IV. nonas Octobris anno reparatæ salutis 1367. ubi sepulturâ donatus est in Ecclesia Minorum.

Scripsit in 4. Libros Sententiarum.
Commentaria in Apocalypsim.
De Vita contemplativa.
Sermones in Evangelia.

Nonnullorum circà Eliam de Nabunal errores deteguntur, & improbantur Hunc *de Annibaldis à S. Heredio* cognominat Rodulphus; & ab Innocentio VI. Cardinalem creatum contendit: utrumque perperàm, & contra omnium Scriptorum sententiam, excepto Ciaconio, qui ab eo deceptus, in similem prolapsus errorem, Eliæ purpuram in annum 1353. retulit. Constat enim ex Mariani Florentini, Marci Ulyssiponensis Chronicis, aliisque contemporaneis Scriptoribus, eum à Clemente VI. circa salutis annum 1342. ad hanc dignitatem evectum esse. Lucas Waddingus in Annalibus Minorum Eliam ex Presbytero Cardinali S. Vitalis, Episcopum Ostiensem & Veliternum renunciatum esse scribit: sed & ipse palmari labitur errore:

Duo

Duo enim fuerunt hoc nomine Cardinales; alter Elias de S. Heredio ex Monacho Benedictino Episcopus Uticensis primò; deinde Ostiensis ab Innocentio VI. creatus, ut constat ex Libris sacri Collegii à Contelorio visis, lectis & citatis. Alter Elias de Nabunal, Ordinis Minorum Presbyter Cardinalis S. Vitalis. Waddingum itaque nominum similitudine deceptum, in hoc nostro Elia hallucinatum esse, in propatulo est.

Ejus meminère Petrus Frizonius in Gall. Purpurata. Aubery in Vita. Ciaconius in Vitâ Pontiff. Contelorius in Elencho Cardin. Waddingus in Annal. Min.

ANNO 1342.
SEDENTE CLEMENTE VI. PONT. MAX.

De

ÆGIDIO ALBERNOTIO
S. R. E. CARDINALE.

ÆGIDIUS Albernotius, Hispanus, patriâ Conchensis, ex nobilissima, vereque regia stirpe suos sortitus natales, Patrem habuit Garziam Alvarum Albernotium, principem virum, multis opibus, oppidis & populis dominantem, qui genus ab Alphonso V. Legionensium Rege perpetuâ stemmatis claritate repetebat: Matrem verò Theresiam de Luna, quæ & ipsa summo loco nata genus ducebat ab Aragonum Rege Jaimo. Ægidius cùm jam inde ab ineuntibus annis literarum studio deditus, magna futuri profectûs præbuisset documenta, ætate adultior in Tolosanum florentissimum id temporis Gymnasium, juri daturus operam, à Patre optima spe concepta mittitur. Ubi ingenii felicitate, pertinaci erga literas studio, eò processit eruditionis, ut brevi inter Juris peritissimos, nec extremo loco numeraretur. Quam doctrinam cùm eximia morum sanctitate, & singulari religionis observantia illustrâsset; in patriam revocatus, ac nactus Alphonsi XI. Castellæ Regis familiaritatem, apud eum tantâ gratiâ & auctoritate valuit, ut haud ita longo interjecto tempore Archiepiscopatu Toletano, amplissimâ & primariâ dignitate, ab eodem sit auctus. XLIX.

Ægidii regia stirpis Adolescentiæ primordia.

Ab Alphonso Castellæ Rege Infulâ Toletanâ donatur

Expeditioni celeberrimæ sub annum 1340. in Mauros decretæ interfuit, magnaque pars reportatæ de iis Victoriæ fuit. Siquidem prælium cum Mauris initurus Alphonsus, Ægidio rem divinam operanti religiosissimè adstitit: & cùm Christi corpus adorâsset, ac venerabundus ab ejus manibus sumpsisset, ab eodem se se armis, priùs sacratis, indui poposcit, cujus ille precatu, ut res feliciter evenirent, non modò corpus ferrô, sed & animum summa in Deum fiducia armavit.

Cum eodem Alphonsò in Mauros movet.

Confluxerant ex Africa & Asia Sarraceni incredibili copiâ, ut Christianam in Hispaniis religionem funditùs everterent: & quasi de Triumpho jam securi, cum mulieribus & infantibus concurrerant,

Ingens Barbarorû exercitus sub Duce Albohacenô.

rant, tanta quidem multitudine, ut ad sexcenta peditum millia, equitum verò ducenta millia ascendisse scribant nonnulli. In equitum numerum consentiunt plurimi, quem alii adjectis duodecim millibus etiam augent. Peditum autem quadringenta millia sub signis stetisse affirmant.

Impares longè erant tanto numero Christiani cruce signati (quorum copiæ sub Castellæ & Lusitaniæ Regibus recensitæ, nonnisi quatuordecim eqitum millia, & peditum viginti quinque millia æquabant.) hi pio ardore succensi aut vincendi in terra, aut fuso pro Christiana fide sanguine triumphandi in cœlo, instructâ acie, rectâ in hostem moverunt. Cognito cruce signatorum adventu lætus Albohacenus Dux infidelium, qui tum Tariffam arctâ obsidione premebat, dimotis castris pleno agmine ex adverso occurrit, nihil addubitans, quin Christianos immani Barbarorum multitudine facilè sit oppressurus. Magnis igitur utrinque animis in prælium itur: neque minùs pro gloriâ, quàm pro salute acriter aliquamdiu confligitur. Tandem Albohacenus dextrum suorum cornu inclinari videns, mediamque aciem à Christianorum gravis armaturæ equitibus urgeri, fugam coactus iniit, equitatum à tergô hostibus objiciens, qui persequentium impetum nonnihil tardaret. At Christiani objectum Barbarorum equitatum disjicientes, & ne cum Albohaceno coire posset, impedientes, sociis hostes persequentibus expeditum ad victoriam iter fecerunt. Siquidem Albohacenus, dispersis quaquaversùm suorum ordinibus, ad ea loca devenit, ubi nulla saluti fuga superesset: devenerat enim ad salsum fluvium, qui cum ponte, & navigiis careret, arte nullâ trajici poterat. Ibi injecto divinitùs Barbaris pavore, cùm quisque eorum, projectis armis, diffugia quæreret, ingenti strage sunt profligati. *Magna cades facta*, scribit Auctor Hispanus Mariana, *supra ducenta hominum millia in prælio, fugâq, ceciderunt, captivorum & armentorum ingens numerus fuit: è Christianis (quod vix fidem facit) non amplius viginti desideratis.* Dissentit tamen Zurita, qui viginti millia Christianorum in hac pugna occubuisse tradit. Alii nonnisi duo millia desiderata contendunt. In hostium numerum omnes conveniunt: quem quidam auctum, nulli diminutum volunt.

Atrox prælium conseritur, Victoriâ à fidelibus stante.

Ad ducenta hostium millia cæsa produntur.

In ipso certaminis æstu Ægidius Regem alios hortantem, (lateri semper proximus) adhortationibus suis viriliter incendebat; eundemque, ne inconsultiùs hostibus immisceretur, discrimenque capitis aut captionis subiret, injectâ sæpiùs manu retinuit, ut refert laudatus Mariana his ferè verbis: *Ægidius Toletanus Præsul à Regis Castella latere nunquam discessit: desertumq, panè à suis & in confessos hostes irruere parantem, voce manuq, retinuit, ne tristis aliquis casus certam victoriam corrumperet.* Sunt qui scribant Alphonsum tribus in conflictu amissis equis quartum inscendisse; multisque sagittis adverso corpore exceptis, nihil læsum fuisse: quippe quòd pectus loricâ, caput casside obarmatus incesserit. Incidit hæc pugna in annum trecentesimum quadragesimum supra millesimum. De die variant Historici: *Nobis certissimis monumentis*, inquit Mariana, *exploratum est Tertio Calendas Novembris, die Luna victoriam hanc nobilissimam partam esse,* uti

Ægidius fidelis comes Regis & tutor.

uti in fastis Toletanis notatum est, ubi anniversariis sacris festâq; lætitiâ, ex veteri Instituto, ejus diei memoria celebratur. Has annuas supplicationes ob partum de Mauris triumphum decrevit Ægidius Archiepiscopus Toletanus.

Partâ insigni hac Victoriâ, decennio pòst Alphonsus Castellæ Rex diem clausit extremum, Regnum Petro filio, dicto *Crudeli* relinquens, apud quem Ægidius eodem familiaritatis loco receptus eandem auctoritatis gratiam aliquamdiù continuavit. Quem denique in fœdissimam luxuriam, immanemque sævitiam prolabentem, cùm monitis suis à crudelitate, apertisque stupris & adulteriis retrahere non potuisset, & ab eo vitæ suæ insidias strui non obscurè cognovisset, causâ simulatâ, missionem efflagitat; quam cùm vix ad tempus impetrâsset, Concham urbem patriam pervenit, ubi parumper commoratus, comparatâ clanculùm classe ad Clementem VI. Avenione tum agentem profugit: à quo summo honore exceptus, ob doctrinam, prudentiam, rerum gerendarum peritiam, & generis nobilitatem Presbyteris Cardinalibus titulo S. Clementis adscriptus est.

Mortuo Alphonso, Petrus filius, dictus Crudelis, in Regno succedit.

Ægidius Petrum ob vitia declinans Avenionem profugit; ubi purpurâ ornatur.

Mortuo Clemente, Innocentius VI. qui ei sub annum 1352. in Pontificatu successerat, Ægidium Episcopum Sabinensem nominavit. Cumque ea ætate pars magna Italiæ, quæ ditionis Ecclesiasticæ erat, à Tyrannis opprimeretur, ad illam recuperandam legatur in Italiam Ægidius. Tulit inquiore animo Petrus Castellæ Rex Ægidium Cardinalem, cujus operâ uti meditabatur (vel ut alii scribunt, cujus vitæ insidiabatur) in Italiam Legatum mitti. Quare apud eundem Pontificem frequentibus literis & precibus institit, ut illum ab Italica legatione revocatum, in Hispaniam ad pertractanda Regni negotia submitteret: Pontifex, qui Ægidio hoc prætextu insidias strui non ignorabat, artem arte elusurus, Petro extremas Ecclesiæ difficultates, quibus superandis alii pares non essent, in hæc verba exposuit: *Tantum enim præsumpsit, & præsumit etiamnùm in Italiæ partibus adversus Ecclesiam & fideles & devotos ambitio Tyrannorum, quæ jam majorem Terrarum partem ipsius Ecclesiæ temerariis ausibus occupavit, & ad occupandum residuas studia erigit, intendit, & curat, ut propterea necessariò expediat præfati Legati nedum non differre, sed accelerare discessum.* Petrus denegato Ægidio spe sua dejectus, in alios palam desævire, ipsumque Pontificem dicteriis impetere, & hostem regni, nullâ interveniente causâ, interpretari cœpit.

Petrus Ægidium repetit. Sed non obtinet.

Irascitur Pontifici.

Cæterùm extant in Archivo Vaticano Innocentii literæ ad Ægidium datæ, quibus arduum hoc illi munus demandatum est: ut enascentes nimirùm in Italia hæreses potenti suo eloquio præfocaret; scelerum licentiam, objectis censurarum repagulis, coërceret; sacerdotalem splendorem indecorâ vivendi licentiâ pænè extinctum restitueret; divini cultus majestatem magna ex parte oppressam restauraret; bella undique erumpentia oppositis armis componeret; afflictis denique rebus, opportunis remediis, subveniret; & animarum saluti tot expositæ periculis pro virili consuleret & prospiceret. Apostolicas hasce litteras prolixo satis argumento ad Ægidium scriptas legere volenti, suffecerit indigitare Augustinum

Ægidius in Italiam Legatus mittitur: legationis varia causa.

 Oldoi-

Oldoinum in additionibus ad Ciaconium, ubi de gestis Ægidii Cardinalis Legati cum laude agit. Nos cætera prosequamur.

Formidabilē exercitum conscribit, felici successu in Italia Tyrannos movet.

Ægidius itaque amplissimis hisce mandatis, aliisque prærogativis & facultatibus instructus, munus legationis sibi demandatæ ex Apostolico imperio obiturus, diversarum nationum, Gallorum scilicet, Germanorum, Cimbrorum, & Britannorum formidabilem exercitum comparavit; usus ad hoc magna ex parte operâ Gometij Albernotij, nepotis ex fratre, viri strenui, impigri & rei militaris longo usu periti. Accivit etiam ex Hispania viros in paucis celebres, qui bello gerendo egregiam operam navaverant, inter hos Blascum Fernandum & Garsiam Albernotium sibi propinquos, qui jam sub Alphonso Castellæ Rege militantes, in suæ virtutis præmium amplos honores fuerant consecuti. Sic milite & auctoritate stipatus in Italiam iter suscipiens (incusso ubique rebellibus timore) primò Mediolanum venit, ubi à Joanne Archiepiscopo, præmissis honestissimis viris, nobili ac magnifico hospitio exceptus est. Rebus Mediolani utcunque compositis Pisas se contulit pari susceptus honore & hospitalitate. Redactis in ordinem Pisanis, inde movens undecimâ Octobris Anni 1353. Florentiam profectus est. Quem Florentini (teste Matthæo Villano) solemni pompa obviàm effusi, instructo agmine religioso, ingenti populi acclamatione, festo campanarum sono, tubarumque clangore, prætenso ejus capiti prædiviti umbraculo, ac nobilissimis civibus fræna equi tenentibus, magnificè in paratam prætorii ædem deduxerunt. Ægidius explorato rerum statu, redintegrato Magistratu, correctis Cleri, Populique moribus, ac suscepto fidelitatis & obedientiæ pro parte Pontificis sacramento, discessum parat. Abeunti maximi rursùs exhibiti honores, & oblata munera, concessique centum quinquaginta equites auxiliares, armis & vestitu apprimè instructi. Contulit se inde in Patrimonium B. Petri, eique adventanti, post exhibita honoris & fidelitatis obsequia, Montisflasconis, Aquæpendentis, & Volsinii arces se dedidêre. Joannem è vico, Tyrannum, qui Patrimonium B. Petri vi occupaverat, vix armis aggressum fugavit, eoque dilapso Tuscanellam, Viterbium, Martam & Caninum oppida in Ecclesiæ potestatem redegit. Narnia etiam atque Æmilia, excusso ejusdem Joannis de Vico jugo, Ecclesiæ imperio sese addixêre. Eugubinum insuper & Tudertum Joanni Cantuccio extorta, Ecclesiæ interdicto soluta eidem restituta sunt.

Superatis Tyrannis, plurimas arces, oppida, & urbes recipit.

Revocatis ad officium uno quasi victoriæ tractu tot oppidis ac populis, atque confirmatâ Ecclesiæ potentiâ, Picenum ex Tyrannorum servitute vindicare aggressus est. Firmanum, Anconam, Fanum, Pisaurum, Forum Sempronium, Numanam, Senogalliam, Auximum, Recinetum, aliasque plures urbes & oppida in Æmilia & Piceno à Tyrannis oppressas, fugatis iis, Ecclesiæ restituit. Deinde Polentanos ac Ravennam, collatis prosperè cum oppressoribus signis, ad Pontificis obsequium adegit. Cesenam, Castrum novum, arcemque Britenorianam vi expugnavit, & Bononiam, quam initio renitentem habuit, à Joanne Olegiano armis perterrito recepit.

His

His immoranti Ægidio, Carolus Romanorum Rex, coronationis causâ Italiam ingressus, ab Innocentio commendatur, eique munus ungendi eum in Regem coronandique imponitur. At ille Piceno tum bello, quod nullam absentiæ moram pateretur, implicitus, factâ per literas apud Pontificem excusatione, eo se onere liberavit. Quare Petro Cardinali Ostiensi munus augustali Diademate cingendi Carolum impositum.

Cùm autem ea tempestate Ludovicus Rex & Joanna Regina Siciliæ duplici bello exercerentur; hinc enim Fridericus Aragonii sanguinis princeps, Catalanis auxiliis fultus in Trinacria Messanam ac Panhormum divexabat; illinc infestæ fœderatorum militum turmæ Apuliam depascebant. Innocentius Rom. Pontifex afflictis Siciliæ rebus opem allaturus Ægidio Cardinali, ut auxiliares mox illis copias submitteret, imposuit: eidemque in Siciliæ Regno legationis Apostolicæ munus cum hoc imperio demandavit, ut prædones impunè per latrocinia grassantes, objectis armis, coërceret: turbatum regni statum componeret; disciplinam Ecclesiasticam in pristinum splendorem assereret; atque Fraticellos, impurum Hypocritarum genus, reprimeret. *Legationis munere in Sicilia fungitur.*

Sollicitus ergo cùmprimis Ægidius avertendi ab Ecclesiastica ditione socialem latronum exercitum, qui continuis incolas exactionibus, rapinis & latrociniis infestabat, hunc pactâ quadam auri vi placavit: id quod Matthæus Villanus vitio illi tribuit. Sed necessitas eò Cardinalem adegit, cùm Ordelaffi tyrannide Forum-Livium liberare aliter non posset, nisi ab illius fœdere prædatrices turmas abstraheret, quæ quidem promisso auro illectæ, cùm jam Forolivienses depastæ, vix quæ ultra absumere possent, reperirent, numeratis à Cardinale duodecim aureûm numûm millibus discessere. Ac tum Ordelaffus, movente ad urbem Ægidio, extremi periculi terrore cinctus, (quippe qui Foroliviensium odia, ob inductos in eorum domos prædatores fœderatos, in se accenderat) misericordiæ Legati Apostolici, scelerum suorum veniam pactus, se commisit. Sunt qui dicant, Ordelaffum illa ipsa nocte, qua Cardinalis Forolivienses liberaturus advenerat, repentina morte extinctum, in lecto repertum esse. Id quod justo Dei vindicis judiciô factum esse interpretabantur illi, qui magnis ab eo damnis affecti fuerant. *Forolivium à Sociali Latronum exercitu liberat.* *Ordelaffus deditur, & interit.*

Porrò ut intelligatur, quàm sævus, impius & crudelis tyrannus Ordelaffus fuerit, sciendum illum ob patrata atrocia crimina publico edicto ab Innocentio proscriptum fuisse. Nihil verò eo edicto motus, tantùm abest ut ad frugem redierit, ut etiam magis suâ inpervicaciâ obduruerit. Quamobrem necesse habuit Innocentius, tanquam in hæreticum & apertissimum Ecclesiæ hostem anathema pronunciare; sacris in omnibus locis, quæ vi occupaverat, interdicere; & bellum sacrum in prophanum edicere. Impius ad sonum campanæ quando diris devovebatur, etiam ipse alias campanas pulsabat, & in summum Pontificem atque Cardinales, ex aliqua materia effictos ac fœno infartos anathema pronunciabat: nec non Clerum ad sacra obenda per vim compellebat. Quòd si qui concontrairent, eos ad necem dabat. Septem sacerdotes furcis appen- *Crudelia Ordelaffi tyranni facinora enarrantur.*

 dit,

dit, & totidem vivos, quòd se jubente sacrificare nollent, excoriavit. Alios exsectâ virilitate labris ac naribus mutilavit. Si quos autem ex cruce signatis militibus comprehendisset, eorum plantas pedum ferro ignito in formam crucis effigiato adurebat, & signatos dimittebat: in contumeliam crucis dicens; *Illud signum è panno tineis patere, à ferro autem impressum perennare.* Alios ex eisdem forcipibus ignitis nudos vellicabat, & vel patibulis affigebat, vel capite imminuebat, vel pellem vivis detrahebat, vel alio denique modo innocentes enecabat, cum hac irrisione: *Melius illis fore, si contriti & confessi in ea dispositione morerentur, quàm dimissi occasionem haberent, in peccatum relabendi.* Hæc Ordelaffus tyrannus: quo nescias an ab interitu Neronis pejus immaniusque monstrum tulerit tellus.

Forolivium Victor ingreditur, & munit.

Hoc itaque, uti paulò antè diximus, repentinâ morte sublato, Forolivium prædonibus purgatum, ad Ecclesiæ obsequium, auctore Ægidio, redactum est. Quam Urbem Legatus magna celebritate, die 4. Julii anno 1359. ingressus, civium liberatorum in se studia, honores, & obsequia expertus est. Cùm enim Ægidius eam ad propulsandos hostes muniendam censeret, propensos in id omnium animos habuit. Itaque collectâ ex publico ærario auri vi, propugnaculis eam firmioribus, fossis & aggeribus munivit, immissoq; Ecclesiæ præsidio, hostibus deinceps formidabilem reddidit.

Gratulatorias à Pontifice literas recipit.

Ex hac Victoria, ingenti gaudio affectus Pontifex, Ægidio per litteras his verbis gratulatus est: *Licèt fama volantis affatibus, ante tuarum literarum missionem, felix tuus ingressus in Civitatem Foroliviensem ad nostram notitiam pervenisset, facti tamen deinde ex ipsarum literarum serie certiores gavisi sumus in Domino, & exultavit in illo cor nostrum, cùm speremus indubiè, quòd de cætero tam in Marchia, quàm Romaniolæ Provinciis Nostris, & Apostolicæ Sedis laboribus, sumptuumq; profluviis Deus Ecclesiæ suæ Gubernator & Rector, ac Jurium suorum, suæq; Justitiæ defensor finem propitiatus imponet. Tibi quoque (ut quod interiùs gerimus, exteriùs exprimamus) sicut anxietatum multiplicium tuæ mentis non esse participes minimè valebamus, sic congratulari cogimur, qui tecum etiam in tuis turbationibus turbabamur.*

Avenione summis honoribus excipitur.

Totâ fermè Italiâ pacatâ, cùm singulis civitatibus, castris, ac munimentis probatæ fidei viros præfecisset, eademque necessariis præsidiis ac commeatu communivisset, suffectô sibi Androinô Abbate Cluniacensi Avenionem contendit; ubi exceptus fuit ingenti omnium lætitiâ, summaque honoris & obsequii significatione. Appropinquanti enim summus Pontifex cum universo Cardinalium Collegio ad duo millia passuum ab urbe obviàm procedens, eundem per deputatos ad id Cardinales in palatium pontificium deduci jussit. Ubi locuplete oratione rerum ab ipso gestarum summam complexus, maximis ipsum pro suggestu laudibus extulit, & Ecclesiæ patrem ac assertorem, omnium adsensu, appellavit. Tandem jussit eum rerum omnium Italicarum curam cum summa potestate habere. Siquidem (ut cum Ciaconio loquar) *dignum eo honore judicavit, quem tot laboribus susceptis tam benè de Ecclesia meritum nôsset. Et si quid consulto factové opus esset pro Italia conservatione, per eum maximè expediri posse, per quem recepta fuisset, non dubitavit.*

Verùm

Verùm eo in curia diutiùs agente, atque adeò absente cùm res tanto labore partæ sub Androino turbari iterum ac nutare cœpissent; repressique anteà tyranni, collectis viribus, rursùm emergerent, coactus Pontifex eum denuò in Italiam ad ferendum Androino auxilium ablegavit, qui illò profectus, brevi temporis intervallo auctoritate sua, prudentia & armis omnia pacavit.

Emergentibus iterum Tyrannis secundò mittitur in Italiam.

In Vicecomites, præcipuos ea tempestate pacis turbatores, atque in primis Bernabovem eorum Principem arma movit. Erat Bernabos ingenti & heroico spiritu princeps, sed qui ob nimiùm augendæ dignitatis, ac imperii proferendi studium, & bellandi effrænem quendam, neque satis consultum ardorem, gloriæ cupiditate accensum, justò ferocior esse videbatur. Cum hoc igitur duodecimo Kal. Julij anno salutis 1363. Ægidius ingenti stipatus exercitu congressus, eundem propè Bononiam ad S. Roffilli ædem adeò luculento prælio devicit, ut paucis fugâ dilapsis, reliqui omnes vel acie occubuerint, vel in manus victorum devenerint. Cæsi ad sedecim hostium millia produntur: capti sex millia: amissæ maximæ opes & eximia Principis supellex: In ea erant vasa aurea & argentea, & pretiosæ vestes. Currus item trecenti, commeatûs ingens copia, & apparatûs bellici maxima vis. Ob insignis hujus victoriæ memoriam Bononienses (teste Sigonio l. 3. de Episcopis Bonon.) quotannis in eam diem equorum cursum, etiamnùm durantem, instituerunt. Cujus etiam meminit Ægidius Viterbiensis in hæc verba: *Ægidius Cardinalis Albernotius Bernabovem vicit, castris exuit, Duces clarissimos ejus cepit, tantâ gloriâ, ut undique Oratores ad Legatum missi venerint, partim gratulatum, partim commendandorum Vicecomitum gratiâ, quòd fecerunt Anglia, Gallia, Cypri Regum Legati. Tanta ejus Victoria lux fuit, ut statim orbem penè universum penetrârit.*

Bernabovem Mediolanensium Ducem aggreditur, & profligat.

Ex Italia deinde in Hungariam profectus, Ludovicum Regem ex nomine Pontificis convenit, ut eum ad capessendam Romanæ Ecclesiæ clientelam, ac tuenda armis illius jura excitaret: utrumque ex animi sententiâ confecit: *namque Regem*, ut Bonfinius ait, *sui amantissimum, per omnia obsequentem habuit.*

Legatur in Hungariam.

Mortuo interim Innocentio successit Urbanus hujus nominis V. vir uti vitæ probitate conspicuus, sic literarum eruditione apprimè excellens: Quem Petrarcha coætaneus libro 7. Senilium appellat *hominum innocentissimum: quippe qui nulli toto anteacta vita decursu malè fecerit, aut optaverit; qui humanitate rerum, & verborum humilitate Christum, quantùm poterat sequebatar:* Victor humanorum affectuum & contemptor: Christi, cui in spiritu serviebat; Petri, cui in officio successerat; Ecclesiæ, cui præsidebat; Sedis Apostolicæ, cui insidebat; universique Christiani populi amator eximius. Vir denique sine exemplo illius ætatis, qui raro cum exemplo virtutem amare, & voluptatem spernere docuerat, qui inter sacram inediam nutritus, ciborum abstinentiâ, sacrorum librorum lectione ad cœlestem animi pinguedinem indefesso studio anhelabat. Is igitur extrà Collegium ad Petri solium evectus, ab Ægidio Legato in Italiam jam jam pacatam evocatus, Avenione maritimo itinere Cornetum pervenit, ubi Ægidium quingentis stipatum Ecclesiæ Præ-

Urbanus V. Innocentio succedit, vir ab Innocentia morum, & vita sanctitate commendatissimus.

 latis,

latis, maximoque Principum, procerum, ac nobilium numero comitatum, obvium habuit. Viterbium se contulit Pontifex, cui Ægidius, legationis munere deposito, prospera precatus, omnium primus sacros exosculatus est pedes, mox Principes, ac Magnates, denique Nobiles, quivis ex ordine.

Ægidius rationem legationum obitarum postulatus, claves receptarum urbium pro ratione offert.

Ferunt tum Pontificem quorundam æmulorum Cardinalium suggestione instigatum, rationem administratæ legationis ab Ægidio petiisse; qui Pontifici vectigalium etiam rationem reposcenti, claves urbium, oppidorum, castrorum, & arcium à se recuperatarum, (vix eas capiente curru) pro ratione obtulit. Cui Pontifex, ejus animi magnitudinem & constantiam admiratus respondit: *Et herclè Ægidi, tam amissam rem Ecclesiasticam haud magno impendio nobis receptam esse fatemur, ac tuæ parcitati gratias habemus.*

Legationem Neapolim suscipit, Joannam Reginam ad fidei Sacramentum adigit.

Paucis pòst diebus Ægidius Pontificem Romam comitatus, jussus est assumpto legationis munere Neapolim adire, ut Joannam Reginam fidei sacramento in Urbani verba adigeret, & sceptrum sibi culum Apostolicæ Sedis liberalitati acceptum referenti assereret. Magni honores Ægidio Cardinali Legato Siciliam ingredienti præstiti, & Joanna Regina ab eo fidei sacramento adacta, Urbani V. beneficiariam se professa est: ut vetera rerum monumenta testantur. In hac legatione Ægidius plures ad componendum Siciliæ statum sanctiones edidit, quæ cùm invidorum malevolentiâ spernerentur, Romanus Pontifex Joannam Reginam seriò monuit, uti eas servandas curaret, atque ad publicam rem ex æquitate constituendam incumberet; secùs de Regno amittendo periculum incursuram.

Bononiæ celebre Collegium pro 31. studiosis condi curat.

Hanc Legationem Siculam ante Urbani in Italiam adventum subiisse Ægidium volunt nonnulli, qui illum Viterbii, præsente ipso Pontifice, quasi suo functum munere immortalitatis lauream collecturum obiisse scribunt. Viterbii igitur mortalitatis memor Ægidius, ac velut instantem mortem animo præsagiens posteritatique consulens, testamentum condidit, & convocatis amicis Collegii in Urbe Bononia Hispanis condendi præcipuam curam delegavit, quod quidem altero ab ejus obitu anno cxædificatum celebre nunc cernitur, & amplissimis redditibus dotatum, prout ipse testamento cavit, in quo unus & triginta juvenes bonis studiis imbuendi alerentur: quorum tres Aragonenses ut essent statuit, unus Lusitanus, cæteri omnes Castellani. Quorum item octo Theologiam, quatuor Medicinam, reliqui jus pontificium profiterentur. Quatuor item Sacerdotes, qui rebus divinis præessent & sacra procurarent, qui per octo solidos annos in eo singuli permanerent cum Rectore & Consiliariis, more cæterorum Gymnasiorum. In hoc Collegio Bononiæ erecto extat ad memoriam posterorum sequens Ægidii elogium:

ÆGIDIUS CARDINALIS S. CLEMENTIS, SPECTABILI VIRTUTE
B. PETRI PATRIMONIUM TYRANNICA SÆVITIA RABIENTE,
VARIIS TURBINIBUS AGITATUM, RECUPERATA PRISTINA
LIBERTATE, IN TUTA PACE QUIESCIT.

Neque hoc solùm beneficio Bononiam urbem affecit Ægidius, adjecit & alia, quibus immortalem apud eos laudem promeritus est.

Magno

Magno carebat Bononia bono, non tantùm ad urbis pulchritudinem & ornamentum, sed ad quotidianos etiam usus pernecessario. Nullo siquidem fluvio interlabente civitatem illam, sed ne præterfluente quidem propiùs passuum tribus millibus, assiduo dispendio longiùs ab urbe cives excedere ad conficiendum frumentum cogebantur : res non modò gravis pacificis, sed & bellum gerentibus oppidò periculosa, & detrimenti plena. Quo animadverso Ægidius, ut Bononienses suô beneficiô, tanto incommodo liberaret, utque urbs ipsa honestior simul & munitior redderetur, partem Rheni, qui Bononiam à tertio lapide præterlabitur, magno labore, magnisque suis impensis per medium urbis, constructô alveô, derivavit : qui in rivulos exinde, ac brachia (ut vocant) sectus, multiplici deinceps commodo tum in publicos tum in privatos usus incolis cessit. Nam molæ aquariæ (seu molendina dicere malis) ab introducto fluvio frequentes intra mœnia exædificatæ pristinorum necessitatem, & longiùs excedendi molitionis causâ incommodum sustulerunt. Machinæ prætereà constructæ sunt ad secandam mirâ celeritate & facilitate cujuscunque rei solubilis materiam serrâ trusatili, quæ aquarum vi sursùm ac deorsùm agitata, una multorum hominum, anteà non absque sudoris & æris impendio adhibitorum, operas adæquaret. Quo nec minùs utile, nec minore etiam admiratione dignum est frequens Bononiæ machinamentum ad polienda & concinnanda textui fila serica, quo machinamento aquæ impulsu circumacta supra quatuor millia fusorum interdùm miro ordine, & incredibili artificio simul versantur. Quin & ad salutem loci plurimùm contulisse flumen indubitato Medicis experimento proditum est. Bononiensibus enim, nullis ante fontium rivis urbem discurrentibus, putealis tantùm & emortuæ (ut sic dicam) aquæ copia & usus erat, qua fluviatilis tantò dulcior tantoque salubrior est, ut huic comparata putealis, humano potui damnanda potiùs, quàm commendanda veniat. Demùm quòd merces onerariis cymbis Ferrariam usque secundo flumine deportentur, ac reportentur adverso, magno Bononiensium ac Ferrariensium commodo & emolumento, Ægidii industriæ ac beneficio acceptum refertur.

Eandem Urbem multis aliis, iisq; maximis beneficiis afficit.

Migravit ad immortalem vitæ stationem vir æternitatis balsamo dignus die 24. Augusti anno restauratæ salutis 1367. Quem Auctor vitæ Urbani V. apud Bosquetum, inter alias laudes hoc exornat elogio : *Fuit insuper homo admodùm virtuosus, literarum scientiâ praditus, in agilibus multùm circumspectus, corde magnanimus, corpore laboriosus, & in factis armorum, non omissa pontificali decentia, valdè edoctus, & sic expertus, ut nullum totâ Italia sibi parem haberet : Bonis omnibus ut amabilis, sic è contrario malis & inquietis terribilis.*

Ejus obitus & elogium.

Tanti viri mortem Pontifex tam acerbè tulit, ut accepto ejus nuncio biduum integrum, mœrori indulgens, cibo abstinuerit; nec ulli hominum conveniendi sui copiam fecerit, illud semper haud interruptis singultibus ingeminans : *Tené, Ægidi, perdidimus ? cujus virtute repressi Tyranni ? Ecclesia in libertatem asserta ? Tené perdidimus ? de Nobis certè actum videtur, ni Deus propitiatus succedat in adjutorium!* Cineres ejus Assisii temporario sepulchro in Ecclesia S. Francisci

Pontifex ejus decessu mullum tristatur.

conditi,

Cineres ejus maximâ pompâ Assisio Toletum transferuntur. conditi, Toletum posteà (uti testamento caverat) ad Templum Divi Ildephonsi funebri pompa translati sunt. Cumque Urbanus Pontifex amplissima Indulgentiarum præmia funus cohonestaturis, ac feretro succollantibus dilargitus esset, Assisiô Toletum usque certatim occurrentibus populis, piorum humeris delatum esse referunt Scriptores Hispanici. Bergomensis tamen non corpus, sed sed cor dumtaxat, balsamô delibutum, & argenteâ thecâ inclusum, in Hispaniam delatum adfirmat.

Inter Elogia, quibus passim Albernotii memoria apud Scriptores celebratur, illud non ultimo loco reponendum, quod Joannes Baptista Ursi S. J. concinnavit, relatum ab Oldoino in additionibus ad Ciaconium in hæc verba:

Elogium ejus ex Joanne Baptistâ Ursi refertur. *Ægidius Cardinalis Albernotius altâ ab stirpe Regum Legionensium & Aragonensium, Archiepiscopus Toletanus, majore pietate & doctrina, quàm natalium majestate verendus. Rem Hispanicam, quoad licuit; Romanam, quoad vixit, consilio, labore, virtute bellica à vi, à servitute vindicavit, adversus Mauros decertante Alphonso Rege, periculi & victoria consors. Italos tyrannos Romanis arcibus insultantes summus Imperator persecutus. Extincto Innocentio VI. pontificiam dignitatem ultrò oblatam, labantemq; si Itali excederet, victor sui maluit tueri, quàm adire: nec ante arma deposuit, quàm debellatis hostibus, Urbanum V. Romanam in sedem, urbemq; revocaverit Christiana libertatis vindex: quo functus munere, magno parto nomine, majore otio, fato cessit; nec cessit tamen bonis artibus, de Hispano Imperio, de nobiliore hominum genere, fundato Bononia Collegio, meretur adhuc. Obiit anno salutis humana 1367. Invicti cineres tam sacri merito capitis, (viventium instar Pontificum) cervicibus virorum, Regumq; & Magistratuum Assisiô delati Toletum.*

Quæ scripserit? Scripsit Ægidius Cardinalis Institutiones quasdam, quarum pervetustum exemplar in membranis, inter antiqua suorum civium monumenta se legisse fatetur Julius Roscius Hortinus in Elogiis militaribus. Item Constitutiones pro tranquillo statu Piceni, *Aegidianas* dictas, quibus etiam nunc Picena Regio dirigitur. Alias quoque edidit Constitutiones, cùm Vicarius esset Regni Siciliæ, valdè utiles, quæ in Cardinalis Sirleti Bibliotheca olim visebantur, ut auctor est Nomenclator Cardinalium.

Ejus Pietatis monumenta. In Hispania Ecclesiam, & contiguum illi Cœnobium in honorem S. Blasii Martyris erexit, illudque annuis redditibus ditatum Canonicis Regularibus S. Augustini concessit. Ensem, quo à cervicibus S. Paulo Apostolo Romæ caput amputatum est, Ecclesiæ Toletanæ dono dedit. Ædem S. Francisco Seraphico Assisij sacram restauravit, tantisque beneficiis Religiosorum illorum familiam prosecutus est, ut se ipsi sanctissimo statuto obstrinxerint, singulis mensibus quartâ & vigesimâ quaque die ad justa ejus animæ in perpetuum celebranda. Quod officium pietatis pari de causâ Bononiæ anniversario sacro præstant eidem in æde S. Joannis in monte 25. Augusti Religiosi viri, qui Divi Augustini regulam profitentur. Multa præterea vir liberalissimus testamento in opera pia eroganda reliquit, quæ cùm speciatim enumeret Oldoinus in additionibus ad Ciaconium, hoc loco, ne longior sim, repetere supersedi.

Ejus

Ejus meminère cum laude, Theodorus à Niem in Innocentio VI. Matthaus Villanus l. 3. c. 80. usque ad finem historiæ suæ. Auctor Historiæ Lingua Romanensis, Joannes Gennesius Sepulveda in Vita. Panvinius de Rom. Pontif. Antonius Sanderus in Elogiis Cardin. Julius Roscius in Elogiis militaribus. Henricus Albi in Elogiis Cardinal. Scipio Ammirat. in historia Florentina. Raynaldus Bzovius & Spondanus in Annal. Ecclesiasticis. Victorellus, Ughellius, & Oldoinus in addit. ad Ciacon. aliiq; quamplurimi.

ANNO 1342.

SEDENTE CLEMENTE VI. PONT. MAX.

De

PASTORE DE SARESTUDIO S. R. E. CARDINALE.

PASTOR de Sarestudio (quem alii de Albenaco à Monasterio, in quo educatus est, & ab urbe sui natalis cognominant) natione Gallus, Ordinis Minorum, Doctor Theologus Parisiensis. Is ob vitæ probitatem, rerum insignem experientiam, eruditionem, & prudentiam abs sui ordinis Alumnis Magister Provinciæ electus, cùm se tali ministerio, ex innata animi demissione, indignum reputaret, noluit eorum suffragiis assentiri. Eapropter à multis veluti vir solidæ virtutis apud Pontificem laudatus, dignusque qui ad altiora conscenderet, judicatus, sub annum salutis 1337. in cathedram Assisiatem, opportunè tum vacantem, Decreto Pontificio, reluctans licèt, sufficitur. L.

Ex humilitate Ordinis sui dignitatē recusans Episcopus Assisii constituitur.

In Italiam igitur administrandi causâ Episcopatûs proficiscenti, Benedictus XI. dictus XII. inter alia potissimùm hoc in mandatis dedit, uti ad preces Sanctiæ Reginæ Siciliæ viginti sorores discretas, quæ provectæ ætatis, probatæque conversationis essent, ex Monasterio Provinciæ Neapolim ad regium Corporis Christi Cœnobium eo fine transferret, ut adolescentiores quasdam inibi Deo devotas Virgines, disciplinis & institutis regularibus probè informarent.

Moniales ad informandas sacratas Deo puellas Neapolim mittit.

Perfunctus hoc negotio, ne commissa sibi Sedes ex diuturniori absentiâ dispendium aliquod pateretur, Assisium se contulit, ubi aliquamdiu commoratus dignitatem suam summa cum laude, ex commodo gregis integerrimè administravit. Verùm cùm posteà gravissimis expediendis negotiis, ejus operâ Pontifex uti vellet, Assisio illum in Galliam revocavit, pauloque pòst (quò propior sibi ad manus esset) ad Archiepiscopatum Ebredunensem transtulit.

Archiepiscopus Ebredunensis, ac paulò post Cardinalis renunciatur.

Erepto è vivis Benedicto, Clemens VI. Prædecessoris sui circa Pastorem benevolentiam æmulatus, eundem, urgentibus meritis, Presbyteris Cardinalibus titulô SS. Marcellini & Petri adjunxit: uti constat ex literis pontificiis, paucis à creatione diebus, Decimo nimirum Kalendas Januarii 1342. ad ipsum datis: quarum hic tenor:

CLEMENS &c. DILECTO FILIO PASTORI,
Tituli SS. Marcellini & Petri Presbytero Cardinali.

Nuper propter clara virtutum tuarum insignia, & grandium tuorum excellentiam meritorum, aliaq; dona, quibus te Dominus insignivit, ad supportandum nobiscum & cum fratribus nostris S.R.E. Cardinalibus, universalis Ecclesia onus, te olim Archiepiscopum Ebredunensem à vinculo, quo Ebredunensi Ecclesia, cui tunc praeras, tenebaris, de Apostolica potestatis plenitudine absolventes, in S.R.E. Cardinalem presbyterum auctoritate Apostolica duximus assumendum &c.

Legatur in Galliam ad eximendos aliquot è custodiâ præsules.

Illi vixdùm ad Purpuram assumpto, uti etiam Guillelmo Carnotensi Episcopo legatio ad Philippum Galliarum Regem commissa super liberandis Petro Cardinale S. Clementis, aliisque Præsulibus & eorum familiaribus, quos Rex injustâ planè & sacrilegâ custodiâ detinebat; & super revocandis & rescindendis iis, quæ Rex adversùs Ecclesiæ auctoritatem & immunitatem perperàm sanxerat. Ut verò exasperatum Regis animum emolliret Pastor, longo eum tempore Parisiis immorari oportuit: qui tandem cooperante, & sollicitè interveniente Joannâ Reginâ ad optata pervenit, antiquatis, quæ adversùs Ecclesiam erant, regiis actibus, assertisque in libertatem viris Ecclesiasticis. Hujus Legationis instrumentum habetur in Registro Clementis VI. in Bibliotheca Vaticana asservato.

Scripta ejus, & obitus.

Scripsit vir doctissimus inter alia egregium Volumen
De Gestis suo tempore in Ecclesia memorabilibus.
Commentaria in libros Regum.
In Psalterium.
In Evangelia.
Sermones de Tempore.
Multaque alia in sacros ac prophanos libros.

Obiit plenus meritorum Avenione die undecima Octobris anno salutis humanæ 1356. uti monumenta Vaticana testantur: ibidem ad Minores tumulatus.

Ejus memoriam celebrant Lucas Waddingus in Annal. Min. Felix Contelorius in Elencho Cardin. Frizonius in Gall. purp. Auberyus in Vita. Claudius Robertus in Gallia Christiana. Eisengrenius. Nomenclator Cardinalium. Gaspar Jongell. in Elogiis Cardinalium Ord. Min. Necrologium Minorum Avenionensium. Aliiq;.

ANNO 1342.
SEDENTE CLEMENTE VI. PONT. MAX.

De

JOANNE MORLANDINO S.R.E. CARDINALE.

LI. JOANNES Morlandinus, vel (ut aliis placet) Molendinus, natione Gallus, patriâ Lemovicensis, Clementis VI. nepos ex sorore, à teneris annis sacro Divi Dominici Ordini in Cœnobio Briviensi Tolosanæ Provinciæ nomen dedit. Omni virtutum & lite-

& literarum genere excultus, laureaque Magistrali donatus, pluries instituti sui sodalibus Peripateticorum principem Aristotelem explanavit. Doctor deinde Theologus, hæreticæ pravitatis Inquisitoris munere Tolosæ functus est. Demùm ob præstantes animi dotes, ac singularem regularis vitæ integritatem & observantiam, omnium suffragiis vigesimus sui Ordinis Magister Generalis, in Comitiis Barcinone sub annum Domini 1349. coactis, suffectus est in locum Guerrini de Gracô Galli; eique præfuit mirâ vitæ morumque innocentiâ biennium.

In Cœnobio Briviensi Aristotelem interpretatur, & paulò pòst Ordinis totius Generalis eligitur.

Cùm autem esset Theologicis disciplinis apprimè instructus, Gerardi Cardinalis operâ, cui maximâ necessitudine conjunctus erat, Lector, seu Magister sacri Palatii primò; mox presbyter Cardinalis titulo S. Sabinæ à Clemente patruo absens, dum Gallici Regni Cœnobia sibi commissa perlustraret, renunciatus est. Post Clementis obitum, Innocentio VI. viro doctissimo, justitiæ & æquitatis gloriâ illustri suffragatus est in Comitiis Apostolicis, contrà quosdam laxioris habenæ Cardinales, qui privati commodi illecebrâ deliniti, eo præterito, Gallum quendam minùs severum, sibique & Regi magis studentem ad thiaram provectum ambiebant: unde iis odiosus redditus, non semel convitia & incommoda sufferre habuit, quæ tamen omnia vir Deo & Ecclesiæ consulens, æquo libentique animo ad mortem usque pertulit.

Cardinalis creatur.

Conscientiæ & æquitati studens, multa incommoda patitur.

Scripsit de Reparatione Lapsi.
De Mundi Contemptu.
De Disciplina monastica.
Commentaria in Libros Aristotelis.
Tractatum item insignem de sanguine Christi, contra quosdam Auctores Hispanos, contendentes temerè, *Sanguinem Christi in cruce pro mundi pretiò effusum, cultu latriæ non esse adorandum.* Consulatur Spondanus ad annum Christi 1352. n. 9.

Scripta ejus, & obitus.

Migravit ad Superos fine beato Avenione die 23. Februarij anno salutis 1353. ut probat ex libro obligationum Felix Contelorius contra Ciaconium aliosque ejus sequaces, mortem ejus ad annum 1358. prorogantes. Sepultus est apud Patres Dominicanos Avenione, quos, dum viveret, multis affecerat beneficiis.

Ejus meminêre Panvinius in Vitis Pontificum. Lucas Waddingus in Ann. Min. Contelorius in Elencho Cardinalium. Petrus Frizonius in Gall. purp. Aubery in Vita. S. Antoninus p. 3. t. 23. cap. 11. Auctor Vitæ Clementis VI. apud Bosquetum. & Alii.

ANNO 1342.

SEDENTE CLEMENTE VI. PONTIF. MAXIM.

De

NICOLAO CAPOCCIO
S. R. E. CARDINALE.

LII.

Perusii Juris prudentiæ operam navans, à Baldo Juris peritissimus vocatur.

NICOLAUS Capoccius, nobilis Romanus, de Regione montium, Honorii IV. ab, nepos ex latere Pernæ matris de S. Alberto, quæ fuerat filia Isabella sororis ejusdem Honorii. Is à primordio ætatis suæ singularis ingenii acuminè & præstantia præditus, à Joanne patre viro clarissimo Perusium, celebrem Italiæ urbem, Jurisprudentiæ sub consultissimis Baldo & Bartholo operam daturus mittitur. Illic annum agens undevigesimum, ingenii facilitate æquales longè prætervectus, summo cum plausu Laureâ Doctoratûs insignitur: ex quô tantam in Jure peritiam præ se tulit, ut *Venerabilis, & in Jure peritissimus* ab eodem Baldô nuncupari meruerit. Hinc omnium gravissimorum munerum capax effectus, à Joanne Francorum Rege supremus Galliæ Cancellarius (ut scribunt Ciaconius & Floravantes Martinellus) creatur. Cumque indefessos pro Ecclesia Romana labores, agonesque contra Imperatorem Ludovicum Bavarum, ejusque sequaces Pontifici rebelles suscepisset, meritò in eum collata sunt plurima magnarum dignitatum Sacerdotia. Et primò quidem Præpositura S. Audemari in Gallia, quam tribus erectis, dotatisque capellaniis adauxit: deinde Præpositura Valentiæ, & Præpositura Devandiensis in Insula Hollandiæ: Prioratus item S. Quintini in Gallia, tum Archiepiscopatus Herbipolensis in Germania. Quas dignitates subsecutus est Episcopatus Urgellensis in Hispania Tarraconensi.

Variis Ecclesiasticis dignitatibus insignitus Cardinalis efficitur.

His insignitus honoribus, ac omni jam propè laude cumulatus Capoccius, veluti quibusdam gradibus ad dudùm promeritam purpuram, promovente Clemente VI. Presbyter Cardinalis titulo S. Vitalis seu Vestinæ ascendit anno salutis 1350. Auctus deinde ab Innocentio VI. Episcopatu Tusculano, legationis munere functus est in Gallia unà cum Talairando Episcopo Albano circà salutis annum 1356. ad Joannem Francorum & Eduardum Anglorum Reges pacandos, qui funesto inter se bello collisi, multarum cædium ac calamitatum auctores extiterunt. Nihil tamen, licèt æquissimas pacis conditiones proponeret, apud præferocem Joannem, ad salutaria consilia prorsùs obsurdescentem, impetrare potuit. Quare initâ paulò pòst temerè pugnâ superatus ipse, captusque Anglis Victoribus in prædam cessit, omni pænè Gallorum nobilitate ad internecionem cæsâ: quemadmodùm supra n. 37. in Talairando diximus.

Legationis munere ad pacificandos Galliæ & Angliæ Reges fungitur.

Redux in Galliis Capoccius, piis intentus operibus nobilissimum Perusii Collegium (veteris Sapientiæ titulo nuncupatum) pro quadraginta Juvenibus alendis, ac in omni cujuslibet literaturæ disciplina instituendis, proprio sumptu, à fundamentis erexit: quibus saluberrimus ipse constitutiones ac regulas, in perpetuùm sub juramenti vinculo observandas præscripsit: pro ut ex veteri monumento ac tabulis testamenti, ab Oldoino in additionibus ad Ciaconium relatis perspicuè liquet.

A pluribus sacris ædificiis, & pietatis operibus posteritati commendatur.

Celebre quoque Monasterium Perusio proximum unà cum Ecclesia Deiparæ Virgini sacrâ in Montemurcino ex ædificavit, quod opimis redditibus dotatum, auctumque variis largitionibus, Mona-

Monachis Albis Congregationis Montis-Oliveti perpetuò incolendum concessit. Cœnobium etiam & Ecclesiam sub invocatione S. Julianæ Virginis & Martyris suo ære construxisse Nicolaum Capoccium Perusii pro Monialibus S. Benedicti, Ordinis Olivetani, auctor est Floravantes Martinellus in additionibus ad Ciaconium. At ex Tabulis ejusdem Cœnobii exploratum est, ante annos circiter centum Monasterium illud erectum fuisse liberalitate Joannis de Toleto Angli, uti videre est in nostra Purpura docta Libro primo. num. 81.

Romæ in Exquiliis in Ecclesia Liberiana egregium pariter Sacellum D. Martyri Laurentio dicatum erexit & exornavit Capoccius: in qua etiam Basilicâ Collegium duodecim Sacerdotum Sæcularium maximo sumptu erigi mandavit, qui præter solemne sacrum, quotidiè celebrandum, tenerentur divinis laudibus cum Capitulo ejusdem Basilicæ decantandis semper interesse, in hunc finem annuos illis redditus, ac ædes proprias ad collegialiter vivendum assignavit. Postrema hæc optimi Cardinalis voluntas inconcussa, & inviolata permansit ab anno 1374. usque ad annum 1568. quo anno Sacelli titulis (nescio qua conscientia) suppressis, & amotis Ministris Pius IV. Pontif. Max. quatuor Beneficiatos instituit, ad majorem, ut ipse asserebat, dictæ Ecclesiæ decorem: & tandem (juxtà rerum omnium vicissitudinem) in Burghesianæ Capellæ ædificatione Sacellum ipsum, ac ipsam plurium Sæculorum pernobilem Capocciorum familiam anno 1620. Vincentio Capoccio, ultimo ejus gentis surculo extincto, ad suum occasum tractam indoluit Roma universa.

Fatis concessit Nicolaus Cardinalis die 24. Julii anno 1368. non in Castro-Verucæ, ut malè quidam cum errante Ciaconio opinati sunt, sed in Monte-Flasconio, ubi tum cum Urbano V. declinandi æstûs, clementiorisque aëris colligendi causâ agebat. Corpus ejus (uti decedens jusserat) Romam ad Basilicam Liberianam delatum, ibidem in Sacello D. Laurentii à se constructo honorificè (adjectis etiam Elogiis, à Paulo de Angelis in descriptione ejusdem Basilicæ relatis) sepultum fuit. Erat Capoccius vir magnæ virtutis & doctrinæ, multisque in Rempublicam Christianam meritis insignis, opulentus & liberalis, sed præcipuè in pauperes munificus, quibus ingentem auri summam decedens legaverat.

Moritur in Monte Flasconio.

Ejus præclarum elogium

Ejus memoriam Anonymus Auctor Vitæ Urbani V. apud Bosquetum his verbis posteritati commendat: *Anno 1368. die 26. mensis Julii obiit in Monteflasconis Dominus Nicolaus de Capoccio, Episcopus Tusculanus Cardinalis, Romanus, vir magnæ literaturæ, zelator justitiæ maximus, pauperum continuus sustentator, diebus enim singulis per hospitalia panem & vinum, & alia cibaria in domo sua præparata abundanter faciebat distribui, & pauperibus in Christi nomine ministrari. Ultra hæc de ipso duo laudabilia notanter referuntur: primò quòd in Consistoriis publicis & Conciliis sic liberè & intrepidè locutus est, quòd propter neminem, sive præsentem, sive absentem omiserit dicere illud, quod sua sibi conscientia dictabat. Secundò cùm esset valdè practicus in decisione & prosecutione causarum, amore DEI & pietatis intuitu pauperibus litigantibus, quos sciebat justas fovere causas, consilia da-*

bat, eorum processus perlustrabat, positiones & articulos, & alia ad hoc eis opportuna dictabat, formabat & ordinabat. Salaria etiam Notariorum, Procuratorum, Advocatorum de proprio ministrabat, & etiam quacunque victus necessaria videbantur, aut eorum inopia exigebat, largiter effundebat. De Bonis etiam à Deo sibi liberaliter datis Collegia, Ecclesias, Sacella & Monasteria fundabat & dotabat, præcipuè verò multa bona concessit Ecclesia S. Mariæ Majoris de Urbe, ubi jacet miraculis coruscando.

Ejusdem Scripta. Multa scripsisse fertur ad Jurisprudentiam, cujus peritissimus erat, pertinentia: quæ inter MM. SS. Bibliothecæ Vaticanæ hodiedùm asservantur.

Ejus mentionem faciunt Panvinius in Vitis Pontif. Aubery in Vita. Floravantes Martinellus in addit ad Ciacon. Matthaus Villanus in hist. Florent. Secundus Lancellotus in Historia Olivetana. Paulus de Angelis in Descript. Basilica Liberiana. Contelorius in Elencho Cardin. Hippolytus Marraccius in purpura Mariana. Raynaldus in Annal. Ecclesiast. & Alii.

ANNO 1342.

SEDENTE CLEMENTE VI. PONT. MAX.

De

MATTHÆO COROZMANNO
S.R.E. CARDINALE.

LIII. MATTHÆUS Corozmannus, Germanus Athesinus, nobili Corozmannorum Comitum Tyrolensium stirpe oriundus, tantæ probitatis, virtutis, & doctrinæ vir fuit, ut Conradus Decius, de eo agens, dicere non dubitaverit: *Sive enim generis nobilitatem, sive doctrinam, sive prudentiam multo rerum usu instructam, sive virtutes illustri viro dignas, quærimus: omnia in Matthæo, Dei concessu, eximia deprehendemus.* Ob egregias hasce animi dotes ad Infulam Brixinensem assumptus, summa cum laude, rerumque emolumento præfuit usque ad annum 1350. quo virtutum ejus famâ ad Apostolicam Curiam penetrante, à Clemente VI. (hominis æstimatore maximo) absens inter S.R.E. Cardinales adscriptus est. Cui tamen dignitati Matthæum, sua jam sorte contentum, humili modestia, raroque exemplo, renunciasse; nec unquam Cardinalitio titulo usum fuisse Auctor est Viciguelus Hundensis in Historia Metropolitana Salisburgensi, cui etiam subscribit & assentitur Ughellius in additionibus ad Ciaconium.

Ob insignes animi dotes Episcopus Brixinensis, & Cardinalis efficitur.

Cardinalatui renunciat.

Dimisso itaque Cardinalatu omne studium suum & operam contulit ad reformandam, beneque moderandam Diœcesim suam, quam in exordio suæ assumptionis, tùm Ecclesiasticorum luxu, tum Magistratuum oscitantia, culpabilem in multis, labefactatam, ac vitiis plurimis scatentem invenerat. Ne verò aliis emendandis æquô rigorosior, sibi remissus videretur, à se ipso, tanquam capite, rem exorsus, familiam suam omnem ad certum, & non nisi necessarium numerum, rejectis superfluis, maximè vitiosis, redegit: nec nisi

Pastorali zelo commissi sibi gregis invigilat; reformationem morum instituit.

nisi probatissimos deinceps viros scientiâ & moribus præstantes domi habere voluit. Utque idem animarum Rectores, plebisque Magistratus, se præeunte, efficerent, acri promulgatô edictô jussit: dicebat enim, *suam & Clericorum vitam aliis exemplo & incitamento ad castè, sobriéq; vivendum esse debere.*

Perlustravit deinde vigili circumspectione universam Diœcesim, singulasque Rectorum Parœcias, & Tribunalia Magistratuum: qua occasione, coactâ Synodô saluberrimas, utrique statui convenientes, edidit leges: quibus illud præprimis curavit, ut in eligendis Magistratibus, & animarum Pastoribus, ii, quorum interest, non quàm dives, aut nobilis; sed quàm eruditus, virtuosus, & inculpabilis quis esset, rationem haberent. Homines ad sacra admittendos non de censu, vel stemate, sed de virtute, doctrinâ, & pietate censeri oportere; rerum humanarum contemptores recipi, cupidos expelli debere asserens. Quibus Christi & Apostolorum vita & vestigia cordi essent, iis Ecclesiarum curam committendam; è contrariò quos aut luxus, aut opes delectant, hos arcendos à sacris, & veluti salem infatuatum ab Ecclesiæ promptuariis projiciendos esse. Apostoli Regulam proponens, & inculcans: *qui non laborat, non manducet: qui non abstinet à luxu atque illicitis, Ecclesiarum census ne accipiat.* Constituit etiam ut omnes Parochi, Decani, Præpositi, & qui beneficia Ecclesiastica quocunque titulo possiderent (nisi rationabili de causa absentes essent) ad Ecclesias suas sub privationis pœna proficiscerentur; gregi suo, fideli & vigilanti oculo assisterent, quotidiana pro iis Deo sacrificia offerrent; verbo divino, sacramentorum administratione, bonorum operum exemplo pascerent; pauperum, aliarumque miserabilium personarum curam paternè gererent: *cognita enim ei, ac cordi erat Pastorum spiritualium obligatio* (inquit Auctor vitæ ejus) *sciens divino jure præceptum iis esse, ne à grege sibi concredito discedant, sed ut eum pascant verbo, regant exemplo, medicina spirituali juvent, potestate à lupis tueantur.*

In hunc finê Synodum cogit, ac Salubria statuta edit.

Cùm verò circa annum salutis 1361. (Bzovius habet 1354.) ad instantes Caroli IV. Imp. preces Festum Lanceæ & clavorum, quibus DEI Filius in cruce transfixus fuerat, ab Innocentio VI. Pontif. Max. solemni ritu ad dignè concelebranda sacra hæc pignora, institutum esset: Matthæus in eadem Dominicæ Passionis instrumenta mirè affectus, piam ejusmodi solemnitatem in suam quoque Diœcesim introduxit; ac ut quotannis Feria Sexta post Octavam Dominicæ Resurrectionis concelebraretur, edictô mandavit. Cumque super ea re, tanquam novâ & inusitatâ, multorum obloquutiones, (fortassè Hæreticorum) audirentur; imò & dicteria minimè toleranda in vulgus spargerentur, quibus devotio hæc, veluti superstitiosa & idololatrica traducebatur, Matthæus insanis ejusmodi conatibus, & suggestionibus occursurus, convocatô pro concione populô, piissimum institutum virili oratione è suggestu tutatus est; ita dicens: *Quemadmodum Dominicæ crucis celebritates sapientissimè à majoribus instituta & introducta essent; sic & lanceæ & clavorum festivitatem rectè institui potuisse, ac fidelium pietati commendari: sanctitatem enim ex Dominici Corporis contactu hausisse instrumenta passionis, religionem verò, cul-*

Festum Lanceæ & Clavorum ab Innocentio VI. institutũ, in suam Diœcesim introducit.

Quam introductionem egregiè adversus obloquutores pro concione propugnat.

tum,

tum, atque honorem non in ipsis quiescere instrumentis, sed ad prototypon, Christum scilicet ipsum referri ac transire: Beneficiorum Christi memoriam solemnitatibus ejusmodi recoli à fidelibus, ne ingrata temporis decursu, eorum subrepat oblivio: Aliaque id genus plura in medium attulit, quibus non tam adversariorum calumnias infregit, quàm (quòd maximè optabat) fidelium mentes ad ea dignè recolenda mirificè incendit.

Ludum alearum, & taxillorum interdicit.

Rei etiam Christianæ consulturus, pastoralia studia ad tollendos abusus, qui passim Curatorum ac Magistratuum oscitantiâ irrepserant, contulit: ac præcipuè infamem alearum & taxillorum ludum, cui lusores intemperantiùs dediti, non rarò ex præcipiti animorum motu in blasphemas voces prorumpere solent, interdixit.

Adeleidis Casimiri Poloniæ Regis Uxoris pulsæ causam suscipit, recognoscit, & defendit.

Cùm verò ea tempestate Casimirus Poloniæ Rex Adeleidem Hassiacam uxorem Reginam, fœminam non minùs formæ venustate, quàm pietate commendabilem, cujusdam pellicis consuetudine & amore irretitus, thorô ejecisset: Regina detestabili facinore commota Romanum Pontificem interpellavit, qui causæ cognitionem Ægidio Cardinali, & Matthæo Episcopo committens, cùm eos exploratione pro Judicio factâ, à Regina stare comperisset; Casimirum, ut Adeleidem, pulsâ adulterâ, quæ Judæâ erat, reciperet sub anathematis pœna commonuit. Rex intentatas censurarum minas flocci faciens, retenta pellice, sub annum salutis 1370. dum venationem exerceret, equi lapsu ad tempora percussus, in execratione interiit.

Obitus ejus, & Scripta.

Matthæus denique præclaris toto vitæ decursu operibus defunctus, meritisque ob Episcopatum sanctè administratum cumulatus, mortalitatis compede solutus est die 30. Junii, anni 1369. sepultus in Ecclesia principe Brixinensi. Edidit sermones aliquot valdè utiles & elegantes, Decreta item saluberrima ad Cleri, populique reformationem spectantia: aliaque nonnulla, quæ temporum injuriis deperdita sunt.

Bertholdus Niger Franciscanus bombardarum & pulveris pyrii inventor.

Floruisse hoc rempore, nimirùm anno salutis 1366. Fr. Bertholdum Nigrum professione Franciscanum, (qui ante ordinis ingressum Constantinus Ancklitzen vocabatur) Matthæo nostro contemporaneum & familiarem scribunt probati Auctores. Is patriâ Friburgensis Brisgoius pulveris pyrii & tuborum ignivomorum, seu bombardarum, ut vocant, primus parens & inventor fuit. Nam cùm studio Philosophiæ juxtà ac Chymiæ sedulam aliquamdiu navâsset operam, ex earumque principiis didicisset; *Duo corpora in eodem loco simul & semel esse non posse, neque vacuum in rerum natura admitti: præterea quòd ignis levius elementum majus sibi spatium vendicaret quàm terra, & quòd omnia ex elementis mixta corpora in ignem redigantur &c.* Hæc omnia ab Aristotele & aliis naturæ scrutatoribus proposita, ipse experimento facto clariùs perspicere volens, ollæ æreæ undique circumseptæ & obstructæ sulphur & nitri pulverem imposuit, ignemque beneficio tubuli adjecit. Quo facto cùm materia ignem excepisset, naturali ratione olla frangitur, atque ignis & fumus ingenti sonitu instar tonitrui in aërem spargitur, tanquam in locum apertum & patentem, indicium futuri bellici instrumenti exhi-

exhibens. Eo viso Bertholdus delectatus, pulverem bombardicum pari ratione conficere cœpit. Sciebat autem contraria contrariis expelli, & frigidum atque calidum in extremis summè esse contraria. Itaque ex nitro, sive salpetra & sulphere benè contritis pulverem confecit, & carbones nigredinis ergò adjecit. Hoc pulvere arborum truncos disjecit, atque lapides & globos miræ magnitudinis ex concavis & obstructis machinis instar fulminis ejecit. Hac ratione inventis inventa addens, primò machinas ligneas, exinde ferreas atque æneas confecit, easque ex terribili & hactenus inaudito sonitu Bombardas vocavit, ex quibus globos lapideos, ferreos & plumbeos ejaculatus, ostendit pernicioso ingenio, quomodo homines, muri, arces, urbes, & fortissima quæq; munimenta tanquam fulmine icta prosternerentur. Supervenêre posteà alii atq; alii in dies artifices, qui id inventum suâ industriâ maximoperè auxerunt: magno fortitudinis & virtutis humanæ detrimento. Hæc in gratiam lectoris, quia scitu non indigna, hoc loco referre placuit. Primos omnium hoc instrumento usos esse Venetos in bello contra Genuenses Anno Christi 1380. observat Salmuthius in commentario rerum memorabilium Pancirolli *parte 2. tit. 18.* de quo invento extat nobile illud carmen cuidam Bombardæ inscriptum: *Veneti primi omnium hoc usi sunt.*

Vis, sonitus, rabies, motus, furor, impetus, ardor,
Sunt mecum. Mars hæc ferreus arma timet.

Matthæi Cardinalis mentionem faciunt Viciguelus Hundensis in Historia Metropolitana Salisburgensi. Cathalogus Episcoporum Brixinensium. Ferdinandus Ughellius & Augustinus Oldoinus in addit. ad Ciacon.

ANNO 1342.

SEDENTE CLEMENTE VI. PONTIF. MAX.

De

DOMINICO SERRANO
S. R. E. CARDINALE.

DOMINICUS Serranus, natione Gallus, patria Tolosanus, Dominici Serrani & Franciscæ Collers, nobilium conjugum nobilis filius, Parisiis strenuam utrique Juri operam dedit. Doctorali laureâ ornatus, publicè in eadem Academia omnium plausu Decreta adhuc juvenis explicuit, tanto quidem judicio & maturitate, ut nemo non senilem in juvene prudentiam admiraretur. LIV. *Adhuc juvenis libros Decretalium publicè interpretatur.*

Quadragenarius mundi caducitatem ex rebus perituris relegens, abdicatâ Parisiensi cathedrâ, divino se famulatui in sacro B. Mariæ de mercede redemptionis captivorum ordine devovit. Igitur ex præceptore humilis discipulus factus, tyrocinium Barcinone in Hispania posuit: quo ritè confecto ad redimendos juxta ordinis institutum captivos, pluries diversis, iisque periculi plenis se se itineribus commisit. Maximo in honore fuit apud Robertum Neapolitanum, *Ordinem B. M. V. de mercede ingreditur & Magister General. Ordinis eligitur.*

litanum, Petrum Arragonium, & Alphonſum Caſtellanum Reges, qui ipſum ſæpè ſæpiùs ad ſua conſilia vocatum, difficillimis expediendis Regni negotiis, non vano ſtudio adhibuerunt.

A Clemente VI. purpura ornatur, ſed mox moritur

Sexagenario major ſub annum ſalutis 1345. omnium ſuffragiis in Magiſtrum generalem numero undecimum Barcinone electus, familiam ſuam propè triennium ſanctiſſimè moderatus eſt. Exinde à Clemento VI. in numerum Cardinalium relatus, tituloque SS. quatuor Coronatorum adſcriptus paulò poſt adeptam purpuræ dignitatem in Montepeſſulano peſtilentiâ interiit die 9. Julij anno à partu virgineo 1348. altero à Cardinalatu menſe nondum exacto. Ibidem magno omnium luctu terræ mandatus.

Ejus Scripta.

Scripſit Librum de ſententia matura deliberatione dandâ.
Tractatum ſuper legem Corneliam de Beneficiis.
Aliaque nonnulla juriſprudentiam concernentia.

De eo agunt Silveſter Marulus in Mari Oceano. Carolus de Tappia de religioſis rebus. Stephanus Corbera in Vita B. Mariæ de Soccos. Alphonſus Remondus in Chronico Ordinis. Bernardus de Vargas in Chronico. Aliiq; Ordinis ſui Hiſtorici.

ANNO 1352.

SEDENTE INNOCENTIO VI. PONTIF. MAXIMO.

De

GUILLELMO FARINERIO
S. R. E. CARDINALE.

LV. GUILLELMUS Farinerius, Gallus, dictus de Gourdonio, quòd in Monaſterio Gourdonenſi Diœceſis Carducenſis, Ordinis Seraphici inſtitutum profeſſus & amplexus eſſet. Is ob excellentis ingenii acumen Toloſam ſtudiorum causâ miſſus, ſub Jordani Curti, nominatiſſimi Minorum Theologiæ Doctoris diſciplinâ tantùm brevi tempore in facultate Theologica profecit, ut & Lauream doctoralem juxtà ac Cathedram magiſtralem fuerit aſſecutus. Toloſâ elapſis aliquot annis Gourdonium revocatus, Miniſter primò Provinciæ Aquitanicæ; deinde totius Ordinis Generalis vigeſimus electus eſt Veronæ in Conventu Patrum numeroſiſſimô anno ſalutis 1348. Præfuit Seraphicæ familiæ ſumma cum laude ac vitæ integritate annis novem cum dimidio. Succeſſit Fortanerio Vaſello Aquitano (de quo vide infrà n. 57.) ad Archiepiſcopum Ravennatenſem tum aſſumpto, ac ſtatuta Divi Bonaventuræ, ejuſdem inſtituti olim Generalis ſanctiſſimi, lapſu temporum infirmata ad vigorem priſtinum revocavit; omnibuſque deinceps adamuſſim obſervanda præcepit.

Miniſter Generalis totius Ordinis Seraphici eligitur

Cardinalatu poſtmodùm anno ſalutis 1356. ab Innocentio VI. decoratus, titulum presbyteralem SS. Petri & Marcellini obtinuit, annoque uno ab adepta purpura decurſo, ejuſdem Pontificis Legatus

gatus in Hispanias ad pacem inter eas gentes procurandam, firmandamque profectus est: quam ut faciliùs obtineret, certis quibusdam conditionibus propositis, inducias anni unius triumque mensium inter Reges illos valituras impetravit. Oppida utrinq; capta, durante induciarum termino, penès se recepit. Illis, qui pacto fœderi stetissent, oppidorum partem restituit; qui verò initam conventionem violâssent, anathematis pœnam inflixit. Hoc modo firmatâ inter Reges pace, quæ tamen non diu tenuit, ad Pontificem rediit. *Cardinalis creatus in Hispanias legatur.*

Sciplit Commentaria in varios libros sacros & prophanos.

Sermones item diversos, *Ejus Scripta.*

De Tempore,

De Sanctis,

De sacris Stigmatibus D. Francisci.

Rogatu item Ægidii Albernotii Cardinalis Librum egregium edidit *de Cambiis*, sive (ut Pauli Cortesii verbis utar) de *Mutuativa Negotiatione*, ex quo faciliè intelligi possit, quot ex nundinarum pretiis nummi in singula centena permutationis nomine exigi, & quando possint? Opus à Negotiatoribus & Arithmeticis multum æstimatum.

Mortalitatem exuit Avenione die 27. Junij anno Christi 1361. tumulatus ibidem in Æde sacra Minorum. Tossignanus gravi errore lapsus asserit Guillelmum hunc vitâ functum anno saluris 1353. quod veritati consentaneum non est, nam anno illo nondum fuerat inter Cardinales cooptatus: & ex variis Innocentii Diplomatibus, quibus subscripsit, aliisque non dubiis monumentis dilucidè probari potest illum anno 1360. adhuc vitæ superstitem fuisse. *Avenione moritur.*

Ejus mentionem faciunt Panvinius in Vitis Pontiff. Aubery in Vita. Gaspar Jongellinus in Elogiis Cardin. Ord. Min. Waddingus in Annal. Min. Petrus Frizon. in Gallia purp. Nomenclator Cardin. Aliiq.

ANNO 1352.

SEDENTE INNOCENTIO VI. PONTIF. MAXIM.

De

NICOLAO ROSELLIO

S. R. E. CARDINALE.

NICOLAUS Rosellius, Hispanus Tarraconensis anno à Virginis partu trecentesimo decimo quarto supra millesimum, die 13. Novembris honestis parentibus in lucem editus, vix tertium decimum ætatis annum attingens, divino se famulatui in Sacra Prædicatorum familia devovit. Litteris gravioribus ediscendis admotus, tantum brevi temporis intervallo in Philosophia juxtà ac Theologia profecit, ut Doctoratus laureâ insignitus, utramque facultatem in præcipuis sui Ordinis Academiis docere sit jussus. Provincialis deinde Aragoniæ, LVI.

Ab Innocentio VI. in sacrum Senatum legitur.

ejusdemque Regni hæreticæ pravitatis Inquisitor renunciatus cùm munus hoc aliquamdiu, magnâ sui nominis famâ sustinuisset, laudemque minimè vulgarem exinde collegisset, urgentibus meritis ab Innocentio VI. sub annum reparatæ salutis 1356. Presbyteris Cardinalibus titulo S. Syxti adscriptus est.

Petro Aragoniæ perquàm charus.

His virtutibus, & doctrinæ gloriâ insignis (ut ait Zurita) Petro Aragoniæ Regi in paucis gratus extitit & familiaris. Et ne jam Cardinalis renunciatus ex Aragonia discederet, Petrus ipse Rex per Internuncios & literas Innocentium ursit, uti Pileum rubrum ad ipsum transmitteret; cui Pontifex, non motis esse, ut cuipiam nisi pontificia manu (ex veteri & ordinario instituto) daretur, respondit: seque ea de re Cardinales, ut regiis votis morem gereret, consuluisse; neque tamen ad suam ipsos sententiam, utpote inusitatam, perducere potuisse: Cùm verò Aragonius Petri Rothomagensis Cardinalis exemplum in contrarium attulisset, ad quem Pontifex Romanus Pileum rubrum transmiserat, reposuit Pontifex disparem esse rationem, cùm ille missus Burdigalam fuisset, ut de pace inter Anglorum & Francorum Reges ageret. Quare nihil proficientibus votis Avenionem se contulit Nicolaus, ubi à Pontifice condignis honoribus exceptus, & sacro galero donatus rediit ad Regem in Aragoniam. In quo Regno cum Sectarii quidam instigante diabolo emersissent, qui assererent, *Sanguinem Christi in passione effusum, adorandum non esse latreusi*: quòd existimarent illum non ampliùs esse conjunctum divinitati, quemadmodùm cùm in vivente Dei Christi corpore uniebatur. Nicolaus Rosellius supremus in Regno Aragoniæ fidei Catholicæ Quæstitor hunc errorem doctissimis argumentis confutavit: quem Clemens VI. jam anteà sub annum 1352. publico edicto damnaverat. Mirum ut sit Pii II. Pontificis temporibus, aliquos Franciscanorum illum ipsum voluisse defendere, inque controversiam vocare ea, quæ Clemens Pontifex authoritate sedis Apostololicæ damnâsset. Videatur Bzovius ad annum 1352. num. 9.

Cardinalis effectus, Sectarios illius acriter impugnat.

Joannes Wickleffus hæresiarcha hoc tempore emergens, impiis dogmatibus Angliam fœdat.

Hoc etiam tempore & anno emersit Joannes Wickleffus damnatæ memoriæ hæresiarcha, qui Angliam patriam suam fœdissimis juxta ac impiissimis erroribus conspurcavit, variáque ac hæresi plena dogmata *De jure tum divino tum humano, de Ecclesia, de Monachis, de ceremoniis, de obedientia, & aliis multis* spargere cœpit. Fuit is natione Anglus, professione sacerdos sæcularis, artium Magister, acer ingenio, & eloquentiâ non mediocri, lepidus, sed linguâ, calamo, & moribus hæreticus: cui hoc unum propositum fuit, ut sermonibus & libellis tum Latino tum Anglico idiomate scriptis Rempub. Christianam subverteret. Quadraginta quinque præcipuos Articulos Pseudochristianus adversùs religionem Christianam & fidem Catholicam diversis temporibus pertinaciter asservit & dogmatizavit, quos istinc ad lectoris notitiam duximus inserendos: sunt autem tales.

1. *Substantia panis materialis, & similiter substantia vini materialis, manet in Sacramento altaris.*

2. *Acci-*

2. Accidentia panis non manent sine subjecto in eodem Sacramento. Ejus dogmata recensentur.

3. Christus non est in eodem Sacramento identicè & realiter in propria præsentia corporali.

4. Si Episcopus vel Sacerdos est in peccato mortali non ordinat, non conficit, non consecrat, non baptizat.

5. Non est fundatum in Evangelio, quod Christus Missam ordinaverit.

6. Deus debet obedire Diabolo.

7. Si homo debitè fuerit contritus, omnis confessio exterior est sibi superflua & inutilis.

8. Si Papa sit præscitus & malus, & per consequens membrum diaboli, non habet potestatem super fideles ab aliquo sibi datam, nisi fortè à Cæsare.

9. Post Urbanum VI. non est aliquis recipiendus in Papam, sed vivendum est more Græcorum.

10. Contra Scripturam sacram est, quòd viri Ecclesiastici habeant possessiones.

11. Nullus Prælatus debet aliquem excommunicare, nisi priùs sciat eum esse excommunicatum à Deo: & qui sic excommunicat, est ex hoc hæreticus vel excommunicatus.

12. Prælatus excommunicans clericum, qui appellavit ad Regem, vel ad concilium Regni, eo ipso traditor est Regis & Regni.

13. Illi qui dimittunt prædicare, sive audire verbum Dei propter excommunicationem hominum sunt excommunicati, & in die Judicii traditores Christi habebuntur.

14. Licet alicui Diacono vel Presbytero prædicare verbum Dei, absque authoritate Sedis Apostolicæ vel Episcopi Catholici.

15. Nullus est Dominus civilis, nullus est Prælatus, nullus est Episcopus, dum est in peccato mortali.

16. Domini temporales possunt ad arbitrium suum auferre bona temporalia ab Ecclesia, possessionatis habitualiter delinquentibus, id est, ex habitu, non solum actu delinquentibus.

17. Populares possunt ad suum arbitrium Dominos delinquentes corrigere.

18. Decimæ sunt puræ eleemosynæ; & Parochiani possunt propter peccata suorum Prælatorum eas ad libitum suum auferre.

19. Speciales orationes applicatæ uni personæ per Prælatos vel religiosos, non plùs prosunt eisdem quàm generales; cæteris paribus.

20. Si quis ingrediatur Religionem privatam qualemcunque tam possessionatorum quàm mendicantium, redditur ineptior & inhabilior ad observantiam mandatorum Dei.

21. Conferens eleemosynam Fratribus, est excommunicatus eo facto.

22. Sancti instituentes religiones privatas, sic instituendo peccaverunt.

23. Religiosi viventes in religionibus privatis, non sunt de Religione Christiana.

24. Fratres tenentur per labores manuum victum acquirere, non per mendicitatem.

Prima pars est scandalosa & præsumptuosè asserta, pro quanto sic generaliter & indistinctè loquitur: & secunda erronea, pro quanto asserit Fratribus mendicitatem non licere.

25. Omnes sunt Simoniaci, qui se obligant orare pro aliis, eis in temporalibus subvenientibus.

26. Oratio præsciti, nulli valet.

 27. Omnia

27. *Omnia de necessitate absoluta eveniunt.*

28. *Confirmatio juvenum, clericorum ordinatio, locorum consecratio, reservantur Papæ & Episcopis propter cupiditatem lucri temporis & honoris.*

29. *Universitates, studia, collegia, graduationes & magisteria in eisdem, sunt vana gentilitate introducta, & tantum prosunt Ecclesiæ sicut Diabolus.*

30. *Excommunicatio Papæ, vel cujuscunque Episcopi aut Prælati non est timenda, quia est censura Antichristi.*

31. *Peccant fundantes claustra, & ingredientes sunt viri diabolici.*

32. *Ditare clerum, est contra regulam Christi.*

33. *Sylvester Papa & Constantinus Imp. erraverunt Ecclesiam dotando.*

34. *Omnes de ordine Mendicantium sunt hæretici, & dantes eis eleemosynam sunt excommunicati.*

35. *Ingredientes religionem aut aliquem ordinem, eo ipso inhabiles sunt ad servandum divina præcepta, & per consequens ad perveniendum ad regna cælorum, nisi apostataverint ab eisdem.*

36. *Papa cum omnibus clericis suis possessionem habentibus sunt hæretici, eò quòd possessionem habent; & consentientes eis, omnes videlicet Domini sæculares, & cæteri laicorum.*

37. *Ecclesia Romana est Synagoga Satanæ, nec Papa est immediatus & proximus Vicarius Christi & Apostolorum.*

38. *Decretales epistolæ sunt apocryphæ, & seducunt à Christi fide, & Clerici sunt stulti, qui student iis.*

39. *Imperator & Domini sæculares seducti sunt à diabolo, ut Ecclesiam bonis temporalibus dotarent.*

40. *Electio Papæ à Cardinalibus, per diabolum est introducta.*

41. *Non est de necessitate salutis, credere Romanam Ecclesiam esse supremam inter alias Ecclesias.*

Error est, si per Romanam Ecclesiam intelligat universalem Ecclesiam, aut Concilium generale, aut pro quanto negaret Primatum summi Pontificis super alias Ecclesias particulares, aut Romanum Pontificem in rebus fidei errare diceret.

42. *Falsum est, credere indulgentiis Papæ aut Episcoporum.*

43. *Juramenta illicita sunt, quæ fiunt ad roborandos humanos contractus & commercia civilia.*

44. *Augustinus, Benedictus, Bernardus, Dominicus, damnati sunt, nisi pœnituerint de hoc quòd habuerunt possessiones, & instituerunt & intraverunt religiones: & à Domino Papa usque ad infimum & ultimum religiosum omnes sunt hæretici.*

45. *Omnes Religiones indifferenter introductæ sunt à diabolo.*

Alii ejusdem hæresiarchæ articuli à doctis collecti afferuntur. Hi quadraginta quinque Joannis Wickleffi articuli syllabatim ex Concilio Constantiensi, in quo recitantur & condemnantur, descripti sunt. Præter quos sunt & alii quindecim, ex ejus scriptis à doctioribus collecti, quos ex Bzovio ad annum 1352. n. 17. mutuatos visum est supradictis adjungere.

46. *Omnis homo caret libero arbitrio.*

47. *Omnia prædestinatorum peccata sunt venialia, reproborum autem omnia lethifera: ex quo sequitur, homini reprobo peccatum esse mortiferum, si ligulam aut acidulam furetur; hoc est, æterna morte dignum, & quòd inde infer-*

infertur, dignum patibulo, rota, & quavis alia temporali morte: quippe, quam planum est semper esse morte aeterna leviorem.

48. *Neque honorandi, neque invocandi sunt Sancti.*

49. *Nec Sanctorum, nec Christi ipsius Reliquiae sunt venerandae.*

50. *Crux Redemptoris nullo penitùs modo adoranda est.*

51. *Est idololatria, imagines habere in Ecclesia.*

52. *Vota omnia damnanda sunt.*

53. *Res est libertati Christianae repugnans, quòd quis ad horas Canonicas recitandas, vel ad preces certo aliquo statoq; tempore fundendas adigatur.*

54. *Cantus Ecclesiasticus est deridendus: & ii, qui in Ecclesia concinunt, Sacerdotes Belial nuncupandi.*

55. *Omnes Benedictiones Ecclesiasticae usus sunt necromantiae.*

56. *Nullum est meritum in jejunio, nullum in abstinentia à certis cibis.*

57. *Baptismus infantibus non est necessarius ad salutem.*

58. *Baptismo admiscenda non est olei unctio.*

59. *Episcopus non est simplici Sacerdote superior aut dignior.*

60. *Matrimonium lege divina licitum est inter fratrem & sororem; nec nisi humana inventione atque ordinatione interdictum.*

61. *Quaelibet creatura est, & vocari potest Deus, quòd illius perfectio sit in Deo ut in causa sua, & quidem modo ideali atque exemplari.*

Istos Wickleffi errores volui numerare, ut omnibus eos legentibus liqueat, Lutheranismum & Calvinismum, nihil aliud esse, nisi antecedentium errorum, à Conciliis Romano & Constantiensi damnatorum, redulcerationem. Porrò à Wickleffo, Lamperiani hoc eodem saeculo defluxerunt, qui se Apostolicos, & ad Apostolorum ordinem pertinere, jactitabant. Nihil verò esse faciendum ex necessitate, sed omnia debere fieri liberè, & citra ullam coactionem, asserebant: hac sola Prophetae Regii sententia moti; *Voluntariè sacrificabo tibi.* Qua etiamnum ratione ducti, omnia vota aspernabantur & condemnabant, ea nihil prodesse dicentes, quòd necessitatem & coactionem quandam viderentur hominibus inferre; quodque eorum votorum fundamentum, sanctorum Patrum observationi esset contrarium. In horum uti & Wickleffitarum errores acriter insurgens Nicolaus Cardinalis, pro injuncto sibi officio non modò concionibus, disputationibus, sed editis etiam doctissimis lucubrationibus strenuè invigilabat, ne quid fidei orthodoxae integritas in Regnis Aragoniae Regis detrimenti caperet, aut periculi subiret.

Lamperiani haeretici qua docuerint?

Hos impugnat Nicolaus Cardinalis.

Rebus humanis exemptus est v. Calend. Aprilis anno salutis nostrae 1362. sepultus Majoricis in Ecclesia Praedicatorum. Erat Nicolaus corpore robusto, pleno pectore, concinnis membris, decora facie, ex qua cum admixta gravitate ingenua religiosi animi liberalitas elucebat: rerum peritiâ clarus, consilio promptus, vitae puritate & doctrina in paucis praestans.

Obitus ejus & elogium.

Scripsit Romanorum Pontificum gesta praegrandi volumine, cujus exemplar tineis fulcatum ipse ego (dum Romae anno salutis 1686. Theologiae studiis operam darem) vidi in Bibliotheca Collegii Capranici: simile dudum ante me se conspexisse in Vaticano testatur Nomenclator Cardinalium. Edidit etiam doctissimum

Qua scripserit?

Com-

Commentarium de quadruplici Jurisdictione Romanæ Ecclesiæ in Regnum Siciliæ, qui asservatur in Bibliotheca Vaticana. Aliaque non pauca ad fidei defensionem adversùs ejus temporis hæreticos spectantia.

Ejus meminêre Panvinius in Hist. Pontif. Roman. Aubery in Vita. Contelorius in Elencho Cardin. Porregna in Elogiis. Cardin. Hispan. Raynaldus & Bzovius in Annal. Nomenclator Cardinalium. Anonymus Auctor vitæ Innocentii VI. apud Bosquetum. Zurita. & alii.

ANNO 1352.

SEDENTE INNOCENTIO VI. PONT. MAX.

De

FORTANERIO SERTORIO S.R.E. CARDINALE.

LVII. FORTANERIUS Sertorius Vasellus, natione Gallus, Arturi in Aquitania genitus, Seraphici Patriarchæ Francisci institutum duodeviginti annos natus in cœnobio Gourdonensi amplexus est. Ciaconius & Pitsæus Joannem Trithemium, Willotum, aliosque Scriptores Anglos secuti, Fortanerium ortu Anglum seu Wallum nullo nixi fundamento faciunt. Matthæus verò Villanus contra omnium Scriptorum sententiam eundem Italum Romanum ex illustri Ursinorum gente progenitum affirmat. At revera Gallum origine fuisse, uti nemo saniorum Auctorum addubitat, sic monumenta Vaticana & Pontificia Diplomata palam testantur.

Parisiis ad instantiam Joannis Papæ doctorali Laureâ insignitur.

Joannes XXI. dictus XXII. anno à partu Virginis 1323. scripsit ad Cancellarium Parisiensem, uti Fortanerium Vasellum, virum in Theologicis excultissimum Doctoratûs Laureâ ornaret. Susceptis eo anno doctoratûs insigniis, Avenionem delatus ibidem Fratrum Minorum Cœnobium annis pluribus à studiis rexit. Assumpto postmodùm ad Patriarchatum Antiochenum & administrationem Ecclesiæ Catanensis Gerardo Odonis, Ministrô Generali, designatus est à Clemente VI. Ordinis Seraphici Vicarius Minister Generalis usque ad proxima comitia, Massiliæ sub annum 1342. celebrata; in quibus *ob eminentiam scientiæ, morum venustatem, discretionis & probitatis maturitatem, aliaq; multigena virtutis dona, quibus illum Largitor bonorum omnium præ cæteris insignivit* (uti habet pontificim Diploma) ab electoribus Ordinis Minister Generalis renunciatus est.

Massiliæ Ordinis Seraphici Magister Generalis eligitur.

Extant hac de re geminæ Clamentis VI. litteræ, ad Seraphici Ordinis generale Capitulum in favorem Fortanerii datæ, quibus Pontifex electoribus insinuat, rem sibi oppidò gratam facturos, si illum suffragiis suis ad generale Ordinis Ministerium proveherent. Integras exhibet Oldoinus in vita Fortanerii, ad quas Lectorem remitto.

Renunciatus itaque communibus suffragiis Minister Generalis, cùm

cùm soluto conventu, rebusque constitutis in Italiam regredi cogitaret, Pontifex eò profecturum multis privilegiis munivit, ac ne itineranti honores & cibaria deessent, omnibus eum Principibus & pontificii status Rectoribus impensè commendavit. Non defuêre tamen (teste Luca Waddingo) qui de eo conquerebantur, quòd plus æquò foverit, & privilegiis atque exemptionibus audentiores reddiderit Fratres Minores, qui ad arctiorem regulæ observantiam aspirabant, præsertim illos, qui in Umbriæ conventu *S Bartholomæi de Brulliano* nuncupato, aliisque locis sub disciplina B. Joannis de Vallibus versabantur, & parva tunc jaciebant semina regularis observantiæ, quæ postea in magnam segetem excreverunt. Inhibuit ergo Pontifex, ne immunitates, aut gratias ullas eis exhiberet, quibus disciplinæ vigor labefactari, aut Regulæ fervor tepefieri posset: timens, ne laxatâ aut dissolutâ observantiâ, sopita jam schismata, & molestæ discordiæ iterum reviviscerent, & cum detrimento ordinis & Ecclesiæ scandalis occasionem & locum præberent.

In Italiam redux Principibus & Rectoribus pontificii status impensè commendatur.

Rexit Ordinem summa lenitate & prudentia annis quinque, quibus elapsis à Clemente nono Kal. Novembris anno salutis 1347. accepit administrationem Archiepiscopatus Ravennatensis, cui præfuit nonnullis itidem annis, partes Pontificis toto pectore contra Ghibellinos defendendo. Exinde ad Patriarchatum Gradensem evectus & translatus, retentâ nihilominùs Ravennatensis Ecclesiæ administratione, Clementis jussu legationis munere functus est ad Andream Dandulum Venetiarum Ducem, ut inter Respublicas Venetam & Genuensem maxima tum inter se discordiâ dissidentes, optatæ pacis & concordiæ rationes iniret: unde ad illum hasce paternæ solicitudinis plenas litteras dedit.

Archiepiscopus Ravennatensis, & Patriarcha Gradensis efficitur.

CLEMENS &c. VENERABILI FRATRI FORTANERIO Patriarchæ Gradensi Apostolicæ Sedis Nuncio.

Gravis inter dilectos filios nobiles viros Ducem Venetiarum, & Gubernatorem Januensem, nec non Januensis civitatis, & Venetiarum communitates, procurante pacis æmulo, suborta dissensio amaricat graviter mentem nostram, pungit animum & viscera quaque conturbat. In ea namque particularia dissidentium partium damna, atque dispendia deflemus; in ea communia Catholicæ fidei detrimenta, in ea Christiani populi, maximè partium Orientis pericula deploramus. Quis enim zelator Christiani nominis, & honoris non defleat eos invicem dissidere, ac per dissensionis hujusmodi periculosa, ac dispendiosa discrimina debiliores effici, quos ad exaltationem, & tutelam fidei, & populi prædictorum gratiosos pugiles patenter aspexit? quis non universalia detrimenta, & pericula eorundem fidei, & populi defleat, in quos pagana gens, captatâ hinc opportunitate nocendi, velut effrænis sævit immaniùs, furit licentiùs, & liberiùs debacchatur? Meritò itaque ad ipsam perniciosam subputandam discordiam, & radices ipsius, ne venenosis ex ea succrescentibus surculis, priora detrimenta restaures, funditùs evellendas, & pacem propagatricem & matrem bonorum omnium reformandam inducimur, & ab intimis præcordiis excitamur, ut dissidentes iidem pace mutuâ gaudeant, & ipsa pagana gente à persecutionis impetu refrænatâ, idem Populus Christianus ab angustiis, & pressuris eis per usum veteribus, & per augmentum novis utcunque respiret. Ideoq; fraternitati tuæ, de qua in magnis & arduis multâ experientiâ, & claris

Clementis Literæ in hunc finem ad eum datæ.

operum titulis approbatâ plenam in Domino fiduciam gerimus, per Apostolica scripta mandamus, quatenùs ad partes illas, sub spe illius, qui concordiam in sublimibus parat, & ad cujus nutum stat spiritus procellarum, te personaliter conferens, studeas salutaribus monitis, & salubribus inductionibus tuis juxtà datam tibi à Domino gratiam & virtutem, succidere hujusmodi pestilentem omninò discordiam, ac radices illius extirpare funditùs, discordes ipsos ad concordiam sollicitè revocando. Ut autem in præmissis eò favorabiliùs & faciliùs (auctore Domino, cujus in hac parte negotium agitur) prosperaris, quo majori per nos fueris potestate munitus, Tibi tractandi & ordinandi pacem, inducias indicendi, fœdera sanciendi, concordiam & pacem hujusmodi opportunis firmitatibus spiritualibus & temporalibus roborandi, quascunq; insuper uniones, colligationes, confœderationes, pacta, & promissiones per quoscunque facta & inita, quatenùs executioni præmissorum, aut aliquorum, vel alicujus ex eis directè vel indirectè derogare possent, etiam si juramentorum interpositionibus, & pœnarum adjectionibus vallata sint, dissolvendi & irritandi, ac juramenta & pœnas hujusmodi relaxandi: turbatores quoque, & impeditores, & violatores pacis & concordiæ hujusmodi, nec non contradictores quoslibet, & rebelles cujuscunq; statûs, ordinis, gradûs, & præeminentiæ fuerint, etiamsi Pontificali, seu Imperiali, vel Regia, aut quavis alia præfulgeant dignitate, per censuram Ecclesiasticam, appellatione postpositâ, compescendi: non obstante, si aliquibus communiter, vel divisim à Sede Apostolica sit indultum, quòd interdici, suspendi, vel excommunicari non possint per litteras Apostolicas non facientes plenam & expressam, ac de verbo ad verbum de Indulto hujusmodi mentionem, plenam concedimus tenore præsentium facultatem. Sic igitur in præmissis omnibus te exhibeas, sicut de virtutum tuarum meritis planè confidimus studiosum, sicq; diligentem etiam te impendas, quòd ex operum tuorum seminibus fructus gratos & utiles colligamus, Tuq; tanti boni promotor, & actor clarâ attolli famæ præconiis, & æterna gloria consequi præmia merearis. Datum apud Villam novam Avenionensis Diœcesis Nono Kalend. Novembris Anno Pontificatûs nostri Decimo. qui fuit Christi quinquagesimus secundus suprà millesimum trecentesimum.

In litteris verò ad Andream Dandulum Venetiarum ducem datis, hæc de Fontanerio idem Clemens habet: *Venerabilem Fratrem nostrum Fortanerium Patriarcham Gradensem, honorabile Ecclesiæ Dei membrum, virum utique magna virtutis, eminentis scientia, probitatis experta, singularis industria, pacis amicum, & concordia zelatorem, quamquàm grata Nobis, & utili præsentia ejus careamus inviti, ad vos deliberatione consulta providimus destinandum &c.*

Legatus in cassum laborat apud Venetos.

Strenuè quidem, sed non ex animi sententia, suâ perfunctus est legatione Fortanerius: Veneti quippe Aragoniis copiis & suâ potentiâ freti, neglectâ optimi Pontificis admonitione, Legatique adhortatione, sub ipsum tractationis pacis tempus Genuensibus bellum intulêre: at certè, si exitus spectetur, majori suo quàm hostium damno. Siquidem in medio maris cursu fœda tempestas exorta totam ferè classem (quæ quadraginta Venetis, ac propè totidem Aragonum subsidiariis triremibus constabat) huc atque illuc disjecit; unamque ex triremibus undis penitùs absorpsit: reliquæ omnes malè habitæ, magno rerum hominumque detrimento, proximis littoribus impactæ sunt: ubi non defuerunt, qui interpretarentur,

Veneti contra Genuenses infeliciter pugnant.

rentur, tristi hoc omine confœderatis Principibus certissimam cladem prænuntiari. Remittente demum tempestate classe collectâ restauratâque, circa Bosphorum, inter Constantinopolim & Chalcedonem, (quamquàm Joannis Cantacuzeni tertia classis se illis adjunxisset) infeliciter pugnarunt : cùm pugna per totam noctem, inter armorum & intercurrentium inter se navium, ac decidentis imbris strepitum, pugnantium clamores, cadentium gemitus, usque ad lucem protracta esset : quæ exorta fœdam planè horridamque rei faciem aperuit, mari sanguine rubente, ac scutis, telis, thoracibus, remis, malis, antennis, navium fragmentis, humanis capitibus, brachiis, cruribus, corporibus laceris ac detruncatis constrato: Victoriâ interim (quòd neutiquam sperabatur) à Genuensibus stante. Triginta Venetorum, decem & octo Aragonum triremes captæ sunt, nonnullæ depressæ, ad sex millia hostium cæsa, in quibus fuerunt Pontius titulo S. Paulæ Aragoniæ classis præfectus, ex Venetis Pancratius Justinianus, Thomas Gradonius, Stephanus Contarenus, Joannes Stennus, & Benenatus Bembus, patriciæ dignitatis viri. Captivorum numerus non traditur. Neque Genuensibus, etsi victoribus incruentum hoc prælium stetit, aut sincerum gaudium peperit : septingentis ipsorum cæsis, inter quos non exiguus civium numerus memoratur nobilitate & honoribus præstantium; cujus damni major propè Genuæ, quam tantæ partæ victoriæ sensus fuit. Ideo neque victoria, quæ tot domos lugubres fecisset, ullis usitatis lætitiæ significationibus celebrata est.

Victoria Genuenses haud tamen læta.

Altero à partâ victoriâ anno bellum navale Genuenses inter & Venetos in Oriente rursum recrudit, Genuenses siquidem ambitione elati, ne recens victoria ipsorum desidiâ ac negligentiâ corrumperetur, cùm felicia initia urgere decrevissent, sexaginta triremes armarant, quibus Antonium Grimaldum præfecerant, virum impigrum quidem ac strenuum, rerumque bellicarum apprimè gnarum, sed sui fiduciâ nimiùm se quandoque provehi sinentem. Is igitur sub publico populi benè omnia precantis plausu Genuâ solvens, classem hostium confœderatorum, quæ (Nicolao Pisano Veneto, & Bernardo Cabrera Callaritano Præfectis) 80. triremibus constabat, ad Lungheram urbem in sinu Callaritano sitam adeptus, nihil majore hostilium navium numero deterritus, ac, ne animo Pagano Auriæ cedere videretur, qui superiori anno numero navium tanto inferior, eundem hostem superâsset; varietatem atque rerum humanarum vicissitudinem haud secum reputans ; neque considerans, Paganum loci naturâ & favore ventorum adjutum, tantam victoriam peperisse, prælium non detrectavit. Utrimque concursum est ingentibus animis : Genuensibus ad partum decus obtinendum, hostibus ad acceptam ignominiam delendam contendentibus. Cessit post multam aleæ incertitudinem victoria Venetis atque Aragoniis. Nunquam ab hominum memoriâ majorem plagam acceperunt Genuenses; una enim & quadraginta triremes amissæ sunt, partim demersæ, partim captæ: octo millia hominum cæsa, tria millia & ducenti capti, omnis apparatus, qui undis absorptus non esset, in potestatem redactus. Tanta clades audita urbem

Novum navale bellum inter Venetos & Genuenses

Veneti insignem victoriâ reportant.

bem

bem simul ac totam Ligusticam oram luctu & lamentationibus complevit; memoriâ tot egregiorum civium superiore anno amissorum mœrorem cumulante. Doluit ea clades summoperè Innocentio Pontifici. Quamobrem misso Genuam Fortanerio Legato, datisque ad eos literis dolorem suum indicantibus, ad pacem eos cum Venetis ineundam paternè hortatus est, sed in cassum.

Discordia civium Genuenses ad desperationem adigit.

Cæterùm non tam miserabilem eo tempore tanta accepta clades civitatis Genuensis statum fecit, quàm discordantium civium stultitia, cujus tanta vis illorum mentes tenuit, ut, pro eo ut res afflictas prudentiâ suâ erigere ac sublevare studerent; eas insuper intestinis odiis & discordiis civilibus aggravarint, quas externorum malorum mœror non modò non extinxit aut consopivit, sed magis etiam magisque accendit; quibus unum illud pudendum remedium inventum est, ut quoniam ipsi per se prudentiâ suâ stare non possent, se se aliis regendos permitterent. Alii siquidem Regem Gallorum, nonnulli Germanos principes, quidam Constantinopolitanum Imperatorem ad tradendum Genuæ dominium nominabant. Vicit tamen sententia, ut Joanni Vicecomiti Mediolensium Principi & Archipræsuli se dederent: ut Abrahamus Bzovius ad annum Christi 1354. ex Leonardo Aretino hist. Florentinæ libro 7. & Justiniano Venet. lib. 4. in hæc verba tradit. *Superiore anno Genuenses, clade à Venetis accepta, fracti animis (pecuniâ enim ad aliam classem ædificandam carebant, & populus annonariâ difficultate conflictabatur, cùm Veneti post victoriam mari dominarentur, nec frumentum subvehi paterentur; & agrum, cujus fructibus victum tolerarent, non habebant) operæpretium censuerant, Mediolanensium Principi potentissimo submittere ac subjicere se se, qui eorum inopia inprimis posset consulere. Pecunia namq; ditissimus erat, nec modo equestribus, sed & pedestribus copiis, quibus egebant, abundabat. Præterea ampla illi & fertilis regio, qua eos undecunque frugibus importandis alere poterat. Hoc decreto urbem ei per Legatum in fidem atque tutelam tradiderunt: Qua res illi oppido grata acciderat. Nam & antè se beatum fore judicabat, si Genua utpote vicina Dominus fieret.. Sancitum itaq; hoc inter eos fœdus est: ut Joannes deinceps Princeps futurus, illis & pecunia, & armis, & militibus, & quibus demum posset auxiliis, contra hostes subsidio & adjumento esset: Ipsi eum, quoad viveret, Dominum agnoscerent, neque unquam rebellarent; Præfectum ab eo acciperent, totâq; politiâ commutatâ, ejus arbitrio regerentur.*

Dedunt se cum omni dominio Joanni Vicecomiti Mediolanensium Antistiti.

Quibus conditionibus dominium tradiderint?

Sic Genuenses bello afflictati, abjectâ pristinâ jactantiâ, depositâque, superbiâ, rem nec ingenuam, nec liberalem admittere compulsi abrogatô Simoni Bucanegræ Duci suo magistratu, Præfectum à Mediolanensium Archiepiscopo receperunt. Qui, ut suis jam providens, frumenta & reliquum victum, pecuniam quoque in apparatum belli & militem suppeditabat affatim, jubebatque denuo triremes contra hostes instrui. Hæc Genuæ susceptio nimis formidolosa Venetorum Duci atque Senatui fuit. Itaque cum his icto fœdere unà cojerant Patavinus, Veronensis, Ferrariensis, Principes, cæterique Vicecomitis veteres inimici. Florentini ac reliqui Etruriæ populi, ab Joanne diuturno bello vexati, ab eâdem societate adversus communem hostem non abhorrebant. His unum idemque propositum fuit, Carolum Romanorum Regem è Germania

nia in Italiam evocare, quò ab ejus præsentia, Joannis Præsulis invidiosa ac supra modum aucta potentia, aut labefactaretur, aut certè imminueretur.

Carolus Rex Romanorum solicitatur, ut in Italiam veniat.

Non illaudavit Innocentius Pontifex Principum confœderatorum factum: quin potiùs ipse datis literis, submissoque Fortanerio in Germaniam Legato Carolum ad iter Italicum accelerandum diligentissimè hortatus est: ut is tandem & diademate Imperatorio solemni ritu inauguraretur, & concordiam Italiæ populis postliminiò restitueret, & Ecclesiæ Romanæ jura ac bona à Tyrannis occupata vindicaret. Promisit pariter Innocentius Carolo paraturum se iter, simulque per Fortanerium certiorem fecit, jam factiones per Italiam tumultibus suis intestinorum bellorum fatigatas cupere ejus adventum ut justè gubernet, paucosque admodùm superesse, quibus pax & concordia cordi non esset. Itaque Carolus tot Principum votis & precibus exoratus, compositis in Germania rebus, ad 14. diem Octobris anno salutis 1354. Utinam Fori-Julii, ad 3. Novembr. Patavium, & paulò pòst Mantuam egregio instructus exercitu venit. Cùm interim Joannes Vicecomes Archiep. Mediolanensis die 4. Octobris ejusdem anni rebus humanis exemptus esset. Modicus anthrax in fronte illi enatus, faciem nonnihil deformaverat, hujus ille impatiens, cùm jussisset præcidere, in momento eodem corruens expiravit.

Obitus Joannis Vicecomitis.

Vicecomites post mortem patrui dominium partiuntur.

Eo extincto, non multùm Carolo Regi deinceps à Vicecomitibus metuendum fuit, quod hi Mediolanense dominium post mortem patrui inter se partiti, etiam animis dissiderent. Matthæo II. Bononia, Lauda Pompeia, Placentia & Parma obtigerat. Cæterum non diuturno tempore ea potiri potuerat. Namque Joannes Olegianus Archiepiscopi ex concubinâ nothus sub id tempus quo Archiepiscopus supremâ tentatus valetudine fuerat, cùm rebellantes nonnullos Patricios Bononienses securi percussisset, atque ædificatam à Joanne Antistite veterem arcem egregiè communivisset, arripiendi Imperii, cujus ipse præcipuus defensor extiterat, cupidus, fortunâ nefariis cœptis adspirante Prætorem militareque præsidium Matthæi patruelis, insigni compositâ fraude, urbe expulit, ac Bononienses armis perterritos in suum nomen jurare coëgit. Ad eum modum Matthæus Bononiâ exclusus, in Galeacii quoque & Bernabovis odium incurrit: quòd Crescentiaco in vico, quum fortè in cœna Galeacius & Bernabos tanti Imperii à majoribus conditi amplitudinem atque opulentiam laudarent, omniumque pulcherrimum fortunæ munus principatum esse faterentur: ille incautè subjunxisset; *id quidem sine controversia verum esse, incomparabileq́, videri, modò principatus consorte socioq́, careret*: adeò ut non obscurè Joannem patruum perstrinxisse videretur, qui secùs ac major avus fecisset, non unum Galeacii I. atque Actii exemplo, sed tres simul iniquo jure divisi Imperii hæredes scripsisset. Id dictum subamaro sale scommatisque nomine prolatum, usque adeò in pectus fratrum altè descendit, ut sequenti cœna suillos lumbos, cujus obsonii Matthæus erat appetentissimus toxico illitos apposuerint: ex quo ille anno insequente diuturnâ febriculâ tabefactus interiit. Erat Matthæus

Matthæus Vicecomes à fratribus veneno extinguitur.

thæus ingenio civili potiùs quàm militari, nec ideò ad vindicandam injuriam parato: utpotè qui nihil ex avo Matthæo, si speciem corporis demeres, præter nomen referret. Ignobili enim otio delectatus, nequaquam bellica laude, ut majores sui, ducebatur: eique summæ curæ, summæque voluptati erant accipitres, atque ea omnis venatio, quæ vel fœminas admittens, prorsùs sine sudore exerceretur. Has autem diurnas exercitationes, nocturnæ libidines excipiebant: quibus adeò intemperanter corpus atque animum effœminaverat, ut inter duas sæpè concubinas enervatis viribus cubitans, instillaret muliebribus locis unguenta peregrina, quibus intermortuæ veneris segnitiem prodigiosa titilatione suscitaret. Non est passus Deus Sardanapalum novum diuturnare, quem propemodùm manu fraternâ, in ultionem monstrosæ libidinis extinxit, ut ex Paulo Jovio Bzovius suprà laudatus affirmat.

Monstrosæ ejus libidinationes.

Itaque Vicecomitibus inter se dissidentibus tantò magis audacter Carolus Rex in penitiorem Italiam properabat, imminutâ potentiâ hostis tam formidolosi, auctâ verò non modicum suâ à confœderatione Italiæ procerum, in quam Veneti, Patavinus, Gonzaga, Florentini & reliquæ Etruscorum civitates cum Carolo coiverant. Innocentius quoque Pontifex animos illi majores fecit, cùm adventum ei felicem gratulatus, Ægidium Carilium Cardinalem Legatum ad eum destinavit, qui illi in Italiam venienti inprimis benè precaretur, deinde copias Ecclesiasticas ejus exercitui conjungeret, illique in omnibus consilio, ære, & operâ præstò esset: quo tandem jura & bona tum Ecclesiæ, tum Imperii ab iniquis occupatoribus vindicaret.

Innocentius PP. Carolo Regi in Italiam venturo iter præparat.

Interim Andreas Dandalus (ad quem Fortanerius, ut suprà diximus, pacis cum Genuensibus conciliandæ causâ Legatus erat) post annos duodecim, quibus Reipublicæ Venetæ præfuerat, defunctus successorem acceperat Marinum Valerium per id temporis Oratorem apud Innocentium Pontificem: virum quidem opibus affluentem, sed in administranda Republica infaustum. Namque maximis adversitatibus domi forisque eo Principe jactata est Respublica Veneta, quod infaustus ejus in urbem ingressus notanter præsagivit; quum is sub obscuram noctem fatali deceptus errore per geminas Divi Marci areæ columnas, ubi reis capitale irrogatur supplicium, ex Clodiensi cymba in terram desiliens, in Ducarium perrexerit. Quæ res infaustam administrationem, tristemque ejus casum (uti paulò mox memorabimus) denunciavit. Paganus enim Auria, Adriaticum mare ingressus, non exiguis detrimentis Venetam ditionem affecit, & in his Parentium urbem vi captam incendit, corporibus sanctorum martyrum Martini & Eleutherii priùs ablatis, quæ Genuam reversus in æde Divi Matthæi religiosè reposuit. In Orientem porrò classe ductâ, apud Oenusas (eo in loco, quem Sapientiæ dicunt) Venetam classem oppressit, ac sine cæde & sanguine luculentam victoriam obtinuit: captis quinque millibus, & in his Nicolao Pisano Præfecto, nec non vexillo Divi Marci, quod ad puppim obliquè inversum atque affixum, unà cum captivis Genuam transmisit. Hanc funestam cladem ex antecurrentibus notis prædictam fuisse

Dandalus, Venetiarum Dux moritur. Ei subrogatur Marinus Falerius.

Veneti ingenti clade à Genuensibus afficiuntur Duce Pagano Auria.

fuisse plerique commemorant. Nam pridie illius diei qua accidit, ex manifesto ac mirabili augurio haud pauci malè Venetis ominabantur. Corvorum enim agmen adverso volatu se invicem infestantium, atque miro strepitu & rixis se mutuò lancinantium in ipso aëre supra Venetorum classem summa cum admiratione visum & observatum fuit. Quod sanè prodigium, hôc certiorem Venetis denunciabat infelicitatem, quòd post multam contentionem, mutuus concursus & impetus in lucta tam ardens fuerit ac vehemens, ut alarum plumæ vi evulsæ deciderent, & effuso cruore triremes Venetas adspergerent. Ejus victoriæ, sicut etiam prioris ad Hellespontum obtentæ memoriam sacro anniversario solemni, donoque aulæi aurei ad ædem Divi Matthæi quotannis pridiè Nonas Novembris Genuenses concelebrant: tunc decreto triumpho Pagano Auriæ victori, dansque ei magnificentissima in foro Auriano ad perpetuum virtutis testimonium ex publico assignata. *Prænuncia futura cladis.*

Fœdavit nihilominus eam Genuensium lætitiam præpropera mors Pagani; cui etiam, quòd sumptus privati non essent, publicis fuit parentatum, & in Æde Divo Dominico sacrâ marmoreum monumentum erectum. Fuit Paganus tanta animi celsitudine atque præstantia, tantâque demum adversùs cupiditates omnes continentia & moderatione, ut cùm solum ad gloriam atque patriæ emolumentum respiceret, & ad hæc, ceu unicum fidissimum scopum, omnes suas cogitationes & studia conferret, nullam prorsus opum rationem habuerit: ita ut post ejus obitum, præ rei familiaris angustia & tenuitate (pro ut etiam Græci de Aristide prodiderunt) in ejus ædibus non esset, unde illius cadaveri justa pro dignitate persolverentur. Ad hanc victoriam parandam plurimum contulerunt opes & subsidia Galeacii & Bernabovis Joannis Archiepiscopi extincti nepotum, in quos concessa Joanni civitatis jura Genuenses transtulerant, sic ut Liguriæ urbes à Corvo Lunensi Promontorio ad Herculis Monæci portum usque horum imperio subjicerentur. *Mors Pagani Auriæ Genuensibus gravis.* *Sumptu publico ob ejus paupertatem sepelitur.*

Non poterat Innocentius Pontifex pacis amantissimus, eam Genuensium cum Venetis conflictationem æquo animo diutiùs ferre, quòd successibus in Oriente adversùs Turcas plurimùm incommodaret. Itaque Auctor Carolo fuit & Vicecomitibus, ut eam discordiam inter duos populos terrâ marique potentissimos æquis conditionibus dirimerent, pacemque demum quacunque ratione initam stabilirent. Id quod denique Mantuæ sub annum salutis 1355 adnitente maximè Carolo, felici successu confectum est. *Pontifex laborat pro conciliandis Venetis & Genuensibus.*

Inita cum Genuensibus pace, Venetorum res hoc ipso anno ex alio capite vix non ad extremum discrimen erant adductæ. Falerius Dux (cujus paulò antè mentionem fecimus) cùm interim menses novem Reipublicæ præfuisset, homo impius, nefarius, & ingratus, ad Rempublicam per tyrannidem occupandam animos adjecerat. Quòd ut faciliùs consequeretur, cum pluribus plebeji ordinis audacibus viris ad perpetrandam optimatum cædem conspiravit: & ex illis sexdecim conjurationis principibus negotium dedit, ut singuli cum sexaginta armatis statuto tempore in curiam prorumperent, & ex nobilitate obvium quemque conficerent, ac denique Falerium *Falerius Venet. Dux Dominium Reipub. occupare tentat.*

lerium non Principem sed Dominum clamarent. Divinâ providentiâ accidit, ut Bertrandus ex plebe homo ex conjuratis unus (pœnitentiâ forte tanti sceleris ductus, aut timore compulsus) Nicolao Leono Patricii ordinis compatri suo, ejus vitæ consulturus, rem omnem detexerit. Re acceptâ Leonus, atrocitate impendentis mali commotus, confestim Seniores Patrum & Decemviros adit, illisque rem omnem ex Bertrando haustam fideliter exponit: qui ad Rempublicam præsenti periculo levandam conversi, conjurationis principes inprimis in potestatem redigendos curârunt. Sexdecim ea nocte capti, sceleris convicti suspendio necati sunt. Falerius etiam eodem die comprehensus, super atrii scalam lapideam securi percussus est. Alii plerique capitali supplicio affecti, quidam etiam culeo insuti in mare demersi sunt. Indici conjurationis Bertrando mille aureorum nummum stipendium annuum decretum, isque ad Patricium Ordinem redactus. Qui postea cùm Patres ingratitudinis accusaret, eorumque famæ homo ingratus detraheret, Ragusium, adempto stipendio, in decennium relegatus est. Rem prolixiùs cum omnibus circumstantiis legere desideranti, adeundum consulo Petrum Justinianum Venet. lib. 4. omnia perpulchrè referentem: ego, ne instituti immemor videar, quæ reliqua Fortanerii sunt, breviter expediam.

Proditur, & cum conjuratis supplicio afficitur.

Is demandato sibi variæ legationis munere egregiè perfunctus, cùm res pontificias in Æmilia præsertim, (votis ubique correspondente successu) ad mentem Pontificis promovisset, aliaque permulta in Ecclesiæ Romanæ commodum & incrementum præstitisset, in dignam tantorum operum remunerationem adscriptus est cœtui Cardinalium ab Innocentio VI. die 17. Septembris anno numeri christiani 1361. Fallitur hoc loco Lucas Waddingus, qui eum ad purpuram die 17. Decembris dicti anni assumptum contendit. Nam literas ea de re ab ipso Pontifice Avenione v. Idus Octobris datas accepit Fortanerius, in quarum extrema pagella his eum verbis, ut ad se festinaret, hortatur: *Festina itaq; fili, festina, & suavi jugo, leviq; oneri colla submissurus attende, ut sicut honoris factus es particeps, sic & oneris & mercedis participium sortiaris.* Ipse ergo, ut Pontificis præcipientis imperia exequeretur, Avenionem proficiscens de illius manu sacrum Galerum accepturus, in medio itinere pestifero morbo correptus, Patavii eodem anno mortem oppetiit ante adeptum titulum: ibidem ad S. Antonii summo omnium mœrore sepultus. Non potuit autem decessisse mense Septembri, ut scribit Ciaconius, qui decimo septimo Septembris renunciatus est Cardinalis: & non priùs quàm sub finem Octobris (si non tardiùs) recipere potuit Pontificis literas Quinto Idus Octobris scriptas, suæ promotionis enunciativas. Sublatus est autem epidemia, quæ ferali morbo ea tempestate cùm in Gallia, tum in Italia magno hominum exitio grassabatur.

Fortanerius in præmium benè navatæ operæ Cardinalis creatur.

Avenionem suscipiendi galeri causâ se conferens, in medio itinere moritur.

Vir fuit doctissimus, ut plura ingenii ejus monumenta ad posteros transmissa testantur: Inter quæ numerantur:

Scripta Ejus.

Officium de SS. Stigmatibus.
Liber Sermonum variorum.

Tra-

Tractatus Lectionum Theologicarum.
Quodlibeta disputata.
Commentaria in Libros B. Augustini de Civitate Dei.
Expositiones in omnes ferè sacrorum Bibliorum libros.

Fortanerius, teste Oldoino, anno reparatæ salutis 1344. die 21. Januarii in Ordinem Seraphicum S. Claræ admisit Sanctiam Siciliæ, Majoricarum & Hierusalem Reginam, quæ Clara de S. Cruce dicta, Neapoli in Cœnobio sanctæ Crucis magna vitæ austeritate, & sanctimoniæ famâ sesqui annum illustris vixit. *Sanctiam Reginam in Ordinem S. Claræ suscepit.*

Ejus mentionem faciunt. Panvinius in Vitis Pontif. Waddingus in Annal. Minor. Hieronymus Rubeus in Hist. Ravennatensi. Gaspar Jongellinus in Elogiis Cardin. Ord. Min. Aubery in Vita. Rodulphus in Hist. Seraphica. Frizonius in G.P. Contelorius in Elencho Cardin. Nomenclator Cardinalium. Victorellus-Ughellius-& Oldoinus in addit. ad Ciaconium.

ANNO 1352.

SEDENTE INNOCENTIO VI. PONTIF. MAXIMO.

De

ANDROINO DE RUPE
S.R.E. CARDINALE.

ANDROINUS, quem alii Hadrianum, Ciaconius Arduinum appellat, illustri prosapia Burgundiæ Comitum de Rupe dictorum sanguine natus, professione Monachus fuit Ordinis S. Benedicti; & Abbas S. Sequani Confessoris Diœcesis Lingoniensis; posteà Cœnobiarcha Cluniacensis. Hic ob exactam rerum agendarum peritiam, & eminentem scientiarum cognitionem ab Innocentio VI. ad Curiam Avenionem vocatus, post Ægidium Albernotium Cardinalem ejusdem Pontificis jussu legationis munere functus est in Italia. Ubi cùm erumpentibus denuò Tyrannis omnia perbrevi tempore faciem mutâssent, ac res tanto labore partæ nutare iterum ac diffluere cœpissent, nec ipse Androinus Legatus tot hostium motibus comprimendis par esset, coactus est Pontifex Ægidium Albernotium, qui unus Tyrannis, toties à se devictis, terrorem incutere poterat, denuò in Italiam mittere: quo, magno cum exercitu ex variis nationibus conflato, adventante, omnia statim (uti superiùs n. 49. in vita Ægidii retulimus) fuêre pacata, atque in ordinem redacta: Arguit hoc loco Androinum inscitiæ & inhabilitatis Ciaconius, quem etiam per errorem Abbatem Burgundum Cisterciensem appellat, cùm reverà non Cisterciensis, sed Cluniacensis Abbas fuerit: Ciaconii verba in vita Innocentii VI. hæc sunt: *Cùm autem Ægidius Italiam pacâsset, arcesq; in ditione Ecclesiastica plures, ac pernecessarias ædificâsset, omnesq; Italos Principes & populos ad officium redegisset, ad annum quintum legationis suæ Successorem habuit Arduinum Burgundum, Abbatem Cisterciensem, hominem rebus agendis nequaquam idoneum &c.* LVIII. *Legatur in Italiam: cui, cum comprimendis Tyrannis solus ipse non sufficeret, Albernotius Legationis comes datur.*

Eee Feli-

Legatur in Gallias ad pacificandos Galliæ & Angliæ Reges.

Feliciori longè successu alteram legationem gessit Androinus, quam anno salutis 1360. ab eodem Pontifice ad concordandos Galliæ & Angliæ Reges demandatam suscepit. Siquidem munus hoc longè difficillimum tantâ prudentiâ & dexteritate peregit, ut mense Majo ejusdem anni apud Carnutes firmissimum pacis fœdus inter utrumque Regem, maximo exhaustorum pænè Regnorum commodo, fuerit percussum. Placet hìc inserere ritum in eo fœdere sanciendo servatum, à Walsingamo Scriptore Anglico in Eduardo III. his verbis descriptum: *Rex Anglorum annuit, ut juratis in corpore Dominico partibus, tactisq; sacrosanctis Evangeliis pacta stabilirentur. Mittuntur igitur ex utrâque parte (Anglia videlicet & Francia) duo Barones, duo quoque milites corporale Sacramentum Domini Caroli Regentis Franciæ primogeniti Joannis Regis ejusdem, ac Domini Eduardi Regis Angliæ audire & admittere. Parisiis igitur celebratâ solemni missâ, dictoq; ter* Agnus Dei &c. *adjecto* dona nobis pacem, *dictus Carolus in præsentia prædictorum Baronum & militum, & aliorum plurium, dextram super patenam cum corpore Dominico, & lævam super missale posuit, hæc verba proferens: Nos Carolus juramus ad sacrosancta Corpus Domini, & Evangelia, firmiter servare penès nos pacem & concordiam, firmatas inter Reges, & nullo modo in contrarium venire. Post hæc datis militibus reliquiis de Corona Christi in testimonium omnibus, vale fecit.* Hæc Walsingamus.

Ritus in Sanciendo pacis fœdere servatus.

Eduardus Rex mense Julio ejusdem anni unà cum Joanne Gallorum Rege Caletum applicuit, qua in Urbe conventa pacta iterum solemni ritu confirmanda erant. Divinis operatus est Androinus Abbas S.R.E. Legatus in Templo maximo Divi Nicolai: cùmque sacratissimo Christi corpore jam jam consecrato pervenisset ad ea verba: *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, dona nobis pacem,* divinam Hostiam manu præferens convertit se ad Reges, qui in genua provoluti admotâ Eucharistiæ manu, fœdus servaturos se sacramento obstrinxêre; eosque Abbas brevi sed luculento sermone dilaudatos, sanctissimo pane refecit. Deinde porrectis ab illo Evangeliis, Reges jusjurandum elata voce iterum renovarunt, tum Gallici & Anglici Sceptri hæredes futuri filii unà cum aliis Principibus utriusque Regni fidem suam pariter devinxêre. His magnâ populi frequentiâ & lætitiâ peractis flagitârunt Reges confœderati à Pontifice, uti Androinum Abbatem Cluniacensem, qui felicitate summa & contentione in conciliandis Regibus desudârat, in præmium strenuè navatæ operæ Cardinalatûs honore donaret. Innocentius justis eorum precibus annuens, Androinum absentem sequenti anno, qui fuit ejus sæculi sexagesimus primus, Purpuratorum Cœtui adscripsit. Non potuit tamen, negotiis adhuc regiis præpeditus, in Curiam se recipere Androinus nisi anno sequenti 1362. quo Innocentius pridiè Idus Septembris Avenione in Palatio Apostolico variis tum animi, tum corporis afflictionibus divexatus è vivis excessit. Igitur allapso eo, dum in Conclavi de more Cardinales, novis comitiis operaturi, detinerentur, suborta est controversia, an Androinus ad electionem unà cum aliis celebrandam admittendus esset? cùm os illi apertum (ut vulgò dicitur) nondum fuisset: sed ex duorum à Senatu universo ad id electorum Cardinalium sententiâ, licuit

Androinus Legatus Regum interventu purpuram adipiscitur.

Urbano V. ad summam rerum suffragatur.

cuit illi & comitiis interesse, & suffragium ferre. Admissus itaque Androinus Guillelmo Grimardo de Grisaco, Abbati Massiliensi S. Victoris, viro litteratissimo, integerrimo, meritis, legationibus, & famâ sanctitatis inclyto (qui Urbanus hoc nomine Quintus dici voluit) suffragatus est. A quo statim post initum Pontificatum, titulo S. Marcelli honoratus, unà cum Ægidio Albernotio in Italiam ingenti cum exercitu adversùs Tyrannos, ac præcipuè contra Bernabovem & Galeatium Vicecomites, Bononiam & Romandiolam occupantes, Legatus est missus.

Secundariò ab Urbano cum Albernotio in Italiam legatus Bernabovem profligat.

Vicecomites, agente maximè Albernotio, duodecimo Kal. Julii anno 1363. (Victorellus habet anno 1361.) primo à Bononiensi Urbe lapide ad S. Roffilli Ædem acie devicti & profligati, ab Androino Legato pacem illicò petierunt, quam etiam hisce præscriptis legibus impetrârunt:

Devicto Bernabovi pacis conditiones præscribit.

I. *Bernabos Vicecomes titulo Vicarii Imperii, ne amplius utatur.*

II. *Diplomata, quæ pro ea dignitate à Carolo IV. Imp. acceperat, restituat, neque amplius quicquam Imperii, uti Vicarius administret.*

III. *Bononiam urbem ne desideret, ne invadat, ne tentet, & si quid juris in possessionem illius quocunque nomine se habere putet, Romano Pontifici permittat.*

IV. *Castra Burgi, Crepacorii, Castri Franchi, Plutrani, Sernavallis, & omnia recens ab eo in agro Bononiensi fortalitia extructa Ecclesiæ Romanæ concedat.*

V. *Neminem Confœderatorum Ecclesiæ Principum & Civitatum bello lacessat, ac invasa singulis restituat.*

VI. *Guelpham apud se factionem non opprimat, sed ex aquô omnibus suis subditis imperet.*

VII. *Pontifex Urbanus ratione Castellorum recens extructorum certam auri summam infra octo annos dependat.*

VIII. *Anathemate illum & socios exolvat.*

IX. *Urbibus & oppidis illius, & sociorum restitui sacra, quibus interdicti erant, jubeat.*

X. *Qui pactis non steterit, mille ducentorum numûm aureûm summa mulctetur.*

Rebus ita compositis Androinus ad Curiam, exinde Bononiam, ut eam, ejectô Vicecomitum præsidiô, administraret, concessit: ubi Ædes publicas (hodie Antianorum dictas) novis fabricis augustiores, magisque commodas reddidit. Pari studio ad emendandos cùm Cleri, tum populi mores, durante bello nimiùm quantùm corruptos & labefactatos, incubuit; totamque urbem saluberrimis decretis sic restituit, ut pristinum pietatis & morum splendorem præse ferret. Ipse verò sub annum salutis 1369. negotiorum causâ Bononia Viterbium se conferens, tertio pòst mense, lue pestiferâ, quæ tum feraliter grassabatur, correptus, quarto Kalend. Novembris, rebus suis benè dispositis, extremum spiritum efflavit. Corpus, uti mandaverat vivens, Cluniacum delatum, ibidem in Sacello Divi Martialis juxta Sellam lapideam honorificè conditum fuit.

Bononiam in Ordinem redigit.

Scripsit vir doctus sermones multos, diebus festis à se declamatos,

Quæ scripserit? matos, ut notat ex Eisengrenio Auctor Nomenclaturæ Cardinalium. Extare etiam insignem Relationem *de Statu rerum Sedis Apostolicæ in Italia*, ab Androino compilatam, & Innocentio VI. nuncupatam asserit Joseph Maria Suaresius, Episcopus Vasionensis, & ex illo Andreas Victorellus in additionibus ad Ciaconium.

Malè eum Servi ordinis B.V. sibi vendicant. Quidam Ordinis Servorum B. Virginis Scriptores Androinum Cardinalem inter Purpuratos sui Ordinis enumerant. Voluit enim, ut ipsi ajunt, ante obitum vestibus ordinis servorum B. Virginis amiciri; & cadaver in Æde S. Mariæ de Veritate Viterbii tumulari. Exteris tamen Scriptoribus assertio hæc, nullo nisi domestico fundamento nixa, ut suspecta rejicitur. Quidquid sit, certùm quidem est, Androinum Ordinis Servorum patrocinium aliquamdiu gessisse, & Protectoris munere, Pontificum jussu, usque ad obitum, functum fuisse. Quare unà cum Canonicis, quorum Præpositus Titularis ipse erat, sponte, Urbani V. auctoritate suffultus, Templum B. Marcelli dimisit, illudque Religiosis Viris Ordinis Servorum B. Virginis (retento sibi solùm S. Marcelli titulo) attribuit. Inde factum, ut Generales Præfecti Servorum, Præpositi nominentur S. Marcelli, nigrumque pileum in Curia Romana, more aliorum Prælatorum, deferant: illoque gentilitia sua stemmata, ad rei memoriam, exornent.

De eo agunt Thomas Walsingamus in Histor. Anglicana. Panvinius in Vitis Pontiff. Aubery in Vita. Bosquetus in Vita Innoc. VI. Raynaldus in Annal. Frizonius in Gall. purp. Matthæus Villanus in Hist. Florent. Bernardus Corius in Histor. Mediol. Felix Contelorius in Genealogia Comitum Roman. Archangelus Gianius in Annal. Servorum B. Virg. Victorellus & Ughellius in addition. ad Ciaconium. Aliiq.

ANNO 1352.

SEDENTE INNOCENTIO VI. PONTIF. MAX.

De

GUILLELMO BRAGOSE
S. R. E. CARDINALE.

LIX. GUILLELMUS Bragose, natione Gallus, patria Gabalitanus, Diœcesis Nimatensis, excellens suo ævo Jurisconsultus. Is cùm multos annos Jurisprudentiam civilem & canonicam Tolosæ, magno Auditorum concursu, interpretatus esset, celebremque exinde sui nominis famam totâ Urbe collegisset, exigentibus meritis Vabrensis Præsul in demortui Berandi Paberaci locum suffectus est. Evolutis aliquot annis ex Episcopo Vabrensi Diaconus Cardinalis S. Georgii in Valabro, majorque Pœnitentiarius ab Innocentio VI. circa annum salutis 1361. creatus, eô extinctô, ab Urbano V. in Successorem inaugurato, tantique viri meritis persuasô, Presbyteratum S. Laurentii in Lucina, confirmationemque muneris majoris Pœnitentiarii obtinuit.

Episcopus primò Vabrensis, deinde Cardinalis renunciatur.

Extat

Extat insigne hujus rei testimonium apud Anonymum vitæ Innocentii VI. auctorem, quod ex Bosqueto mutuatum hûc transcribere placet: *Mortuo Innocentio VI. successit Urbanus V. qui consecratus & coronatus satis citò Dominum Guillelmum Bragose S. Georgii ad velum aureum Diaconum Cardinalem, ac majorem Pœnitentiarium, virum utique satis gradavum, qui per prius in studio Tolosano Doctor solemnis Decretorum existens, annis pluribus cathedram Doctoralem ad perutilem instructionem, seu informationem plurimorum rexerat, in Presbyterum Cardinalem ordinavit, ipsiq; titulum presbyteralem assignavit, videlicet S. Laurentii in Lucina, ad quod faciendum præcipuè motus extitit officio Pœnitentiariæ, quod Presbytero magis, quàm Diacono convenire indicavit.* *Ejus meminit Auctor vitæ Innocentii VI.*

Urbanum summum Pontificem Avenione in Italiam profectum, Romam usque comitatus, ibidem ex corrupto aëre, morbo lethali correptus XI. die Novembris anno reparatæ salutis 1367. è vita migravit. Sepultus ad S. Laurentium in Lucina, cujus titulum gessit Cardinalis. Proditur scripsisse plurima ad Decretorum elucidationem pertinentia, quæ tamen injuriâ temporum ad nostram notitiam non pervenerunt. *Romæ peste moritur.* *Ejus Scripta.*

Ejus meminêre Panvinius in Vitis Pontiff. Aubery in Vita. Frizonius in Gall. purp. Claudius Robertus in Gall. Christiana. Contelorius in Elencho Cardinalium. Bosquetus in Vita Innocentii VI. & Alii.

ANNO 1362.

SEDENTE URBANO V. PONT. MAX.

De

ANGELICO GRIMOARDO DE GRISACO S.R.E. CARDINALE.

ANGELICUS Grimoardus de Grisaco, à patrio oppido Grisaco sic dictus, natione Gallus, germanus Urbani V. frater, in parentes habuit Guillelmum Grimoardum, & Amphilisiam Monferranam ambos genere & opibus illustres. Canonicorum Regularium S. Augustini Institutum in ipso ætatis flore professus, maximis brevi virtutibus doctrinâque minimè vulgari adeò profecit, enituitque, ut eapropter communibus fratrum suffragiis Abbas Cœnobii S. Rufi propè Valentiam urbem electus, paulò pòst à fratre (sub Urbani V. nomine in Pontificem assumpto) Ecclesiam Avenionensem anno Christi 1363. regendam susceperit. Quam annis propè tribus integritate & prudentiâ Præsule dignâ moderatus est. De quo in Anonymo vitæ Urbani V. auctore hæc apud Bosquetum leguntur: *Ad Ecclesiam Avenionensem, qua diu Pastore caruerat, promovit Urbanus Angelicum Grimoardum fratrem suum, de quo quasi communiter dicebatur, quod in omni probitate, honestate, religionis observantia, ac discretione, seu circumspectione naturali cum litera-* LX. *Canonicorũ Regularium Institutum amplexus, Abbas primò S. Rufi, deinde Episcopus Avenionensis eligitur.*

literatura convenienti ordo suus (scilicet Canonicorum Regularium) & si pares haberes paucos, tamen excedentes nullos &c.

Variis muneribus, purpurâ Legationibus ornatur.

Ex Episcopo Avenionensi Presbyter Cardinalis S.Petri ad vincula titulo Eudoxiæ primò; mox Episcopus Albanensis, & Archipresbyter Lateranensis ab eodem Urbano fratre ad annum 1366. renunciatus, sequenti anno legatur in Hispaniam ad Petrum Castellæ Regem (ut inquit Mariana) in ordinem redigendum. Eâ perfunctus legatione, Picenum, Umbriam, Hetruriam, Campaniam Maritimam Legatus obivit, ac denique in temporalibus Vicarius Pontificius earum provinciarum constitutus, fixâ Bononiæ Sede, urbem illam adversus periculosos Vicecomitum motus & insidias strenuè propugnavit.

Cardinales eum de obitu Urbani V. fratris sui certiorem reddunt, atque ad continuandam legationem hortantur.

Anno 1370. xiv. Kalend. Januarii Urbano V. Avenione vitâ functo, eâdem die Cardinales Avenione degentes, Angelum in Italia Legatum de fratris obitu certiorem fecêre; illumque instantissimis (quas subnectimus) litteris rogârunt, ut ditionis Ecclesiasticæ Provincias, quibus tum præerat, eò usque administrare ne gravaretur, donec ipsi novo per suffragia designato Pontifice, Conclave egressi essent. Litteræ Cardinalium ad ipsum die 19. mensis Decembris dicti anni datæ, sic sonant.

MISERATIONE DIVINA EPISCOPI, PRESBYTERI, ET DIACONI, SANCTÆ ROMANÆ ECCLESIÆ CARDINALES.

Venerabili Fratri Angelico Episcopo Albanensi, Terrarum Ipsius Ecclesiæ in Italia consistentium pro eâdem Ecclesiæ in Temporalibus Vicario Generali salutem in Domino.

Litera Cardinalium ad Ipsum data.

Quòd ex casu flebili, corde turbati officium consolationis assumimus, illius dilectionis fervor efficit, illius nos ad id plenitudo dilectionis impellit, quæ nil humanum à se reputans alienum, sic ex intimis dolenti condolet, & patienti compatitur, ut non minùs ex ejus, quàm in propriis angustiis anxietur. Hodie siquidem sanctæ memoriæ Domino nostro Urbano Papa V. circà horam vespertinam sublato de medio gravis mæror in amara consideratione jactura, quam pertulit universalis Ecclesia, omnium nostrum corda invasit: Vobisq. mæsto spiritu eò profundiùs condolemus, quò vos in subtractione tanti fratris gravioribus debere præsumimus doloribus occupari. Sed quia Domini sententiâ statum est hominibus semel mori, *juxtà quam sententiam proprio filio suo non pepercit; rogamus Vos, ut sapiens juxta sapientis consilium non detis dolori cor vestrum, sed illum abjicientes dicatis cum Beato Job*, sit nomen Domini benedictum, *quia cùm Rex justitiæ ponderet æquo libramine universa, nil in terris permittens fieri sine causa, nemo illi audet dicere, cur sic facis? Est etiam in quo potestis non modicam consolationem admittere, quia idem Dominus longâ infirmitate vexatus, interim recepit devotè & humiliter Ecclesiastica Sacramenta. Rogamus etiam Vos, ut sic circa regimen terrarum vobis commissarum vigilare velitis, ut posteriora prioribus continuando aquiratis laudem apud homines, & meritum apud Deum, nec ipsum regimen propter pericula, quæ maximè hoc tempore possunt verisimiliter occurrere, donec super hoc aliter fuerit provisum, dimittere velitis. DEUS autem consolationis in præsenti Vos dirigat, & in futuro ad consolationem perducat æternam. Datum Avenione xiv. Kalend. Januarij.*

Humanissimis hisce Cardinalium litteris exoratus Angelicus, mansit

mansit Bononiæ in statione Legati Apostolici usque ad assumptionem Gregorii XI. à quo Avenionem revocatus, collectis vasis, itineri se commisit. Allapsus Avenione à Gregorio Neo-Pontifice perhumaniter exceptus, arduisq; deinceps eâ in urbe negotiis obeundis præfectus, permansit usque ad obitum suum, qui contigit die 18. Aprilis anno redempti orbis 1388. Sedente in throno Pontificio contra Urbanum VI. Clemente VII. Antipapa, cujus partibus, dum viveret, studuit & adhæsit. *Ejus obitus, & Scripta.*

Scripsit Antiphonas multas.
Responsoria Sacra.
Sermones de Tempore.
Orationes de Sanctis.

In Aptensi Civitate à fundamentis erexit atque dotavit insigne Cœnobium Monialium S. Crucis Ordinis Cisterciensis. Et Sanctimonialibus è Cœnobio de Furnis Ordinis Divi Benedicti, Avenionem profugis, Ædes à se coëmptas in perpetuam possessionem concessit: quibus etiam, ne ornamentis carerent, candelabra, vasa sacra, cruces, libros, aliaque id genus utensilia, Sanctorum item Requias, atque in primis pernobilem thecam argenteam, auro gemmisque distinctam, Divæ Luciæ Virginis & Martyris sacra Lipsana continentem elargitus est. *Ejusdem varia pietatis monumenta.*

In Montepessulano Canonicis Regularibus Divi Augustini, cujus Institutum professus fuerat, pari pietate celebre erexit Collegium, multis redditibus, ac annuo censu locupletatum, ut refert Anonymus Auctor vitæ Urbani V. apud Bosquetum his verbis: *In Montepessulano ædificavit Monasterium Canonicorum Regularium sub nomine S. Rufi, in quo constituit certum numerum Canonicorum, qui Deo ibi servirent, ac nihilominus litterarum studiis operam darent; dotavitq; Collegium hujusmodi redditibus & proventibus annuis, ad dictorum Canonicorum sustentationem abundè sufficientibus, quibus etiam providit de pluribus bonis, libris, & aliis ornamentis pro divino servitio & sui continuatione studii necessariis & opportunis.* Reliquas verò facultates suas propè omnes vel Ecclesiis, vel pauperibus profusâ liberalitate legavit.

Ejus meminêre Panvinius in vitis Pontiff. Auberi in vita. Joannes Mariana in Hist. Hispan. Raynaldus in Annal. Claudius Robertus in Gall. Christiana. Frizonius in Gall. purp. Petrus Grisius in Hist. Canonicorum Regularium Nomenclator Cardinalium. Andreas Quercetanus in vita Urbani V. Ughellius in Italia sacra. Morerius in Diction. Historico. & Alii.

ANNO 1362.

SEDENTE URBANO V. PONT. MAX.

De

GUILLELMO SUDRE

S. R. E. CARDINALE.

GUIL-

LXI.

Sacras literas Tolosæ profitetur.

GUILLELMUS Sudre (quem Anonymus Auctor vitæ Urbani V. Guillelmum Sudoris nominat) natione Gallus, Lemovicensis, sacri Ordinis Prædicatorum Theologus insignis: quippè qui sacras litteras Tolosæ pluribus annis, magno cum fructu, explicuit. Is ob eminentes animi dotes, pedentim ad altiora eluctatus, primùm ex Tolosano Provinciali Lector Apostolici Palatii; mox Episcopus Massiliensis; deinde Presbyter Cardinalis SS. Joannis & Pauli titulo Pammachii; demùm Episcopus Ostiensis & Veliternus ab Urbano renunciatus, tot muneribus integrè & laudabiliter præfuit annis minimùm decem.

Cardinalis renunciatur.

Muneri sacra Amuleta distribuendi præficitur.

Mornæj & Hoffmanni mendacia circa Originem Amuletorum refelluntur.

Guillelmus, dum sacri adhuc Palatii Lectoris munere fungeretur, ab Urbano V. provinciam accepit distribuendi fidelibus sacra Amuleta recèns benedicta. Ex quo quidam falsò opinati sunt, sacra ejusmodi Amuleta ex cerâ confecta, & pontificiis precationibus consecrata (Jcunculas cereas quidam, omnes ferè *Agnos Dei* vocant) Urbano V. primitiùs in usu esse cœpisse: ita novissimè à Mornæo seductus sensit & scripsit Jacobus Hoffmannus, Historicus Basiliensis in suo Lexico, in hæc verba: *Urbanus V. Rosam consecratam excogitavit, quam Joanna Apulia Regina dono misit: Agnos item cereos primus finxit, illis magnam vim attribuens.* At falsum hoc esse, nulloque verisimili fundamento niti, adeò perspicuum est, ut nemo, nisi veritatis inimicus, dubitari possit. Constat enim ex Alcuino Caroli Magni Præceptore capite *de Sabbatho Sancto*; & ex Amalario Trevirensium Antistite lib. 1. cap. 17. (qui circà annum salutis 840. floruêre) multis ea sæculis Urbano antiquiora, & in usu fuisse. Leonem III. Pontificem Maximum Carolo Magno Imp. cercum orbem agni effigie decoratum misisse narrat Frusius in Poëmate *de Agno Dei.* Mos consecrandi Orbes Agni cereos ex prisco more manavit: quo in Paschate iis, qui Baptismo initiabantur, cerea bulla, Agni imagine ornata, ante pectus deferenda tribuebatur. Constabat autem illa ex paschalibus præteriti anni cereis facibus, sanctorum reliquiis chrismate & oleo sacro, In arca, in qua erant ossa Mariæ Stiliconis filiæ, Honorii Imperatoris uxoris, repertum Agnum cereum, aureô circulô redimitum, iis verbis *Maria nostra clementissima* in una parte additis; in altera *Michaël, Gabriel, Raphaël, Uriel*, narrat ex Marliano & Surio Andreas Victorellus.

Mos consecrandi Sacra amuleta antiquissimus.

Augustinus Patritius libro 1. sectione 7. capite ultimo Rituum S.R.E. Joannes item Molanus cap. 13. de Agno Dei, & Gretserus cap. 60. Exam. Mysterii Plæssciani, aliique idonei Authores Urbanum V. tres cereos *Agnos DEI* ad Joannem Palæologum Græcorum Imperatorem misisse, hosque subjectos versus, eorum vim & efficaciam exprimentes, addidisse testati sunt.

Compositio eorum & Virtus.

Balsamus, & munda cera cum Chrismatis undâ
Conficiunt Agnum, quod munus do tibi magnum:
Fonte velut natum, per mystica sanctificatum.
Fulgura desursùm depellit, & omne malignum,
Prægnans servatur simul & partus liberatur.
Portatus mundè de fluctibus eripit unda.

Pec-

Peccatum frangit ut Christi sanguis, & angit.
Bona confert dignis, virtutem destruit ignis.
Morte repentinâ salvat, satanæque ruinâ.
Si quis honoret eum, retinet super hoste trophæum,
Parsq; minor tantum, tota valet integra quantum.
AGNE DEI miserere mei, qui crimina tollis.

Verſus iſtos pro ætate illa rudiores, Guillelmus Eſtius Theologus & Canonicus Lovanienſis elegantiores reddidit, hunc in modum.

Guillelmi Estii carmen de Agno Dei.

Quale sit, & qua vi venerabile polleat AGNI
Divini signum, carmine disce brevi.
Punica cera subest, mixtumq; opobalsamus unda,
Chrismaq; : Pontificis cuncta sacrata prece.
Pellitur hoc signo tentatio dæmonis atri,
Et pietas animo surgit, abitq; tepor.
Hoc aconita fugat, subitæq; pericula mortis;
Hoc & ab insidiis vindice tutus eris.
Fulmina ne feriant, ne sæva tonitrua lædant,
Ne mala tempestas obruat, istud habe.
Undarum discrimen idem propulsat, & ignis,
Illaq; ne noceat vis inimica, valet.
Hoc facilem partum tribuente, puerpera fœtum
Incolumem mundo proferet, atque Deo.
Unde rogas uni tam magna potentia signo?
Ex AGNI meritis, haud aliunde fluit.

Haſce verò ceræ benedictæ particulas, cum verſibus ſupraſcriptis, Urbanus Pontifex Palæologo Imperatori miſit eo conſilio, ut Græcos ejurare doceret errores de cæremoniis Eccleſiæ Romanæ. Nam & hi Schiſmatici, pari cum hæreticis impietate, hos Agnos Dei irrident, inque locum vituli conflatilis, apud Catholicos contra Canonem Concilii Nicæni, ſucceſſiſſe calumniantur. Quorum errorem Joannes Molanus SS. Theol. Profeſſor oratione 1. ex tribus nervosè confutavit, & antiquitatem benedicendi Agnos Dei, uſum, efficaciam, ac modum quo peccatum ad inſtar ſanguinis Chriſti frangunt, contra Illyricum ac Plæſſeum, ut mox dicemus, oſtendit.

In manu ſcripto codice antiquiſſimo Benedictionum, quibus Pontifex Maximus utitur, in Sacrario Apoſtolico aſſervato, poſt allata carmina, hæc quoque adſcripta leguntur.

Antiquissimum carmen de Agno Dei.

Salve nostra Salus, Agnus mitissime salve,
Sanguine, qui tollis crimina nostra, tuo.
Salve, quem sacra confecit chrismatis unda,
Ceraq; candidior, balsameusq; liquor.
Salve, quem sacro quasi natum è fonte levavit
Romana Antistes Maximus Ecclesia.
Salve, sancte Agnus, subitis qui motibus obstas,
Qui premis inferno quidquid ab hoste venit.
Qui nos è flamma servas undaq; periclis,
Quiq; fugas fulgur, dæmoniumq; fugas.

Qui nos tutaris vitiis, virtutibus ornas,
Qui partum pariter cum pariente juvas.
Qui confers latos infesto ex hoste triumphos,
Et reddis ductu prospera cuncta tuo.
O Salvatoris monumentum nobile nostri,
O Magni salve mystica forma Dei.

Panvinius in Libello de iisdem Agnis Oden elegantem Jani Vitalis; Molanus loco citato Guillelmi Estii Epigrammata refert, quo is paucis explicat priorum versuum sententias. Andreas Frusius S. J. uberi, elegantique poëmate idem argumentum complexus est.

Plæsseo & Illyrico rem malè intelligentibus scholasticè respondetur.

Livori igitur, levitati ac inscitiæ quorundam hæreticorum tribue latratus, qui velut immundi canes sacratas hasce imagines vellicant & lancinant. Verba illa ab Illyrico & Plæsseo (appositô studiô) malè intellecta, & calumniæ notis adspersa, *Peccatum frangit ut Christi Sanguis &c.* defenduntur egregiè, & explicantur à laudato Molano, aliisque viris doctrina & ingenio præstantibus. Particula *ut* non æqualitatem, sed similitudinem quandam analogicam ostendit, sicut & illa Christi ore prolata *sicut & Pater vester cælestis perfectus est.* Finiti ad infinitum nulla proportio. Dei perfectio infinitatem complectitur; quæ in homine, certis terminis circumscripto, esse non potest. Cerea Agni Dei forma non abolet peccatum *ut Christi sanguis*, neque enim eâ virtute præstat, qua divinus ille sanguis in hominum lapsorum redemptionem effusus, sed ab ipso sanguine & morte Christi, precationibus & benedictionibus Romani Pontificis, virtutem aliquam, desuper advenientem, ad frangendum peccatum accipit. Benedictionem Episcopalem, aquæ lustralis aspersionem, sacramentalem unctionem ad venialium culparum remissionem agere scripsit Angelicus Doctor 3. parte. quæst. 87. Artic. 3. Et quis eum malè scripsisse arguat, qui divino laudatus oraculo benè scripsisse perhibetur?

Sacrorum Amuletorũ virtutem Jo. Molanus historicè docet.

Maris tempestatem sedatam, incendia extincta, matres & proles in partu afflictas servatas, æneorum tormentorum vim cohibitam, labefactatamque sacri Agni Amuletô, historicè docet allegatus Molanus, aliique.

Unde, rogas, uni tam magna potentia signo?
Ex Agni meritis, haud aliundè, fluit.

Eorundem antiquitas ex Widmanstadio, & aliis asseritur.

Austriæ Cancellarius Widmanstadius, vir doctissimus, & ex illo Molanus capite 6. narrant, in veteri Apside Basilicæ Vaticanæ operis tessellati, quæ Aræ principi imminebat, cereorum Agnorum imagines, ex Constantiniana structura, extitisse. Unde vir religiosissimus Marcellus Cervinus (nondum Pontifex creatus) colligi posse dicebat, ritum consecrandi cereos agnos, ante Constantini Magni tempora viguisse. Falsum igitur est, quod Plæsseus, Illyricus, Hoffmannus, aliique hujus farinæ socii in Urbanum V. quasi primum sacrorum Amuletorum Auctorem, & (ut ipsi dicunt) confictorem deblaterant. Lippis & Tonsoribus, non prudentibus & cordatis hæc persuaserint. Sed hæc per digressionem fortè non importunam hoc loco obiter insinuata sufficiant. Nos ad Institutum revertamur.

Petrus Frizonius in sua Gallia Purpurata, Thomam Aquinam Car-

Carmelitam secutus, scripsit Guillelmum Sudre post adeptam purpuram functum fuisse legatione Neapolitana ad discordias, quæ inter Principem Tarentinum & Ducem Andriæ ortæ erant, sedandas, eorumque controversias dirimendas. Verùm sibi non constat Frizonius, nam eandem legationem alibi tribuit Guillelmo de Agrifolio dicto Juniori, Cardinali Presbytero S.Stephani in Cælio Monte his verbis : *In Regnum Neapolitanum missus est ab Urbano anno 1367. sedandi belli causâ, inter Principem Tarentinum & Ducem Andriæ exorti.* Et si rem accuratiùs discutiamus, inveniemus Frizonium in utroque Guillelmo errâsse, cùm neuter horum ea legatione in Regno Neapolitano sit functus, sed Guillelmus de Agrifolio dictus Senior, Presbyter Cardinalis S. Mariæ Transtyberim titulo Callisti, qui postea Episcopus Sabinensis fuit, ut in ejus vita cum Ciaconio recenset Oldoinus. *Error Frizonii circà legatione Guillelmi Sudré improbatur.*

Mortem oppetiit Guillelmus Sudre , nulla legatione clarus , Avenione die 18. Aprilis anno salutis 1373. ut contra Ciaconium & Frizonium, mortem ejus ad IV. Kalendas Octobris ejusdem anni prorogantes, docet Contelorius ex tabulis Vaticanis. Avenione in Templo Patrum Dominicanorum ante Aram principem sepulchro & funerali elogio donatus, quod tamen (Ughellio teste) prætereuntium pedibus adeò attritum est, ut vix postrema hæc verba, *Requiescat in pace* legi posse videantur. *Guillelmi obitus, & Scripta.*

Scripsit Tractatum de Mysteriis S. Crucis.
Commentaria in 4. libros Sententiarum.
Epistolas plures in causâ fidei ad diversos.
Quædam pertinentia ad Logicæ subtilitatem.

Scribunt nonnulli Guillelmum nostrum Petro Aragoniæ Regis filio authorem fuisse, ut is contemptis mundi vanitatibus ac regiis deliciis sacrum Divi Francisci institutum amplexus sit. Dum verò Petrus in exordio conversionis suæ, ut fit, ancipiti carnis & spiritûs pugnâ detineretur, apparuisse ei ferunt nocturno quodam viso Divum Ludovicum Episcopum Tolosanum cum aliquot Fratribus ex eodem ordine multâ gloriâ collucentibus, eumque animâsse ad eam vitam complectandam in qua tantum esset præmii ac mercedis : quòd ille brevi exequutus, viginti annos in Religione vixit, non suo tantùm, sed aliorum etiam multorum profectu , quòd dicendo plurimùm valeret, & multos doctis suis concionibus ad DEI amorem inflammaret. *Petro Aragoniæ Regis filio ad Institutâ D. Francisci author creditur.*

Ejus mentionem faciunt Panvinius in Vitis Pontiff. Aubery in Vitâ. Claudius Robertus in Gall. Christiana. Frizonius in G. Purp. Chronicon. Ordin. Prædic. Nomenclator Cardinalium. Ughellius & Victorellus in additionib. ad Ciaconium. Aliiq.

ANNO 1362.

SEDENTE URBANO V. PONT. MAX.

De

GUILLELMO DE AGRIFOLIO

S. R. E. CARDINALE.

LXII. GUILLELMUS de Agrifolio Junior, nepos Guillelmi Senioris ejusdem cognominis, natione Gallus, Juris Pontificii Doctor & Decretorum explanator insignis. *Vir optima fama*, ut inquit in vita Urbani V. Auctor Anonymus, *laudabilis vita, & conversationis honesta, formâ speciosus, staturâ decorus, & ad omne bonum apprimè dispositus.* Eapropter Urbano Pontifici in paucis charus & acceptus; cui & ab epistolis fuisse legitur. Guillelmus vigesimo octavo ætatis anno nondum expleto Presbyter Cardinalis titulo S. Stephani in Cœlio monte ab Urbano, Massiliæ tunc agente, IV. Idus Maij anno Domini 1367. effectus, omnibus tum ob ætatem propè teneram, tum ob adultam virtutem admirationi fuit. *Dicitur autem Pontifex ad hoc faciendum motus* (sunt verba allegati Anonymi) *consideratione Guillelmi Senioris de Agrifolio, cujus ipse Papa socius quondam & familiaris fuerat, cùm in minoribus existebat; & quem, post Deum, assumptionis sua pracipuum promotorem & auctorem cognoscebat.* Seniori igitur Guillelmo Urbanus gratam operam relaturus, Juniorem virtutibus & doctrinâ pollentem purpurâ exornavit.

Egregius Juris Doctor.

Valdè Juvenis purpurâ donatur.

Narrant aliqui cum Petro Frizonio, Guillelmum Juniorem Sedis Apostolicæ nomine functum fuisse legatione Neapolitana ad discordias inter Principem Tarentinum & Andriæ Ducem vigentes sopiendas. Verùm hi, ut jam superiùs n. 61. animadvertimus, à veritate aberrant, cùm ex Apostolicis literis, aliisque Scriptorum monumentis perspicuum, certumque sit, dictam legationem non Guillelmo Juniori, sed Seniori patruo fuisse demandatam.

Gregorius XI. Urbani Successor, Guillelmo Juniori cum quibusdam aliis doctis Cardinalibus provinciam dedit examinandi & discutiendi Revelationes divinitùs factas S. Brigittæ è Regum Sueciæ sanguine progenitæ, & Ulfoni (seu ut alii habent Wltono) Nericiæ Principi nuptæ, quam deinde Bonifacius IX. Pontifex Maximus stupendis clarentem signis, postquam Romæ salutis anno 1373. sancto fine quievisset, inter Cœlites retulit. Guillelmus igitur habito super dictis Revelationibus maturo & rigoroso examine, easdem sanctas, pias, Ecclesiæ utiles & proficuas, utpote à bono spiritu exortas & dictatas, ac propterea minimè rejiciendas, sed albo calculo probandas censuit. Quæ exinde ab eo tempore in hanc usque diem (accedente maximè Ecclesiæ judicio) à viris doctis, piisque magni sunt æstimatæ.

Examini Revelationum S. Brigitta adhibetur, easque approbat.

Guillelmus Cardinalis, licet doctrinâ & eloquentiâ, virtutis & meritorum famâ valdè insignis haberetur, nihilominùs virtutes hasce multùm obscuravit, quòd inter præcipuos exorti Schismatis Auctores & Antesignanos Clementem VII. Pseudopontificem secutus,

Schismatis Clementini pracipuus Author.

tus, ab eodem legationem in Germaniam susceperit, ad persuadendum Augusto Cæsari Carolo IV. Germaniæ Proceribus, & Imperii Electoribus, hunc recipiendum esse uti legitimum Pontificem, Urbanum verò Sextum cum suis affeclis reprobandum. Metis in hunc finem diu moratus, impiam legationem pro viribus ursit, sed à Germanis Urbano VI. affectis, ab eoque firmiter stantibus repulsam passus ad Clementem intrusum Pontificem, re infectâ, rediit inglorius.

Clemente VII. Antipapa anno salutis 1394. sexto decimo Kalend. Octobris appoplexiâ tacto, & è vivis sublato, Guillelmus nihil sanior factus, obduratus permansit in Schismate, ac Benedicto XIII. (Petro de Luna anteà dicto) in Sedem Apostolicam per iniqua & schismatica suffragia irrumpenti, ad extremum usque halitum, pravi tenax, adhæsit; in cujus obedientiâ Avenione Idibus Januarii salutis anno 1401. è vita excessit, uti habemus ex Necrologio Collegii S. Martialis Avenionensis. Ejus cadaver tumulatum est in Templo ejusdem Collegii, in Sacello D. Stephani propriis à se sumptibus erecto & dotato, cui etiam decedens duo librarum millia legavit. In tumulo nigri marmoris sequens hodiedùm legitur Epitaphium:

Moritur in Schismate Avenione.

HIC JACET REVERENDISSIMUS IN CHRISTO PATER, DOMINUS GUILLELMUS DE AGRIFOLIO, DECRETORUM DOCTOR, TITULI S. STEPHANI IN COELIO MONTE S.R.E. PRESBYTER CARDINALIS.

QUI OBIIT IDIBUS JANUARII, ANNO A NATIVITATE DOMINI M CCCCI. ANIMA EJUS IN PACE QUIESCAT AMEN.

Epitaphium ejus, & Scripta.

Scripsit Guillelmus Sermones in Laudem B. Virginis.
Tractatum de Potestate Papæ.
Explanationes Decretorum.
Aliaque Nonnulla.

De eo agunt Panvinius in Vitis Pontiff. Raynaldus in Annal. Stephanus Balaze in Antifrizonio. Frizonius in Gall. purp. Turrecremata in Epistola ad Fideles. Victorellus in additionibus ad Ciaconium. Ughellius in Ital. sacra. & Alii.

ANNO 1362.

SEDENTE URBANO V. PONTIF. MAXIM.

De

MARCO VITERBIENSI S.R.E. CARDINALE.

MARCUS Viterbiensis, Italus, Ordinis Minorum vigesimus secundus Generalis Minister Genuæ renunciatus anno 1359. Urbani V. jussu, mirâ dexteritate, & incredibili facilitate sedavit graves contentiones, quæ inter Amedeum Sabaudiæ Comitem, & Joannem Marchionem Montisferrati, Comitis Avunculum intercedebant. In Litteris ad Amadeum datis hæc habet Urbanus: *Nos igitur tantis malis, opportunis obviare remediis cupien-* LXIII.

Generalis Minister electus plurium Principum discordias sedat.

cupientes, de circumspectione dilecti filii Marci de Viterbio Ordinis Fratrum Minorum Generalis Ministri, Apostolicæ Sedis Nuncii, latoris præsentium, viri utique scientifici ac religiosi, quem utrique parti reputamus acceptum, plenè confisi, eum ad tuam, & dicti Marchionis præsentiam, ad extirpandam sub favore Auctoris pacis præfatam discordiam duximus destinandum.

Ejusdem Urbani V. jussu, bellorum incendia inter Joannem Vercellensem & Joannem Astensem Episcopos; tum etiam inter Joannem Montisferrati Marchionem & Galeacium Vice-comitem exorta restrinxit: quos ut ad concordiam reduceret, eum sequentibus literis hortatus est Pontifex.

URBANUS &c. Dilecto Filio Marco de Viterbio Ordinis Fratrum Minorum Generali Ministro.

Urbani Litera in hunc finem ad eum data.

Litteras tuas, per quas nostro Apostolatui reserâsti, quòd tu pacem, quam inter dilectos filios, nobiles viros Joannem Marchionem Montisferrati, & Amedeum Comitem Sabaudiæ pro parte nostrâ diu tractaveras, nuper auxiliante Deo, de voluntate partium promulgasti, facto priùs per partes easdem in Nos compromisso de omnibus querelis & actionibus, quas alter eorum adversùs alterum prætenderet se habere: recepimus, ac perlegimus cum lætitia pleniori; Proinde Deo, qui est Auctor pacis, & unitatis amator, & tantum bonum sua pietate concessit, gratias referentes, tuæ discretionis solicitudinem multipliciter in Domino commendamus. Porrò quia partes illæ nondum sunt à bellorum sentibus expurgatæ, & adhuc inter præfatum Marchionem, & dilectum Filium, nobilem virum Galeacium de Vicecomitibus, militem in civitate Mediolanensi, Imperialem Vicarium, sævum bellum remansit, partes easdem depopulans, & vicinas sua contagione inficiens, & conturbans, in votis gerimus inter ipsos Marchionem & Galeacium, & inter cunctos Christi fideles ponere bonum pacis, ideoq; sperantes in Deo, quòd ipse zelum tuæ circumspectionis ad pacem aspiciens, gratiam, quam tuis devotis & studiosis affectibus in prædicto primo negotio tribuit, in isto secundo (cùm non sit abbreviata manus ejus) etiam ampliabit, eandem tuam discretionem hortamur attentè per Apostolica scripta præcipiendo mandantes, quatenùs ex parte, & Auctoritate nostra inter eosdem Marchionem, & Galeacium, secundùm discretionem tibi datam à Domino, studeas procurare; & ut efficaciùs hoc possis efficere, Tibi super hoc per alias nostras patentes litteras mandatum dirigimus opportunum, volumusq;, quòd hujusmodi prosequendo negotium, litteris Nostris super procuratione tibi à Clero exhibenda, cùm ad hoc sufficiant, utaris, ut priùs. Datum Avenione Kalend. Octobris Anno primo. qui fuit Christi 1362.

SocialemLatronum exercitum Italiâ ejicit.

Pacatis sua dexteritate præfatis Principibus, ab eodem Urbano in Italiam ablegatus est ad sedandos alios tumultus; qua occasione non modò Pisanos cum Florentinis conciliavit, sed & Italiæ Principes, ac præcipuas Tusciæ, & Lombardiæ civitates conjunxit ad fœdus ineundem contra iniquas Societates, quas vocabant, in Italiam irrumpentes. Coaluerat enim impiæ gentis colluvies ex ingenti multitudine latrunculorum per totam Galliam collecta ex reliquiis belli Anglicani ad quadraginta hominum millia, quæ hinc inde erratica, spoliis, & rapinis intenta, Provincias & Regna ferrô, flammâque depopulabatur. Hanc igitur multitudinem ex imperio Urbani aggressus Marcus Viterbiensis, cùm Italiæ Principes arctò sibi fœdere conjunctos haberet, facilè devicit, ac finibus Italiæ ejecit:

ejecit: Signis eorum igni traditis, & Antesignanis suspendio necatis.

Ab Urbano V. Cardinalis renunciatur.

Dum ante adeptam purpuram, præclarissimis his fungeretur legationibus Marcus, & summa cum laude obsequiis studeret Apostolicis, petiit Urbanus à senioribus ordinis Patribus, qui Avenione residebant, ut tres probatos ac doctos instituti sui viros sibi præscriberent, ex quibus unum in Cardinalem posset deligere. Illi tres tantæ dignitati idoneos selegerunt, sed ne loco viderentur impares, quos meritis judicabant æquales; & ne qui primus nominaretur, dignior haberetur, cæterisque præjudicium faceret, non ordinatim, sed circulariter, seu in figura plana Sphœrica, trium nomina scripserunt, hoc ferè modo:



Ejus Obitus, Epitaphium, & Scripta.

Qua ratione dignosci non potuit, quem primum nominarent. Urbanus modestiam religiosorum virorum admiratus, circulumque aliquoties oculis percurrens, & subridens, *Vos*, inquit, *ordinem communem pervertistis, Ego pariter vestrum pervertam*, & exclusis tribus illis in circulo notatis, Marcum Viterbiensem Ministrum Generalem Presbyteris Cardinalibus titulo S. Praxedis adscripsit. Non diu tamen Cardinalis vixit, nam anno 1369. die tertio Septembris Viterbii è vita migravit, sepultus ibidem in Ecclesia Minorum cum hoc Epitaphio.

MARCUS VITERBIENSIS EX ORDINE MINORUM CONVENTUALIUM CARDINALIS AB URBANO V. OB SUAM INGENTEM IN OMNI VIRTUTE GLORIAM DIE 18. SEPTEMBRIS, ANNO 1366. CREATUS, VITERBII VITAM VIR SANCTITATE VITÆ CONSPICUUS, OBIENS, NOMEN SUUM IMMORTALITATI CONSECRAVIT: ANNO VIRGINEI PARTUS. M. CCC. LXIX.

Scripsit summam Casuum Conscientiæ.
Sermones sacros de Tempore.
Aliaque nonnulla.

De illo hæc habet Paulus Cortesius: *A Marco Viterbiensi cùm multa præclara gesta ferantur, tum maximè ab eo est Lex certa negotiatoriæ vitæ præscripta, ex qua minùs in agendo soleat anima excitari morsus.*

De illo scribunt Panvinius in Vitis Pontiff. Aubery in Vita. Gaspar Jongelinus in Elogiis Cardin. Ord. Min. Scipio Ammirat. in Hist. Florent. Petrus Rodulphus in Histor. Seraph. Odericus Raynaldus in Annal. Eccles. Waddingus in Annal. Min. Aliique.

ANNO

ANNO 1362.

SEDENTE URBANO V. PONT. MAX.

De

PHILIPPO CAVALLICENSE S. R. E. CARDINALE.

LXIV. PHILIPPUS ex nobili, opulenta, ac præpotenti Cavallicensium familia Avenione in Gallia ortus patrem habuit Isuardum equestris ordinis virum, belli gloriâ inclytum, qui velut avitâ Majorum hæreditate Galliæ Regibus, & Andegavensibus Siculis strenuè ad usque mortem militavit. Philippus ex Episcopo Cabellicensi Patriarcha Hierosolymitanus ordinatus interfuit Synodo Avenionensi sub annum Domini 1338. celebratæ; & Innocentii VI. jussu in Germaniam proficiscitur Legatus ad Decimas colligendas pro redintegrando B.Petri Patrimonio, bellorum injuriis & exactionibus propemodùm emuncto.

Legatus in Germaniâ Decimas pro B.Petri Patrimonio colligit.

Ab Urbano V. Italiam invisente Rector Avenionensis constitutus, dum ea dignitate laudabiliter fungitur, inscius & absens inter Presbyteros Cardinales titulo SS: Marcellini & Petri primò; mox inter Episcopos Sabinenses cooptatus, leniendis suâ prudentiâ Ecclesiæ Romanæ calamitatibus mirificè profuit. Unde Franciscus Petrarcha ingenuè fatetur, Urbanum Pontificem in assumptione Philippi ad purpuram Ecclesiæ necessitatibus perquàm egregiè consuluisse. *Huc te extulit sors tua, & summa illius sancti Patris providentia* (sunt verba Petrarchæ ad ipsum Philippum) *qui te Prædecessoribus suis incognitum, & libenter latitantem, Ecclesiæ consulens, in apertum produxit. Labori quidem assertus & oneri; sed pius iste, magnusq; labor inter tot præsertim impios, præmio non carebit.*

Obtentâ purpurâ legatur in Italiam latante ob id Franc. Petrarchâ.

Gregorius XI. Urbani Successor initio sui Pontificatûs anno 1371. Philippum Cardinalem in Umbriam, Hetruriam, Campaniam, aliaque contermina loca Legatum mandavit, suumque iis in partibus circa temporalia Generalem Vicarium esse voluit. De qua legatione, (quæ Petrarchæ jucunda accidit) hæc apud eundem Petrarcham legimus: *Tuum, Philippe, ad has partes adventum latus audio, quem & tibi gloriosum, & Italiæ utilem & felicem spero: talis te innocentiæ & virtutis fama prævenit, omniumq; jam animos occupavit.*

Philippi operâ statuit Gregorius Pontifex in Waldenses Hæreticos, qui Allobrogum Provinciæ, & Delphinatûs fines inquietabant, Ecclesiastica tribunalia: ut eam pestem, quæ excisa sæpius iterum iterumque repullulabat, stirpitùs aboleret. Certior etiam factus Gregorius in Cretæ Insula Græcos nonnullos in Schismate obfirmatos ab Insula discedere, ut ab Episcopis Schismaticis, sacris ordinibus initiarentur, ac reversos vetus Schisma inter Certenses confirmare; quamvis jam antè à Duce ac Senatu Veneto cautum esset, nullum Schismaticum Episcopum in Insula versari permitendum; nec Græcis fas fore, ut à Schismaticis Sacerdotio initiarentur:

Waldensibus hæreticis & Græcis Schismaticis se se opponit.

rentur: submisso Philippo Cardinale Legato Andream Contarenum Venetorum Ducem ursit, ne tam præclaram legem obsolescere pateretur, suamque operam pro tuendo, servandoque inter Cretenses fidei nitore impenderet.

His aliisque legationibus Philipppus egregiè perfunctus, Perusii demum sexto Kalendas Septembris anno à partu virgineo 1372. mortalitatem exuit. Cadaver Avenionem delatum in Æde B. Mariæ Carthusianorum *de Bonò passu*, cum insigni inscriptione, Philippi gesta continente, terræ mandatum est. *Moritur Perusii.*

Philippus ante & post adeptam Purpuram, bonarum literarum studia adeò pertinaciter amavit, ut noctes sæpè integras, somni immemor, inter libros summâ animi voluptate Ruri suo ad Pontem Sorgiæ cum Francisco Petrarcha transigeret. Mensæ accumbens famulum Libros *de Solitaria vita*, quos illi Petrarcha inscripserat, legentem audiebat; doctorum Virorum colloquiis & sermocinationibus summopere oblectabatur, ut illa Petrarchæ verba innuunt: *Sileo quanta, quamq; honesta nobis esset ex alterno sermone delectatio: dum nil nisi de nostra salute, vel de litteris, atque illustrium rerum memoria loqueremur, terrasq; omnes, & omnia sæcula simul ante oculos haberemus, suprà quàm credi posset nostrâ sorte contenti, & rerum labentium contemptores præcipuis laudibus efferentes &c.* Commemorat deinde laudatus Petrarcha Philippi jam Cardinalis virtutes his verbis: *Non solùm hoc panniculo non superbis, sed nec qualibet purpura, aut corona, imò (nam funditùs te novi) factus humilior nulla te re alta, quàm solis auctum curis sentis.* *Litteris & Literatis addictissimus, dum vixit, extitit.* *Petrarchæ: de eo insigne testimonium.*

Philippo Cardinali petenti versus pios, conscriptos in ea spelunca, in qua D. Magdalena triginta & ampliùs annos divinis contemplationibus vacavit, Angelorum beneficia & societatem experta, misit Petrarcha, quorum primus est:

Dulcis amica Dei lacrymis inflectere nostris &c.

Scripsit Philippus ipse varia Opuscula pia, Poëmata præsertim, quorum Petrarcha meminit, & extare inter MM. SS. Apud Carthusianos Avenione dicuntur. *Ejus Scripta.*

Philippum nostrum tum Panvinius, tum Ciaconius, paucique alii illos secuti *Patham* cognominant, ridiculo sanè errore. Sed contrà illos est ipsius testamentum, & inscriptio sepulchralis, quibus cognomen tale illum non habuisse constat. Antiqui usi sunt abbreviatione ad explicandam Patriarchalem Philippi dignitatem, quare abbreviationem dignitatis pro cognomine illi usurpârunt. *Error Panvinii & Ciaconii.*

Meminêre ejus Panvin. in Vitis Pontiff. Aubery in Vita. Frizonius in Gall. Purpur. Raynald. in Annal. Ecclesiast. Waddingus in Annal. Min. Contelorius in Elencho Cardinal. Victorellus in addition. ad Ciacon. Ughellius in Italia sacr. tom. 1. & Alii.

ANNO 1362.

SEDENTE URBANO V. PONT. MAX.

De

SIMONE DE LANGHAN S.R.E. CARDINALE.

LXV.

SIMON de Langhan (quem nonnulli Germano cognominis vocabulo decepti, ortu Germanum existimârunt) natione fuit Anglus, Ordinis S. Benedicti, in celeberrimo Westmonasterienfi Cœnobio professus. Is ob raras virtutis & scientiæ dotes ejusdem Cœnobii primò Prior; deinde Abbas electus, Eduardo III. Angliæ Regi, à quo totius Ærarii Regii, Regiorumque reddit
tuum custodiam & quæsturam sibi demandatam habuit, intimus extitit. A Westmonasterienfi Cœnobio ad Episcopatum Londinensem translatus, ac interjecto unius anni spacio Infulâ Elienfi, & Cancellarii munere donatus (cùm majora in dies virtutis, sapientiæ, & fidei specimina ederet) Rege adnitente & Regno, Archiepiscopus Cantuarienfis salutatus est anno salutis 1366. Biennio pòst à Rege ad Urbanum V. Orator missus, negotiô ritè peractô, inter Purpuratos titulo S. Syxti adlegitur; dimissoque Cantuarienfi Archiepiscopatu, sedem deinceps Avenione figit, quò liberiùs suis in Ecclesiam studiis vacare posset.

Eduardo III. Angliæ Regi perquàm Charus.

Cardinalis creatus Angliam deserit.

Sublato postmodùm sub annum 1370. Urbano, cùm omnes Europæ gentes Pontificem bonum, Urbanoque similem eligi cuperent, Gregorio XI. Petro Bellfortio anteà dicto, viro virtutibus & genere clarissimo in Comitiis Avenione celebratis suffragatus est, à quo statim unà cum Joanne Dormano Presbytero Cardinale SS. Quatuor Coronatorum in Galliam & Angliam ad conciliandos illorum Regnorum Reges Legatus missus, licèt strenuam procurandæ paci operam impendisset, nihil tamen, quod ad concordiam spectaret, obtinuit. Causam infaustæ hujus expeditionis rejicit Auctor vitæ Gregorii XI. tum in Legatos; tum in Reges, hos induratæ nimiùm inimicitiæ, illos partialitatis insimulans: *Tandem*, inquit, *licèt diutiùs circà hoc negotium laboriosè & diligenter institerint, nihil tamen proficere potuerunt, tum quia inimicitia erant inter ipsos nimiùm indurata; tum etiam quia ipsi Cardinales videbantur partiales potiùs existere, quàm tractatores.* Itaque in cassum consumptis laboribus & tempore ad Pontificem remeârunt, quos ille, dilaudatis nihilominùs eorum studiis peternè complexus, *Quantùm in vobis erat*, inquiebat, *legatione pro Domino benè functi estis; quòd verò studia vestra minùs prosperè processerint, Regibus, non vobis vitio dandum, qui inexorabiles facti, ad salutaria monita obsurduerunt.*

Legatus in Angliam & Galliam missus, in cassum Regibus concordandis laborat.

Anno deinde 1373. idem Gregorius Simonem aliis legationibus destinatum & perfunctum, in præmium benè navatæ operæ Episcopis Prænestinis adlegit, cui dignitati cùm trienniô nondum exactô, summa integritate præfuisset, Avenione, subitâ tactus paralysi

Avenione moritur.

lysi

lysi die 22. Julij, salutis anno 1376. exspiravit, ibidem in Templo *Boni passûs* nuncupato, quod ipse vivens Carthusianis construxerat, sepultus cum hac Inscriptione.

HIC JACET DOMINUS SIMON LANGHAN DE ANGLIA, QUONDAM ARCHIEPISCOPUS CANTHUARIENSIS, ET REGNI CANCELLARIUS, S. R. E. PRÆNESTINUS EPISC. CARDINALIS, QUI ISTAM ECCLESIAM DE NOVO CONSTRUXIT, ET OBIIT XXII. JULII, AN. DOMINI M. CCC. LXXVI. ORATE PRO EO.

Ossa ejus trienniô pôst exhumata & ad Cœnobium Westmonasteriense (quod maximis beneficiis ac donis, dum viveret, cumulaverat) translata, honorifico sepulchro condita sunt. *Ejus cineres in Angliam transferuntur.*

Laudatur Simon ob eximiam in pauperes liberalitatem, aliaque memoranda legata, Ecclesiis ad pios usus destinata. Ad illum plures epistolas dedit S. Catharina Senensis, in quibus Typographi errore, Simon *de Luna* vocatur. A Scriptoribus Anglicanis edidisse perhibetur:

Quæ scripserit?

Tractatum de sacra & Prophana Oeconomia.
Registrum magnum de Redditibus Ærarii Regii.
Sermoœs sacros, & Epistolas.

Ejus mentionem faciunt Panvinius in Vitis Pontiff. Aubery in Vita. Thomas Walsingamus in Histor. Anglic. Jo. Pitseus de Scriptoribus Anglic. Contelorius in Elen. Card. Raynaldus in Annal. Ughellius tom.1. Italiæ sacræ. Victorellus in addit. ad Ciac. Morerius in Diction. Hist.

ANNO 1362.

SEDENTE URBANO V. PONTIF. MAXIM.

De

PETRO CORSINO
S.R.E. CARDINALE.

PETRUS Corsinus, perantiqua & nobili Corsinorum familia, Patre Thoma viro strenuo, Florentiæ natus, celebris Decretorum Doctor suo ævo extitit. Is ab Urbano V. sacri primùm Palatii Auditor Generalis declaratus, cùm Justitiæ lancem incorrupta manu teneret, ad Episcopatum Volaterranum provectus est. Posteà anno salutis 1363. in Germaniam Legatus missus, Carolum IV. Imp. Ludovicum Pannoniæ Regem, Rudolphum Austriæ Ducem, & Joannem Boëmiæ ac Moraviæ Marchionem, intestinis inter se bellis collisos, maximo Reipublicæ Christianæ bono, pacis fœdere conjunxit. Quare ab eodem Urbano, (instante maximè Petro de Albizis, Reipublicæ Florentinæ moderatore) ob egregiam in pacificandis Germaniæ Principibus locatam operam, Episcopatu Florentino donatus est, cùm priùs illum Carolus IV. eâdem de causâ sacri Romani Imperii Procerem ac Principem nominâsset, quam dignitatem successoribus quoque, intuitu Petri, con- LXVI.

Legatus in Germania Principes Christianos pacificat.

conceſſam, decretamque voluit: editô deſuper Diplomate Cæſareô: quod Ferdinandus Ughellius in ſua Italia ſacra tomo tertio, in ſerie Præſulum Florentinorum reſcriptum exhibet.

Anno verò ſalutis 1369. cùm Urbanus Pontifex, æſtivos urbis calores declinaturus, in montem Flaſconis, (uti vocant) ſeceſſiſſet; ibidemque octavo Idus Junij quartæ Cardinalium Creationi intendiſſet, ad repetitam Petri de Albizis inſtantiam, Petrum Corſinum Presbyteris S. R. E. Cardinalibus titulo S. Laurentii in Damaſo aggregavit. Urbano non multò pòſt (anno ſcilicet 1370. IV. Kal. Januarij) vitâ functo, interfuit novis Comitiis Avenione celebratis, in quibus pro Gregorio XI. pari doctrinæ & ſanctitatis laude conſpicuo, ſuffragium tulit. A quo, ſalutis anno 1374. Epiſcopus Portuenſis creatus, difficilem ſanè Legationem in univerſam Italiam ſuſcepit, vi cujus ſacras Religioſorum Familias utriuſque Sexûs, bellorum motibus, injuriis, & licentia militari multùm labefactatas, ad priſtinum pietatis & obſervantiæ ſplendorem revocaret; omniumque Eccleſiaſticorum deſcinctam, corruptamque vitam in ordinem redigeret; atque adeò ubique locorum jacentem penè Religionis ſanctimoniam erigeret: quòd ut faciliùs aſſequeretur producto in medium Gregorii Decreto, ejuſque tenore verbis rerum ſummæ accommodatis explicato, mandavit Archiepiſcopis, Epiſcopis, ſuffraganeis, Prælatis & Abbatibus concilia Provincialia, conventus & Synodos diœceſanas (quamprimùm commodè fieri poſſet) celebrare; depravatos lapſorum mores corrigere, abuſus tollere, vivendi licentiam coërcere, leges, pœnas, cenſuras, decreta, tempori ac ſtatui convenientia dictare & ſtatuere, ac pro Eccleſiaſtica libertate, juribuſque Eccleſiarum, ac Cœnobiorum ſe ſe ſtrenuè violatoribus opponere, vitamque ipſam (ſi ita neceſſitas exigeret) pro eorum defenſione profundere.

Legatus in Italia multa egregiè operatur.

Hôc ipſo ferè anno, qui fuit Chriſti ſeptuageſimus quartus ſupra milleſimum trecenteſimum (dum Petrus dicto legationis ſuæ muneri indefeſſo ſtudio intenderet) ad ſuperos evolavit B. Andreas Corſinus Epiſcopus Feſulanus, Petri Cardinalis propinquus, qui in ipſo juventutis flore ſacrum Carmelitarum Inſtitutum amplexus, admirandâ vitæ ſanctitate, in annum uſque ſeptuageſimum ætatis primum protractâ, orbi clarus illuxit. Cui Urbanus VIII. Anno ſalutis 1629. menſe Aprili ſacros cœleſtium civium honores ſolemni ritu decrevit.

B. Andreas Corſinus, Petri Cardinalis propinquus, ſanctitate illuſtris moritur.

Defuncto Gregorio XI. cùm in creando novo Pontifice Cardinales in partes abiiſſent, ex illis inter præcipuos unus extitit Petrus Corſinus, qui Urbano VI. (jam jam electo & promulgato) ejurato, cum cæteris factioſis, creando Clementi VII. Pſeudo-pontifici operam dedit, cujus fortunam Avenionem uſque ſecutus, ab Urbano VI. irarum pleno excommunicatus, & cardinalitia dignitate exſpoliatus eſt.

Schiſmati Clementino favet, & adhæret.

Deceſſit tandem in ſchiſmate, per Petrum de Luna continuato, non Florentiæ (ut ſcribit Michaël Poccıantius de Scriptoribus Florentinis) ſed ex Ciaconio & aliis, Avenione die 16. menſis Auguſti, anno à partu Virginis 1405. cùm priùs condito teſtamento, pro bono-

Avenione moritur & Florentiã transfertur.

bonorum medietate Philippum fratrem hæredem instituisset; alterius verò partis Moniales S. Caji de Florentia, cujus olim Cœnobij Thomas Pater Fundator extiterat. Demortui cadaver Avenione apud Patres Augustinianos, in nobili tumulo cum egregio elogio conditum, in pace quievit usque dum nonnullos post annos erutum, Florentiamque delatum (uti testamento caverat) in Ecclesia principe ejusdem urbis honorificè sepultum fuit: ubi ejus adhuc effigies ad vivum depicta, cum insculpta hac marmori memoria visitur:

D. O. M.

PETRO CORSINO, DECRETORUM DOCTORI, FLORENTIÆ EPISCOPO, ET CARDINALI AMPLISSIMO, OB FAMILIÆ NOBILITATEM, ET EXIMIAS ANIMI SUI DOTES, HÆC URBS OPTIME DE SE MERITO SEPULCRUM HOC POSUIT. OBIIT AVENIONE DIE XVI. AUGUSTI, ANNO DOMINI M. CCCC. V. CARDINALATUS SUI ANNO XXXVI. CUJUS ANIMA REQUIESCAT IN PACE. *Ejus Epitaphium.*

Cùm verò esset Petrus vir doctissimus, multa edidit tum sacra, tum prophana opera, inter quæ illud, quod de abolendo schismate, speciali methodo complexus est, maximè eminet, quo Ecclesiæ Principes exorat, ut Schisma trium Pontificum, se pro Christi Vicariis gerentium extirparent, atque efficerent, ut unus esset Pastor, & unum Ovile. *Scripta.*

Scripsit prætereà multos sermones sacros & prophanos.
Vitas aliquorum summorum Pontificum.
Explanationes in Decretales.

Dum vixit ex ingenti copia librorum, undecunque magnis sumptibus conquisitorum, celeberrimam Florentiæ Bibliothecam construxit. A Carolo quoque IV. Imperatore amplissimum Privilegium pro Florentina Academia obtinuit, quod ad rei memoriam in tertio Italiæ sacræ tomo diligenter exscripsit Ferdinandus Ughellius. *Urbem Florentinam insigni Bibliotheca, & ejusdem Academiam Cæsareo privilegio nobilitat.*

De eo agunt. Aubery in Vita. Michaël Pocciantius de Scriptoribus Florentinis. Scipio Ammirat. de Familiis Florentinis. Felix Contelorius in Elencho Cardinal. Nomenclator Cardinalium. Ughellius tom. 3. Ital. sacr.

ANNO 1370.

SEDENTE GREGORIO XI. PONTIF. MAXIMO.

De

BERTRANDO LANGERIO
S.R.E. CARDINALE.

BERTRANDUS Langerius, dictus de Figiaco (quod nomen est oppidi, à quo ortum duxit) natione Gallus, Alvernus, Ordinis Minorum Theologus insignis, vitæ probitate, literis, & virtutibus excellens. Is circà salutis annum 1347. à Clemente VI. (Waddingo & Ughellio testibus) Episcopus Adiacensis in Corsica renunciatus, illi populo non minùs pastorali sollicitu- LXVII.

citudine, quàm ordinatissimæ vitæ exemplo præfuit aliquandiu; exindè ab eodem Clemente VI. ad Ecclesiam Assisiatem translatus, solidis eam viginti annis prudentissimè rexit.

Variis dignitatibus, auctus, denique purpurâ & legatione Castellanâ ornatur.

Anno salutis 1368. ab Urbano hujus nominis V. ob doctrinæ præstantiam Avenionem ad Curiam Apostolicam vocatus, cum ibidem egregium volumen adversus hæreses sui temporis edidisset, Urbanoque inscripsisset, in vicem præmii donatus est Episcopatu Glandatensi. (Glandeva urbs est Galliæ ad Varum fluvium in Alpibus maritimis sub Archiepiscopatu Ebredunensi.) Huic identidem laudabili moderamine præsedit usque ad annum 1371. quo anno à Gregorio XI. Urbani Successore Presbyteris Cardinalibus titulo S. Priscæ aggregatus, in Hispania legationis munere functus est ad Joannem I. Castellæ Regem, ut eum ab armis, in vicinos jam jam paratis, ad pacem revocaret.

Clementino Schismati operam dat, eapropter ab Urbano VI. exauthoratus.

Georgio XI. sub annum 1378. è vivis sublato, interfuit turbulentis Comitiis, in quibus renunciatus est Romanus Pontifex Urbanus VI. à quo (obtento priùs Episcopatu Ostiensi, & Veliterano) paulò pòst cum cæteris ferè Cardinalibus deficiens, non absque ingratitudinis notâ, Fundis creando Clementi VII. Urbani æmulo, operam dedit; eique ad obitum usque (licèt ab Urbano diris devotus, & honoribus spoliatus) tenacissimè adhæsit.

Obitus ejus, & Scripta.

Excessit è vita Avenione senio confectus & mœrore ob amissas dignitates anno Christi 1392. die 16. Novembris (ut benè notat Contelorius ex Tabulis Vaticanis adversus Petrum Frizonium, ejus obitum ad annum 1396. prorogantem) sepultus Avenione in Ecclesia Minorum.

Scripsit duos insignes Tractatus,
De Schismate unum.
Contra Hæreses sui temporis alterum.
Sermones item de Tempore.

Malè à Rodulpho cum Bertrando Turriano confunditur.

Hunc Bertrandum Langerium cum altero Bertrando Turriaco, Minoritâ pariter & Cardinale confundit Petrus Rodulphus in Historia sua Seraphica. Nam & Turrianum cognominat Langerium; & hunc, cui verè Langerii cognomen inditum, Salernitanum scribit Archiepiscopum, qua dignitate functus est Bertrandus Turrianus, ut docet cum Ciaconio Oldoinus in Vita Bertrandi de Turre Cardinalis.

Ejus mentionem faciunt Panvinius in Vitis Pontiff. Aubery in Vita. Frizonius in Gall. purp. Petrus Rudolphus in historia Seraphica. Felix Contelorius in Elencho Cardinalium. Claudius Robertus in Gallia Christiana S. Antoninus Part. 3. titulo 94. cap. 10. Nomenclat. Cardin. & Alii.

ANNO 1370.

SEDENTE GREGORIO XI. PONT. MAX.

De

ROBERTO GEBENNENSI
S. R. E. CARDINALE.

ROBER-

LXVIII.

ROBERTUS Gebennensis, à Gebennensium Comitibus Amedéo III. patre; & Mathilde de Bolonia, filiâ Comitis Boloniæ & Arverniæ, matre genitus, quatuor fratrum natu-minimus, & tantæ stirpis postremus surculus fuit. Vir, si dotes animi spectes, prudentiæ singularis, alti ingenii, acerrimique judicii: litterarum insuper cognitione, linguarumque varietate usque adeò instructus, ut præter nativam Gallicam, & Italicam & Hispanicam & Germanicam absque offendiculo perfectè expediteque loqueretur; altero pede, ob nervorum restrictionem, parùm claudicans: quod vitium corporis nihilominus deambulando adeò scitè dissimulare noverat, ut nemini non rectè incedere videretur. Primùm Canonicus Parisiensis, & Protonotarius Apostolicus; deinde Morinensis Episcopus, posteà Præsul Cameracensis, ac demum S. R. E. Presbyter Cardinalis titulo SS. XII. Apostolorum à Gregorio XI. renunciatus, legationem in Italiam, unà cum Francisco Presbytero Cardinale S. Sabinæ contra perduelles Ecclesiæ eo fine suscepit, ut illos non modò oppositis armis, ab infestis excursionibus, ac invasionibus reprimeret; sed & malè usurpatis regionibus ac oppidis expelleret. Confecto feliciter hoc rerum negotio, eidem commissa provincia administrandi Flaminiam, Picenum, cæterasque Romanæ Ecclesiæ ditiones; præceptumque ut hostes qualescunque Pontificiæ Majestatis reos (nullo dignitatis aut statûs habito discrimine) armis, pœnis, censuris persequeretur; pacem verò poscentibus, aut ad concordiam & obsequium redire volentibus, gratiæ sinum explicaret, veniamque daret.

Variis animi dotibus, & Ecclesiæ honoribus insignitus, denique purpurâ illustratur.

Quo fine legatus fit in Italiam?

Quæ autem hac in legatione ab eo gesta sint, narrant fusiùs Anonymus scriptor vitæ Gregorii XI. apud Bosquetum, & S. Antoninus in historia Florentina: nimirùm pacem illum cum Bernabove & Vicecomitibus Mediolanensibus inivisse; Bononiam & Florentiam Romani Pontificis imperia detrectantes, variis artibus ad ad obsequium revocare frustrà tentâsse. Illum tamen in crimen vocat S. Antoninus, quòd permiserit, contra sacrorum Canonum statuta, tres Britones cum totidem Bononiensibus singulari certamine equestri pro rei summâ (quamquàm in cassùm) concurrere.

A S. Antonino ob nonnulla temerè gesta reprehenditur.

Igitur Robertus cùm Perduelles nec armis frangere, nec verbis demulcere potuisset, Cesenam se recepit, ubi licentiæ fræna militibus adeò laxavit, ut Cesenates atrocissimis injuriis à Britonibus sibi illatis lacessiti, factâ conspiratione, armisque correptis octingentos eorum unâ die obtruncârint. Robertus Legatus, etsi ea re graviter offensus esset, simulatò nihilominùs animi dolore, verborum lenociniis usus, civilem tumultum, qua potuit arte, compescuit: sed paulò pòst commissam in Britones crudelitatem ulturus, accitis Anglorum copiis, Cesenates, nullâ ætatis aut sexûs habitâ ratione, ferrô concidi permisit. Rem describit Sanctus Antoninus subjectis verbis: *Arcem tenebat munitissimam Cesenæ Gebennensis, qui veritus ne civitas ad hostes deficeret, indignationem dissimulabat, nihilque sinistrum de Cesenatium facto loquebatur, sed eos multa perpessos indignè, meritò simul, necessarioque, ajebat, arma corripuisse. Verùm ea deponere tandem, & ad*

Dolosè, & proditoriè cum Cesenatibus agit.

& ad sua pacificè redire suadebat. His verbis confisi Cesenates arma deposuêre. Accitis autem properè Anglorum copiis, & cum Britonibus conjunctis, per ipsam arcem eos contra populum inermem, deceptumq; immisit. Britones verò irati, cadem suorum ulcisci properantes, neque atati, neque sexui pepercerunt, miseram & innocuam multitudinem trucidantes crudelissimè. Angli autem cum eis magis insistebant prada civitatis & rapina: unde & Cesenates ipsos admonebant ad fugiendum è civitate; vix enim aliqui alii mortem evaserunt, nisi à civitate recedentes. Tanta fuit crudelitas Britonum, ut & lactentes de cunis, matrumq; uberibus abstraherent, capita eorum ad parietes contundentes, aliquos alios strangulantes, reliquos prafocantes, ipsos occisos alligantes ad ostia domorum. Strata plena erant cadaveribus & sanguinibus, juxtà patres reperiebantur filii interempti, secùs germanos fratres eorum, & cum uxoribus viri. Fædum ac lamentabile visu spectaculum! Numerus occisorum tria millia, secundùm aliquos quinque millia, fuisse dicitur. Dominus autem Galeottus Dux Exercitûs Ecclesiastici hac fieri impunè sinebat, quasi non curans, fortè sperans civitatem vacuam remanentem, ad suum dominium perventuram, sicuti reverà postmodùm accidit. Et ubi Britones hoc egerunt in vindictam, ut indè ab aliis civitatibus timerentur, citiusq; se eis traderent, ne talia paterentur, oppositum indè secutum est. Nam tanto horrori omnibus Italicis hoc fuit, ut magis animarentur ad repugnandum eis, nè aliquando devenirent ad manus tam immanium ferarum. Et si Legatus ad hoc illos induxit (uti dicitur) cùm tamen sub jurejurando promisisset Cesenatibus securitatem, ut deponerent arma, nedum Pralatum Ecclesiasticum, vices tenentem Jesu Christi, sed Herodem, & Neronem dedecuisset tam sæva, crudelis, & scelesta vindicta.

Britannorũ in Cesenates crudelitas.

Hucusque S. Antoninus, cui & reliqui Scriptores adstipulantur. Prælusit itaque immani hoc facinore Robertus Schismati, cui paulò pòst, vestem Christi dilaceraturus, id est, Ecclesiæ pacem perturbaturus (sedendo adversùs Urbanum VI. legitimum Pontificem) initium dedit, uti mox videbimus.

Turbulenta Urbani VI. electio: & prænuncia Schismatis futuri indicia.

Inter hæc Gregorio XI. sanctissimo & litteratissimo Pontifice Romæ die 27. Martii anno salutis 1378. in Vaticano circà secundam noctis horam piè vitâ functo: Eique funeralibus ex Majestate pontificiâ persolutis, Cardinales Romæ præsentes, numero sexdecim, quorum quatuor Itali, unus Hispanus, undecim Galli, conclave novum electuri Pontificem ingressi sunt. Quo tempore (extrà naturæ consuetudinem) horrificum fulmen in illud cecidisse, & duo illorum cubicula disjecisse narrat, qui tum vivebat, Continuator Gallicus Chronici Nangii. Ait enim horâ electionis Urbani VI. apparuisse quandam nubeculam nigram sereno aëre super Conclavi eligentium, ex qua subitò spargi cœptâ, tonitruum ac fulmen prodiisse, ac cubicula Roberti Gebennensis, & Petri de Luna Cardinalium (qui posteà in Schismate creati, Pseudo-Solium annis quinquaginta & ampliùs tenuêre) nec non & arma, seu claves armorum Ecclesiæ in juncturâ earum, & Insignia Gregorii tunc defuncti, in præsagium futuri Schismatis, percussisse, ac disjecisse. Die verò sequenti, quæ fuit octava Aprilis anni 1378. sub armati clamore Populi, *aut Romanum, aut Italum Pontificem* postulantis, (nescio, an vi? an timore? an libertate?) renunciatus est Romanus Pontifex Bartholomæus Prignanus, Archiepiscopus Barensis, Neapolitanus, egregius Juris

Doctor

Doctor, vir vitæ laudabilis, & Pontificatu (si non esset adeptus) dignissimus, qui dictus est Urbanus, hujus nominis Sextus.

Cùm verò ille vixdùm in throno pontificio collocatus, & confirmatus esset, ex ambitione quadam à se ipso mutatus, visus est statim omnem humanitatem atque prudentiam, qua priùs enituerat, exuisse. Illicò enim severè cœpit in suæ dignitatis authores animadvertere; incenso studio, sed intempestivo, eorum mores increpare; à donis ac muneribus accipiendis, à Simoniæ ambitu & labe, ut abstinerent, jubere; vitia corruptissimorum temporum tollere; ac mores depravatos emendare; aliaque id genus plura adjicere, quæ animos mitioribus Pontificibus assuefactos, atque Italorum moribus adversos in pœnitentiam à se creati Pontificis adduxêre. Faciliùs fortassè perditorum etiam hominum impetum prudentiâ fregisset, si temporum memor præsentibus obsecundasset; & meliora voto expetere, turbulentam & infirmam suam electionem diuturniori Cardinalium obsequiô stabilire, dulcique præludio ad graviora excipienda, mentes potentum allicere curâsset. At non tulit hoc elati animi, & infausti temporis conditio. Principes aliquot, eosque potentes & ad arma proclives, in ipsis statim Pontificatûs auspiciis offendit. Nam Ottonem Brunswicensem, Joannæ Siciliæ Reginæ virum, contempsit: Honoratum Cajetanum Fundorum Comitem, Campaniæ Præfecturâ spoliavit; pluresque alios principes viros immoderatô dominatu irritatos in se concitavit. Ita aliorum iræ Cardinalibus malè affectis, maleque cogitantibus opportunitatem præbuêre publicæ pacis turbandæ. Hi Româ æstûs cœlique gravitatis ergò Anagniam primò diversi, (at dissimulanter) mox Fundos, Urbem Cajetani comitis in ditione Joannæ Reginæ sitam, Cardinales galli, qui conspiraverant, omnes concesserunt, novo palàm deligendo Pontifici operam daturi. Callidè advocati Itali sub spe promissæ unicuique seorsim supremæ dignitatis: sed plenis comitiis, & concordibus suffragiis Itali & Galli Cardinales Robertum Gebennensem Cardinalem, virum summo loco natum, turbisque excitandis aptum, Pontificem ranunciârunt XIII. Kalendas Octobris ejusdem anni 1378. quatuor tantùm mensibus & undecim diebus elapsis ab electione Urbani, cui Clementis VII. nomen imposuêre.

Urbani VI. Pontif. prædura initia.

Principes & Cardinales ab eo alienati nova Electioni studeut.

Clemens VII. Antipapa eligitur.

Clemens igitur Antipontificatûs sui initio Fundis adhuc agens, extemplò quatuor Legatos creavit, Lemovicensem ad Francorum Regem; Agrifolium Juniorem ad Regem Boëmiæ, jam jam designatum Imperatorem; Pictaviensem ad Regem Angliæ; Petrum de Luna ad Reges Hispaniæ: qui eos de electione suâ edocerent, seque legitimum Pontificem, adversus Urbanum in turbis electum, demonstrarent; atque ab ipsis, ejuratô æmulô, obedientiam reciperent. Hispaniæ & Galliæ Reges à Legatis persuasi, Clementem facilè admisêre, eique cum gratulationis officiis, obedientiam præstitêre solemnem. Imperator, Hungarus, & Anglus, iis rejectis, Urbano tanquam legitimo adhæsêre.

Principes Christianos electionis suæ redditcertiores, eosq; ab Urbani obedientiâ abducere conatur.

Narrat hoc loco Niemus, & ex illo Ciaconius indignum planè, & plùs quàm barbarum Clementis Antipapæ facinus (si tamen

verè gestum fuit; nam suspecta meritò candidis Scriptoribus Niemi fides est.) Quòd cùm Wenceslaus Romanorum, & Ludovicus Hungarorum Reges, procurandæ in Ecclesia concordiæ causâ Legatos suos ad Clementem, ejusque asseclas Cardinales, dum adhuc Fundis essent, misissent; enixè petentes, ut abdicatô Schismate ad obedientiam Urbani, quem universæ Christianorum Reipublicæ nuper ut verum Pontificem exhibuissent, redirent. Clementem irâ percitum Legatos regios pessimè excepisse; eorumque nonnullos, quos nominat, Clericos existentes, veluti latrones equuleô torsisse; ac diutiùs carcere, ineditâ, tormentis maceratos, captivos detinuisse. Eapropter dictos Reges injuriam Legatis illatam, sibi factam interpretantes, non modò bellum in Clementem decrevisse; sed & eò magis in parte Urbani se se obsirmâsse; in qua etiam militantes Angli, Cardinalium (qui à Clemente steterant) Litteras contrà Urbanum ad se missas, magnô dedecore susceperunt: & in vicem responsi mera probra rescripserunt. Quorum summa hæc erat: *Cardinales, qui decusso legitimo & vero Christi Vicario Urbano, Idolum Satanæ Clementem in Ecclesiam Dei collocâssent, atque adeò publicam fidelium pacem, & concordiam (quam ipsi contra quoscunque inferni insultus, veluti firma fulcra & cardines fartam, tectam servare & sustentare deberent) turbare & pessumdare præsumpsissent, suo nomine indignos prorsùs esse, & abominabiles* &c. Hasce litteras pleno tenore invenies apud Walsingamum in Eduardo II. In summis verò Angliæ comitiis, eôdem tempore habitis, refert Harpsfeldius (qui Historiam ejusdem Regni Ecclesiasticam scripsit) Urbanum non modò comprobatum fuisse; sed & cautum, ut Cardinalium, & aliorum quorumcunque Anglorum Sacerdotia & dignitates, qui ad Clementem desciscerent, ad Regis usum devolverentur; utque ii, qui Diploma aliquot pontificium ab alio Romano Pontifice, quàm ab Urbano impetrarent, Regis & Regni hostes haberentur.

Legatos Germaniæ & Hungariæ Regum pessimè habet.

Anglorum fidelium litteræ ad Pseudo-cardinales.

Urbano tanquàm legitimo studènt.

Clementem intereà multi Prælati, Curiales, ac Officiales Galli & Hispani (rejecto & ejurato Urbano) sequuti sunt; ita ut ipse Urbanus pænè solus Romæ remaneret cum paucis Germanis, Anglis, Hungaris, & Boëmis, casu tum in curia existentibus. Qui se ita despectum, desertumque à Cardinalibus omnibus, & Curialibus cernens, tum demùm errorem suum, & intempestivam severitatem agnovit; & eos, qui superfuerant, peramanter & humaniter suscepit, variisque honoribus, & amplissimis redditibus ornavit. Ac ita ingens, dirum, execrabile, in quinquaginta continuos annos protractum Schisma in Ecclesia Dei excitatum est, quod innumerabilium malorum ac calamitatum causa fuit, toto orbe Christiano in duas factiones diviso. Urbano enim Italia omnis (præter Comitem Fundanum, & Præfectum de vico Viterbii Tyrannum) Germania, Boëmia, Anglia & Hungaria obedientiam & obsequium præstabant. Clementi verò Gallia universa & Hispania obsequebantur. Hinc infinita mala, bella, jurgia, errores, & hæresum monstra exorta: nam quod unus ligabat, alter solvebat, & vicissim quod alter solvebat, hic rursùm ligabat; mutuis intereà se invicem execrationibus devoventes, & diris anathematum fulminibus percutientes: fiebantque

Clementi adhærent Hispani & Galli.

Hinc dirum, & omnium longissimum nascitur Schisma innumerabilis malorum causa.

ex

ex utraque parte processus, privationes, anathemata, non sine maximo legum contemptu, Dei injuria, Ecclesiæ scandalo, fidelium detrimento, & hostium subsannatione. Una eademque Ecclesia, Abbatia, Paræcia & Sacerdotium duobus simul ab utroque Pontificum concedebantur; quarum possessiones, ut aquirerent denominati, litigantes armis concertabant. Unde hominum cædes, bella, rapinæ, discordiæ, lites, jurium confusiones, agrorum deprædationes & incendia sequebantur. Hinc notissimum illud inter Burgundiæ Ducem, & Leodienses enatum bellum, in quo collatis, hinc pro Urbano, illinc pro Clemente signis, triginta hominum millia cæsa fuisse traduntur.

Urbanus Clementem, ejusque asseclas & fautores Cardinales, Prælatos, Clericos, Laicos, Principes atque Reges, nullô personarum aut dignitatis habitô respectu, beneficiis, titulis, dignitatibus, juribus, regnis privatos, diris devôvit, atque anathematizavit. Clemens Urbani æmuli exemplum identidem secutus, pari fulmine & furore in eum & asseclas, (postquàm Avenionem devenit) debacchatus est.

Mutua Pontificum amborum in suos desertores fulmina.

Dum verò Clemens adhuc in Campania cum suis consisteret, Britones impulsu Cardinalium Gallorum, multis Ecclesiæ castellis, oppidis, ac pagis direptis, locisque munitioribus occupatis, Duce Bernardo de Sala in agrum Romanum effusi, Ponte Salario capto, Romanos sibi obvios partim obtruncant, partim in fugam agunt, ingentique edita strage, ac prædis onusti ad suos revertuntur. Romani, qui fugâ dilapsi superaerant, urbem ingressi, vindictæ cupidi, quum alios non haberent, in quos conceptum odium effunderent, miseros aliquot Curiales Gallos imbelles & inermes adoriuntur, eosque nullo ordinis, ætatis, aut dignitatis factô discrimine, partim in frustra concidunt, partim in carceres compingunt, direque macerant. Mulieres eorum, filias & ancillas, quas casus obvias dedit, constuprant, fœdeque habent. Horum certior factus Præfectus Arcis S. Angeli, qui Clementis nomine eam tutabatur, factâ eruptione, multas Romanis molestias tum ferrô, tum igne in ædes injectô, inferebat. Hæc intus.

Britones Gallorum impulsu Romanos infestant.

Romani Gallis talionem rependunt.

Bellum inter utramque factionem enatum.

Extra urbem Joannes & Raynaldus Ursini, fratres Jacobi Cardinalis, Honoratus Fundorum Comes, Angelus urbis Præfectus, & Jordanus Ursinus, Clementis assectæ, coactô exercitu, agrum Romanum ferro, rapinis, incendiis divexantes, usque ad urbis portas populando discurrunt. Atque ita Populus Romanus foris & intus crudelissimè habitus, fortunis ac jumentis spoliatus, duram temporum conditionem patiebatur.

Dùm hæc Romæ aguntur (annus erat salutis 1379.) Clemens rebus suis callidè prospiciens, Reginam Joannam Neapolitanam, certis quibusdam pactionibus ac donis illectam, eò induxit; ut ejurato Urbano, se Pontificem reciperet, ac veneraretur: ad quam eapropter consensis sex Triremibus Idibus Maij, magno Procerum Gallorum stipatus comitatu, Neapolim pervenit. Cùm verò eum multis honoribus in Megara exceptum, cum omnibus Regni Principibus tanquam legitimum Pontificem venerata fuisset; Populus

Clemens Antipapa Reginam Neapolitan. in suas partes trahit.

Tumultus Neapoli exoritur. Neapolitanus eâ re graviter offensus, impulsu Ludovici Guzuti magni nominis & auctoritatis viri, tumultu concitato palàm fremere; indignari, ædesque Archiepiscopales, Clementi destinatas, aggredi & expilare, totâque urbe hostiliter discursare cœpit, altùm vociferandô: *Urbanum, non Clementem, verum Christi Vicarium esse, illi, non huic obsequia Apostolica deberi.* Quo tumultu Antipapa peterritus, *Clemens fugatur.* collectis vasis, Avenionem navigaturus, Neapoli discessit. Et quum eo ipso tempore Britones & Vascones, qui tum Clementi militabant, propè vicum Mannæ in Latio, ab Urbani exercitu cæsi fugatique nunciarentur, Antipapa in tuto se esse minimè ratus, xi. Kalend. Junij instructam commeatu & milite triremium classem conscendens Massiliam navigavit; ubi à Provinciæ Præfecto, vicinisque Principibus & Prælatis honorificè susceptus, & veluti legitimus Christi Vicarius cultus, paucis interjectis diebus Avenionem maritimo itinere migravit.

Joanna Regina Urbano studet. Inter hæc Joanna Regina concitatum Populi Neapolitani furorem pertimescens, partes Urbani iterum amplexa, eundem totô Regnô uti legitimum promulgari fecit, in cujus argumentum (ne decipere videretur) nobilissimos aliquot viros Romam ad præstandam Urbano obedientiam submisit, eoque facto & Urbani iras callidè fregit, & populi furentis motus providè compescuit.

Urbanus Neapolim se confert, invitis Cardinalibus & Rege Carolo. Anno 1383. principio mensis Maij Urbanus ad evitandum pestilentiæ in urbe grassantis periculum primò Tibur; deinde Neapolim petiit, tum ut turbatum bellô Regnum stabiliret; tum ut promissos à Carolo III. Rege in sua inauguratione Nepoti suo Francisco Butillo Principatus Capuanum & Amalphitanum (quorum traditionem Carolus plus æquo differebat) vindicaret. Iter eò suscepit, quamvis à nonnullis Cardinalibus & Prælatis id ei maximè dissuaderetur: ipseque Carolus Rex ejus sibi adventum minimè gratum fore, non dissimulanter per literas doceret. Processit tamen, & post aliquas in itinere moras Aversam pervenit initio mensis Octobris. Ejus appropinquationem cùm audisset Carolus, qui tum in longè dissitis locis adversus Ludovicum Andegavensem occupatus detinebatur, abruptis negotiis advolans in occursum, præsentem habuit extra urbem Aversam. Solutis mutuæ salutationis officiis, Rex frænum equi, cui insidebat Pontifex, manu prehendens stratoris munere fructus est usque ad urbis introitum. Urbem ingressum Pontificem cùm vellet Rex in arcem peramplam & commodam hospitii causâ deducere, abnuit ille: veritus, quòd res erat, ne sibi deinceps non liberum foret indè egredi: sed ad ædes Episcopi sibi pro diversorio paratas concessit. Rebus sequenti die quietè procedentibus, nocte intempesta misit Carolus, qui eum in Arcem invitarent, *A Carolo Custodiæ mandatur in urbe Aversâ.* renuentem obsequi pertraherent. Ductus itaque invitus, & perducentes in casùm excommunicans, detentus est ibi quinque diebus; cunctis extrà ignorantibus, quid intus cum eo ageretur. Sunt qui scribant, illum ibi compulsum fuisse revocare conditiones omnes, quibus Regnum Neapolitanum Carolo concesserat. Posthæc libertate donatus, Neapolim concedens, à Carolo, qui præcesserat, superbè magis, quàm decenter exceptus est. Siquidem in throno eminenti,

nenti, ante portam civitatis sibi erecto, coronâ, aliisque insignibus regiis ornatus, inter circumfusos Proceres considens, non priùs se movit, quàm ad locum Pontifex ipse pervenisset: tum verò se erigens, paululumq; in occursum procedens, Pontificis in equo considentis pedes exosculatus est, & Pontifex vicissim ex equo frontem ejus. Nullo alio honore à Neapolitanis ei exhibito, prohibente Rege, ab eôdem tantùm deductus est per frænum equi in urbem. Qui cùm vellet ad Ædes Archiepiscopales divertere à Rege prohibitus, inque Castellum novum raptus, multis ibi diebus sub fideli custodiâ detentus fuit, haud tamen prohibitis, qui ad eum visitationis, aut negotiorum causâ accedere vellent. Demùm quorundam Procerum, ac urbis Magistratûs interventu, initâ inter eos concordiâ, Rex publicè præteritorum veniam deprecatus, promissa Francisco Butillo nepoti in causâ collati Regni facta adimplere spopondit; ac Pontificem in Ædes Archiepiscopales migrare; & à populo debitis honoribus recipi, colique permisit. Eo in loco constitutus, sæpiusque à Rege & Regina salutatus, suppresso ad tempus odio, pacem cum utroque simulavit.

Libertate donatus Neapolim migrat, ambitiosè magis, quàm decenter à Carolo exceptus.

Neapoli iterum custodiæ mandatur.

Liberatus odium dissimulat.

Pridie Nativitatis Domini anno 1383. in Ecclesiam principem cum Ecclesiasticis suis se conferens, primas ibi vesperas pontificali celebritate intonuit; Et Kalendis Januarii anni sequentis 1384. Missam in Ara maxima præsentibus Rege, Regina, Regnique Proceribus & populis, splendidissimo apparatu decantavit; atque inter ipsa missæ solemnia Ludovicum Andegavensem publico anathemate defixit, quòd instinctu Clementis Antipapæ Regnum Neapolitanum armato milite invasisset. In hunc sacram militiam indixit, reclusôque Ecclesiæ thesaurô, omnibus adversùs eum arma sumentibus cunctorum veniam peccatorùm indulsit; denominatô ad hanc expeditionem, Ecclesiæ Antesignano Carolo Rege Neapolitano, quem vexillô in hunc finem se à benedictô ex ritu pontificio donavit.

Rem divinâ solemni pompâ peragit, & Andegavensem excommunicat.

His peractis, dum sensim apud Carolum, hominem ambitiosum & fluxæ fidei, vilescere cœpisset; insidiasque sibi parari haud vanis indiciis animadvertisset: simulato hactenùs dolori & vindictæ fræna laxaturus, Neapoli Luceriam urbem pontificiam digressus est. Ibi convocato pro concione Clero, Magistratu, & populo, prolixâ oratione conjurationem à quibusdam Cardinalibus in se conceptam, vinctorumque confessione detectam (cujus præcipuus Architectus Bartholomæus dictus de media vacca Cardinalis Reatinus, de quo n. 77. plura dicturi sumus, prodebatur) aperuit, convocatis in culpam ipso etiam Carolo Rege & Regina, paulò antè ad tantam dignitatem à se evectis.

Neapoli Luceriam concedens, Regem, Reginam & complices eorum anathemate percutit.

Igitur erectâ cruce, & candelis accensis eosdem Regem & Reginam, Reatinum, sexque alios Cardinales Gallos, nec non Robertum seu Clementem Antipapam, ejusdemque Pseudocardinales, collusores, & asseclas, fidelium communione removit: Regem ac Reginam Regiis titulis ac Regno privatos exauctoravit, subditosque eorum fidelitatis sacramento exolvit: Cardinales & Prælatos, Clementis fautores, sacerdotiis ac dignitatibus spoliavit; urbem Neapolitanam Ecclesiastico interdicto supposuit; inq; horum omnium con-

contestationem & argumentum candelas ardentes, suo ore difflatas, & extinctas in terram projecit, projectasque irato pede, tanquam execratas, contrivit. Magnæ hinc turbæ: Siquidem Rex in furias (teste Niemo) actus, Prælatos omnes & Clericos, qui Neapoli partes Urbani fovere detecti sunt, comprehendi, carceribus includi; tormentis cruciari, eorumque aliquos in mare præcipites dari præcepit.

Rex in Urbani Asseclas furit.

Rebus itaque hoc modo inter Pontificem iracundum & Regem ingratum procedentibus, cùm ante latam in Regem excommunicationis & privationis sententiam præmisisset Pontifex trinam de more citationem, Rex ut faciliùs ei responderet (sicuti dicebat) collecto celeriter justo exercitu, cui Reatinum Cardinalem præfecerat, Luceriam arctâ obsidione cinxit. Illa admotis undique machinis diu pulsata, turribus dejectis, muroque perforato fœdè hians, cùm resistendo, arcendoque hosti impar esset, capta, direpta est: Arce, in qua Pontifex gravi penuriâ pressus detinebatur, intactâ relictâ. Qui interim armis usus pontificiis, ter singulis diebus è fenestra Arcis cum tintinabulo & candelis accensis, exercitui Caroli maledicebat. Unde moti Neapolitani cives Carolum de pace ineunda sollicitârunt, & eo annuente res tamen effectu caruit adversariorum improbitate, sperantium Urbanum, omni ope destitutum, brevi in manus suas perventurum; quem, si fortuna dedisset, deponere; aliumque in ejus locum sufficere constituerant. Verùm Urbanus suis & ipse rebus prospiciens (ut erat in adversis ingeniosus, animôque infractus) rogatis clam per subornatos nuncios Genuensibus, decem ab iis Triremes, quorum beneficio de nocte dilaberetur, pretio impetravit. His intento, atque effugia meditanti opportunè in auxilium veniunt Raymundus de Baucio, filius Comitis Nolani, & Thomas Sanseverinas, egregii belli duces factionis Andegavensis, qui collatis cum hoste signis, Reatinum ingenti editâ strage in fugam conjiciunt; atque adeò solutâ obsidione Pontificem in libertatem asserunt.

Luceriam capit, diripit, & incendit.

Urbanus Caroli exercitui maledicit

Profligato Carolo liberatur.

Urbanus sui juris factus, non absque magno labore & capitis periculo (utpotè discurrentium hostium insidiis expositus) terrestri itinere deducitur unà cum suis captivis Cardinalibus & Prælatis primò Beneventum; deinde Minorbium Apuliæ urbem. Demum inter Barletum ac Tranum à Triremibus Genuensium in auxilium submissis exceptus, post multa Siciliæ & Italiæ lecta littora, Genuam tandem appulit die 23. Septembris anni 1385. ubi multis adversantis fortunæ insultibus pulsatus, usque ad finem anni sequentis commoratus est.

Genuam elusis insidiis appellit.

In itinere autem è Luceria ad Triremes, quomodo in captivos Cardinales, & præsertim in Aquilanum Episcopum se gesserit, refert non absque horrore Theodorus Niemus his ferè verbis: *Dum Urbanus iter ageret, ad Portum Fluminarum semper secum abduxit captivos Cardinales, & Episcopum Aquilanum, & eos juxta se equo vehi; & quemlibet eorum per satellites, ne per viam evadere possent, diligenter fecerat custodiri. Sed quia prædictus Episcopus habuit equum parùm utilem atque invalidum, quo vehebatur, simulq; propter tormenta adhuc membris confractis exuerat,*

Ejus crudelitas in Episcopum Aquilanum.

titerat, ficq; tam citò equitare non poterat, ficuti Pontifex affectabat; hinc Papa credens ipsum Episcopum, ut evaderet, taliter in via tardare, furore fuccenfus, à carnificibus eum mactari mandavit. Hæc Niemus in Romanos Pontifices maledicus. Hujus tamen crudeliffimæ inhumanitatis neminem ex illius ævi Scriptoribus, præter unum illum, reperias, qui mentionem faciat: etfi à cæteris Urbani geftis,ut mox vifuri fumus, non multùm abludat.

Genuæ refidens Urbanus, cùm ab amicis captivorum Cardinalium tam venenô, quàm nocturnis armis non femel tentatus fuiffet, demum ab iis fe expedire deliberans, rejectis omnium, qui pro eis interpellatum venerant, precibus, quinque eorum vario mortis genere mactari juffit. Petrus Boninfegnius (qui per id tempus vixit & fcripfit) libro 4. Hiftoriæ Florentinæ, mortis eorum genus indigitans, quinque Cardinales Genuæ faccis inclufos, Urbani juffu, in mare demerfos; & quatuor alios infignes Prælatos partim fune, ferrô partim necatos, eorumque cadavera, ne honeftè fepeliri poffent, in ftabulo quodam humata fuiffe commemorat. Cæterùm Urbanus poftquàm ampliùs anno Genuæ moram traxiffet, cùm parùm inter ipfum & Antoniottum civitatis Ducem conveniffet, five quòd non debita ei reverentia exhiberetur à Genuenfibus; five quòd Amicis occiforum Cardinalium ac Prælatorum odiofus exifteret; five quòd ipfe fæpiùs ob immanem fævitiam infidiis peteretur; clàm indè folvens maritimo itinere, Lucam Hetruriæ urbem petiit ad finem anni 1386. Ubi novem menfium intervallo refedit, ibique nocte Natalis Domini divinis peractis, illius civitatis Magiftratum Enfe & Pileo, gemmis aurôque exornatis, ac de more benedictione confecratis donavit. Teftatum hoc faciunt Manufcripta Petri Tuccii Lucenfis Chronica, laudata à Carolo Cathario in Syllabo Advocatorum facri Confiftorii.

Vario mortis genere in Cardinales & Prælatos, Majeftatis reos animadvertit.

Genuâ Lucā fe proripit.

Antequàm Lucâ abiret, promulgavit crucem (tefte S. Antonino) adverfus Ottonem Brunfwicenfem, & Thomam Sanfeverinatem, qui Neapolim interim, juffu Clementis Antipapæ, occupaverant. In receffu verò fuo frænum equi, quo vehebatur, fractum, mitraque è capite ejus decuffa, proprii fonipedis ungulis contrita eft; quòd in malum, nec vanum omen, quotquot aderant, interpretati funt. Lucâ Perufium acceffit circa feftum S. Michaëlis, egreffus exindè, cùm vix decimo ab urbe lapide abeffet, cefpitante iterum equo, cui infidebat, corruens in terram variis corporis partibus læfus, vehiculô Tibur delatus eft. Ubi obvios habens Romanorum Legatos, acceffum Romam obnixè fuadentes; parùm tamen iis fidens, ultrà proceffit ufque Ferentinum Campaniæ oppidum. Defertus interim à ftipendiariis, eò quòd pecuniis deftitueretur, Romam coactus rediit, eoque pervenit ad principium menfis Octobris anni 1387. majori honore, quàm amore à Romanis exceptus.

Crucem in hoftes Schifmaticos promulgat.

Equo labitur & læditur.

Romam proficifcitur.

Sic igitur Ecclefiæ ftatu fub turbulento & afpero regimine Urbani (quem Otto Brunfwicenfis, fi non piè, certè non impropriè *Turbanum* loco *Urbani* nuncupare confueverat) laborante & vacillante, tandem anno à partu Virginis 1389. xvi. Kalend. Novembr.

nullo

Ibidem moritur non absque hausti veneni suspicione.

nullo bonis relicto sui desiderio; nullisque, nisi consanguineis, impresso dolore migravit è vita, annos natus septuaginta duos. Præter enim gravissimum & diuturnum Schisma, ab ejus imprudentia & feritate ortum, etiam suæ obedientiæ Principes nonnullos bello vexavit. Cardinales plurimos sibi reddidit invisos: & ut contra eos, tanquam hostes, se se defenderet, Ecclesiam, cujus amplificationi & incremento studere debuerat, exhaustis thesauris, depauperavit. Sedit, si sedisse dicatur, qui nullibi quietè commoratus, sedes multas mutare coactus est, annos undecim, menses sex, dies septem. Mortuus traditur ab Onuphrio, nullô receptô Ecclesiæ sacramentô, venenô, uti proditur, per insidias à Clementis fautoribus propinatô, extinctus. Id quod ex tumore corporis, post obitum apparente, (teste S. Antonino) collectum est. Sepulchrum habuit in Vaticano per quàm honestum; columnis, statuis, & symbolis affabrè factum, quod æri incisum exhibet in vita ejusdem Augustinus Oldoinus.

Eum Clemens cum asseclis diris devovet.

Anno 1389. quo, ut diximus, Urbanus vitâ functus est, Clemens VII. Antipapa Avenione agens, nondum intellecto ejus obitu, diros processus & anathemata adversus eum promulgavit, vocans eum *Antichristum, Idolum, Pseudopapam, summi Sacerdotii usurpatorem, & Ecclesiæ perturbatorem; jure divino, humanoq; depositum, damnatum, & damnandum.* Similibus diris & execrationibus, censuris ac pœnis mulctavit omnes ejus asseclas, fautores, adjutores, consiliarios, adhærentes, & opem quocunque modo præstantes. Et quum esset ipse

Clemens prodigus, & decoctor audit.

nobilium & procerum studiosus, ærisque indigens, oppida iis, castella, facultates Ecclesiarum, ac Monasteriorum, nullo tactus pudore aut conscientiâ, partim vænùm exposuit; partim pignori obligavit, annuoque censu modico imposito, beneficiario jure in perpetuum distracta concessit. Merito propterea ab optimæ notæ Scriptoribus *Homo prodigus, ambitiosus, decoctor, semper indigens, Patrimonii Ecclesiastici dilapidator appellatus.*

Eum Carolus Galliæ Rex cum Ludovico Andegavensi convenit.

Anno eodem, III. Kalend. Novembris, morte Urbani denunciatâ, Carolus VI. cognomento *Beneamatus*, Francorum Rex Avenionem ad Pseudopapam salutandum accessit, ducens secum Ludovicum patruum suum, Joannis Francorum quondam Regis filium, ut Diadema regium ab eo acciperet. Eum enim Joanna Senior Siciliæ Regina, cum improlis esset, filium adoptaverat, & Comitatûs Provinciæ, Regnique Siciliæ hæredem creârat. Erant cum Regibus Dux Turenæ frater Regis Francorum; Dux Borbonius frater Regis Navarræ, & omnes ferè Galliæ Principes cum octo millibus equitum. Quibus Cardinales omnes, qui tum Avenione præsentes erant, splendido cum comitatu, honoris ac obsequii causâ, jussu Clementis, usque Rocamaulam obviàm processêre. Pontifex adventantes in Consistorio publico, thronô sublimatus, operiens, incredibili pompâ & honore suscepit. Rex Francorum Antipapæ pedes, manum, & os osculatus ab ejus latere dextero sedit. Reliqui principum, Ducum, ac Procerum, exhibito pariter cultu, subsellia quisque sua ex ordine & dignitate occupârunt. Expositis rerum, quarum de causa advenerant, momentis; solutisque mutuis colloquiis, Kalendis

No-

Ludovicus Dux Andegavensis, Rex Siciliæ ab Antipapa renunciatus coronatur.

Novembris ad Sacra itum est. Clementi divinis operaturo Rex aquam affudit, qui inter Missarum solemnia infulâ miri pretii decorus, ante aram maximam in edito sedens, Ludovicum Regis patruum, Andegavensium Ducem, ad se vocatum & geniculantem impositâ capiti ejus coronâ, in Regem Siciliæ unxit: susceptoque ab eo fidelitatis & clientelæ sacramento, magnâ cæremoniarum pompâ, inter festos populi applausus, elatâ voce ei prospera precatus, Regem dixit & promulgavit. Huic celebritati totius Galliæ Principes, Proceres, Nobiles, Magistratus, & Ordines interfuisse proditum est.

Cæsar, Angliæ, & Hungariæ Reges tollendo Schismati incumbunt.

Inter hæc Cæsar, Angliæ, & Hungariæ Reges, dirum pestiferi Schismatis virus, in dies acriùs sedpere videntes, fovente illud maximè Carolo VI. Francorum Rege, ut tot malis indè nascentibus, occurrerent; ipsumque Schisma, extincto præsertim Urbano, stirpitùs evellerent, ac suffocarent, nobilissimam legationem ad Carolum mittunt, suadentes ne in majora universalis Ecclesiæ detrimenta cum Clemente, quem illegitimè in sanctam Sedem intrusum sciret, colluderet; sed eo ejurato, abrogatoque parti æquiori, atque adeò publicæ fidelium tranquillitati Rex Christianissimus studeret, consuleretque. Carolus æquissimas Legatorum causas agnoscens, eorumque rationibus multùm deferens, se tam arduum negotium cum Academia Parisiensi tractaturum ac transacturum respondit; Legatos interim aulicis verbis delinitos, ac muneribus affectos dimittens.

Academia Parisiensis studet extinctioni Schismatis, tres vias, quibus unio commodè fieri possit, proponit.

Academia itaque Parisiensis zelo extinguendi Schismatis ducta, post solemnem eâ de re factam, jussu Regis, Prælatorum ac Theologorum consultationem, qua vel invito Clemente pro abolitione Schismatis judicatum est, tres vias, quibus unio pacis facilè coiri posset, proposuit: nempe cessionis & renunciationis plenariæ utriusque contendentis (erant autem contendentes Bonifacius IX. Urbani Successor, & Clemens VII.) vel compromissionis mutuæ in aliquos deligendos: vel determinationis Concilii generalis. Decretô factô, ut hæ viæ in forma Epistolæ Regi offerrentur, epistolam de iis confectam satis prolixam, seu libellum, aut suasionem dixeris, eidem Regi obtulerunt die ultima Junii anno nostræ salutis 1394. Læto licèt vultu litteras illas legisset Rex, arte tamen Petri de Luna Cardinalis (qui posteà Clementi in Antipapatu succedens, Ecclesiæ scissuram diutissimè continuavit) & Joannis Ducis Bituricensis, aliorumque malevolorum machinationibus factum est, ut cùm ad certum diem, qui rei gerendæ ab Universitate præfecti erant, advenissent responsum accepturi, Cancellarius Regni nomine Regis interdixerit, ne amplius eâ de re ageretur, ac ne litteræ aliunde scriptæ de his, nisi priùs oblatæ Regi, reciperentur. Academiæ Nuncii ad tam inexspectatum responsum aliquantulùm perplexi, & hæsitantes, reassumptis denique animis Cancellario liberè significârunt: statuisse Universitatem cessationem à lectionibus, prædicationibus, aliisque omnibus studiorum actibus, donec justis eorum petitionibus satisfieret.

Petrus de Luna cum Duce Bituricensi obsistit.

Academiæ Nuncii in proposito persistunt.

Eandem supplicationem, quam Regi obtulerat Academia,

etiam ad Clementem per Nuncios Avenionem misit; hortans eum, ne aliquam propositarum Regi viarum unionis amplecti gravaretur. Et expostulavit graviter, quòd sibi in his silentium à Rege imponi petitum fuisset per virum Ecclesiasticum (Petrum nempe de Luna) qui potiùs, si vir quidem tranquillitatis esset, sanctum eorum studium extollere, proque viribus provehere debuisset. Fusè demùm tanquàm atrox facinus exaggerat, quòd super Religionis & Fidei materiâ, super Ecclesiæ dissipatione ac damnabili jacturâ Doctoribus Ecclesiæ, & Lucernæ ardenti silentium imponi quæsierit, quòd si quis verbis dumtaxat pertinaciter diceret, hæreticus censeri deberet. Denique per omnia sacra, per honorem Dei, animæque ipsius salutem hortatur & obtestatur; ut ad concordiam, quæ in manu ejus sita esset, intenderet. Satis jam cessatum esse, animos denique ad hujus rei aggressum excitandos, nisi Schisma perpetuum, cum innumerabilium dispendio salutis in Ecclesia Dei fovere & alere proponeret. Cùm jam eò impietatis deventum esset, & in tantum errorem res processissent, ut plerique passim & publicè dicere non vererentur, haud omninò curandum esse, quot Papæ essent; & non solùm duos, aut tres, sed decem, eoque amplius, imò singulis Regnis singulos præfici posse, nullâ sibi invicem potestatis, aut jurisdictionis auctoritate prælatos.

Frustrà Clementem ad unionem perducere conatur.

Lectis his litteris Clemens suprà modum excandescens, contemptis Universitatis Nunciis, nec in conspectum admissis, & denegatô responsô, hoc solùm per aulicos reposuisse fertur: *Litteras esse malas, audaces, & venenosas: nullo uti fundamento nixas sic nulla responsione dignas.* Quòd cùm per Nuncios ad aures Universitatis pervenisset, rescribens illa continuò liberiùs ad eum: sperare se, ait, siquidè falsa foret relatio prædictorum ejus verborum, ipsum id demonstraturũ gratâ aliquâ responsione pro pace Ecclesiæ voluntariâ: sin' vera, supra modum mirari se, ac dolere, quòd tam indignum facinus patrio excidisset ore.

Accidit verò, ut antequàm secunda hæc epistola ab Academia Parisiensi exarata ad illum perveniret, diem ille supremum obiret. Cùm enim Cardinales, qui tum Avenione cum eo erant, acceptis singuli privatis ab Universitate literis, seorsim inter se congregati petitionem Universitatis, *de una ex tribus propositis unionis viis assumendâ*, laudâssent; atque etiam in opus ipsum, nullâ interveniente morâ, redigere statuissent: Clemens majori atque anteà iracundiâ & anxietate correptus, levi primùm, & ut videbatur dissimulandâ infirmitate tentari cœpit. Morbus verò ex concepta animi tristitia atque mœrore amittendi Pontificatûs, sensim ita est auctus, ut is (vindicante procul dubio Deo) subitâ percessus apoplexiâ, nulloque firmatus Ecclesiæ sacramento, die 16. Octobris anno redempti orbis 1394. ætatis suæ quinquagesimo secundo Avenione in palatio interierit: postquàm prætensam dignitatem, seu potiùs malè usurpatam sedem retinuisset annos sexdecim, minùs duobus diebus. Sepultus in Ecclesia Cœlestinorum ad pontem Sorgiæ, ut cum Ciaconio Waddingus affirmat: Ex Henrico verò Spondano in Ecclesia Cathedrali B. Mariæ de donis. Trecenta aureorum millia cum prædiviti aureâ & argenteâ suppellectili post se reliquisse scribunt Ju-

Cardinales inclinant ad funditùs evellendum Schisma.

Clemens apoplexiâ tactus moritur Avenione.

venalis, & Monachus, quæ cesserunt Cameræ papali in usum Successoris.

In Clemente defecit penitùs proles masculina antiquissimæ domûs Gebennensis: cùm mortuo ante triennium Petro Comite fratre unico absque liberis, Clemens tam jure propinquitatis, quàm ex substitutione paternâ Comitatum adeptus fuisset. Post cujus obitum eum suscepit Imbertus de Villariis, nepos ejus ex sorore. *Ultimus Familiæ Gebennensis.*

Scripsit Clemens ante adeptum Pseudopontificatum varias lucubrationes, ex quibus inter vetera MM. SS. Avenionensia & Tolosana superesse dicuntur:

Poëmata sacra & prophana.
Libellus de Meteoris.
Sermones aliquot de Sanctis.
Epistolæ variæ ad varios. *Ejus Scripta.*

Dubitabatur olim, num Urbanus Clementi, an Clemens Urbano præferendus, atque adeò pro legitimo Pontifice habendus esset? Ab Urbano contra Clementem stêtere Italiæ, Germaniæ, Angliæ, Hiberniæ, Boëmiæ, Hungariæ Populi, Belgæ quoque, Britanni & Lusitani. Eidem etiam, mutatâ demùm sententiâ, adhæserunt Aragones & Catalani. Clementem sequuti sunt Galli dumtaxat, qui statim confœderatos Scotos, mox Navarræos, deinde Hispanos legationibus multis in suam sententiam pertraxerunt. *Quis utri præferendus dubitabatur olim.*

Refert Augustinus Oldoinus S. J. in additionibus ad Ciaconium, triginta duo justa Volumina hujusce Schismatis asservari in Archivo Vaticano, in quibus omnia congesta reperiantur, quæ pro utraque parte acta vel scripta sunt. Habentur ibi doctorum virorum tractatus varii, Urbanum verum Pontificem probantes: Extant & Catharinæ Senensis sanctissimæ Virginis Epistolæ ad Carolum IV. Imperatorem, ut illum legitimè electum crederet, ac veneraretur, directæ. Ejusdem aliæ ad Italicos Cardinales, qui ab Urbano desciverant, adhortoriæ, ut ejurato Clemente, ad sanam mentem, verumque Pastorem Urbanum redirent. Nonnullæ ad Urbanum ipsum, quibus illum hortatur ad Ecclesiam Romanam novis, iisque optimis Cardinalibus muniendam, qui essent velùti columnæ firmissimæ, & ad omnem Satanæ impetum inconcussæ. Octo ejusmodi litteras ad Urbanum ab eâ datas, typisque posteà vulgatas enumerat Andreas Victorellus, ex quarum lectione pius Lector non mediocrem sacræ voluptatis fructum hauriet. Catharina altera, Sueca natione, sanctitatis & ipsa gloriâ celebris, virgo & vidua, S. Brigittæ filia, eundem Urbanum Romanæ Ecclesiæ Præsidem, universique Dominici gregis legitimum Pastorem venerata est. Fr. Petrus Aragonius Infans, Ordinis Minorum Alumnus, vir regiâ nobilitate non minùs, quàm sanctitate, & revelationum donô illustris Urbanum verum Pontificem pronunciabat. Baldus peritissimus Juris Civilis ac Pontificii interpres, super hâc ipsâ re consultus respondit: *Urbanum sibi (nullô dubitationi relictô locô) videri verum Pontificem, proq; tali tenendum.* Joannes quoque Lignanus, celeberrimus & ipse Juris Doctor, Urbani causam solidissimis argumentis propugnavit. Horum omnium suffragio, non minùs à sanctitate, quàm à solida doctrina *Argumenta pro Urbano legitimo Pontifice.*

commendabilium, quis nisi temerarius, audax, & reprobus refragari ausit?

Adversariorum objecta refelluntur.

Nihilominus contra Urbanum pro Clemente pugnare videntur Laizardus Cœlestinus, illius ævi Scriptor in Epitome Historiæ Universalis: Theodorus item Niemus, aliique perpauci Scriptores Galli, qui Clementis magis, quàm veritatis amantes, uno quasi ore vociferantur: Cardinales ad eligendum Urbanum perstrepentibus armis, & minis Populi Romani clamantis *aut Romanum, aut Italum*, nullâ habitâ libertate, compulsos fuisse. At hi facillimè erroris arguuntur: si enim Cardinales inviti, utpote terroribus coacti, illum elegissent, cur jam Româ egressi, ad urbem suâ sponte redierunt? Sacræque Majestatis ejus coronationi & inaugurationi consentientes interfuerunt? cur Regibus, & Purpuratis Patribus tum absentibus, litteras hasce publicas de liberâ Urbani electione scripserunt? *Quapropter die videlicet septimâ Aprilis anno salutis 1378. primitùs gratiâ S. Spiritus invocatâ, conclave Romæ ingressi sumus, de electione & substitutione Romani Pontificis tractaturi, sequentiq; die Luciferi nescientis occasum, ut piè credimus, radiis illustrati, circà illam diei horam, qua Spiritus ille Paraclytus in sanctorum Discipulorum corda descendit, ad Personam Reverendi in Christo Patris, Domini Bartholomæi Archiepiscopi Barensis, viri utique magnorum meritorum claritate conspicui, & multiplicium virtutum lampade refulgentis, liberè & unanimiter* (notanda sunt hæc verba) *direximus vota nostra, eum ad celsitudinis Apostolicæ speculam concorditer evocantes; & hanc nostram evocationem, seu electionem in conspectu maximæ, variæ plebis, multitudinis nunciantes. Caterùm die nona Aprilis idem Dominus à nobis sic electus, coram turba fidelium copiosa super thronum dignitatis Apostolicæ sublimatus sibi Urbani VI. nomen assumpsit; ac die sacrâ, quâ Christus Jesus, summus Pontifex vitam nostram resurgendo reparavit (sicut in Romana Ecclesia consuetudinis est) in Basilica Principis Apostolorum de Urbe, cùm ingenti tripudio, & lætitia innumerabilis populi Christiani, pontificali regno magnificè & solemniter extitit coronatus. Datum Romæ die xix. dicti mensis Aprilis, sub sigillis nostris &c.* Atque has ipsas litteras scripserunt, & ad absentes Cardinales dederunt ii Cardinales, qui coacti Urbanum elegisse dicuntur. Judicet jam æquus lector ex ipsis eorum verbis, an qui talia de se scripserunt, jure ad electionem coacti credi possint, aut debeant?

Litera Cardinalium Urbani electionem liberam fuisse declarant.

Dæmon exorcismis adactus, Urbanū legitimum Pontif. fatetur.

Pro Urbani denique legitimatione (ut huic obiter ingestæ finem digressioni imponam) facit & illud, quod Joannes Chapevillus de gestis Pontificum Leodiensium, apud Leodium in Gallia Belgica anno humanæ redemptionis 1380. in plurium præsentiâ accidisse commemorat: nimirùm, quòd cùm Parochus dicti loci sacram hostiam inter Missarum solemnia de more elevaret, cœpisse præter consuetudinem æditùum vultum ab hostia cum ingenti fremitu avertere: unde Parochus in suspicionem ejus, quod erat, adductus, sacris peractis, confestim illum exorcizat, & inter alia dæmonem conjurationibus pressum adigit, ut non Clementem, sed Urbanum legitimum Pontificem esse profiteretur. *Nam & ego, inquiebat dæmon, cum aliis auctor fui, ut Cardinales ab Urbano segregati, alterum, qui se modò Clementem nominat, in Ecclesia detrimentum eligerent.* Hæc Chapevillus:

villus: quamquàm in re notissima non indigeamus testimonio patris mendaciorum.

Roberti Gebennensis ultrà jam citatos mentionem faciunt Petrus Frizonius in Gall. purp. Claudius Robertus in Gallia Christiana. Aubery in Vita. Panvinius de Rom. Pont. Cotelerius in Elencho Cardin. Raynaldus & Henricus Spondanus in Annal. Ecclesiast. Victorellus in addit. ad Ciaconium. Ludovicus Morerius in Dictionario Magno Historico multiq; alii.

ANNO 1370.

SEDENTE GREGORIO XI. PONT. MAX.

De

SIMONE BORSANO S.R.E. CARDINALE.

SIMON Borsanus, natione Italus, patriâ Mediolanensis, vir magnæ litteraturæ, & conversationis probatissimæ, Juris utriusque Interpres egregius, anno Christi 1370. à Gregorio XI. Pontifice Max. post obitum Guillelmi Pustrellæ Archiepiscopus Mediolanensis; mox anno 1375. Presbyter Cardinalis SS. Joannis & Pauli titulò Pammachii renunciatus est. LXIX. *Cardinalis renunciatur.*

Joannes de Deis de Successoribus S. Barnabæ Apostoli in Ecclesia Mediolanensi tractans, scribit Simonem Borsanum non à Gregorio XI. sed ab Urbano V. Presbyteris Cardinalibus adscriptum, deinde à Gregorio infulâ Mediolanensi donatum. Sed contra illum est Anonymus author vitæ Gregorii, Scriptor illius ævi accuratus & diligens, qui dum Cardinales à Gregorio sub annum 1375. creatos nominatim recenset, de Borsano hæc subjungit: *Gregorius Papa XI. creavit Cardinales novem, videlicet octo Presbyteros, & unum Diaconum. Presbyteri fuerunt* (hìc enumerat septem, quemlibet suo nomine, deinde pergit) *Dominus Simon Borsanus, Italus, tunc Archiepiscopus Mediolanensis, Referendarius ipsius Domini Papæ &c.* Archiepiscopatum tenuit annos sex, menses totidem: occupationibus tamen variis in causa Ecclesiæ Romanæ distentus, ad concreditum sibi gregem non accessit. *Error Joannis de Deis circa Cardinalatum Borsani.*

Ante adeptam purpuram, nempe anno salutis 1371. à Gregorio provinciam accepit examinandi Fr. Petrum Bonagetam Ordin. Minorum, gravissimos errores contra sacram Synaxim in Aragonia disseminantem: quem impietatis & manifestæ hæresis convictum, Petro Cardinali Flandrino, Judici earum controversiarum constituto, damnandum tradidit. Cùm verò altero ab hinc anno in Germania plurimi Beguardorum & Fraticellorum, à Joanne Wiclefo recèns exorto Ecclesiasticam potestatem contemnere docti, pullularent; jamque Magdeburgensium & Bremensium provinciis infectis, partes Rhenanas, Hollandiæ & Brabantiæ irrupissent, universâque Pomeraniâ peragratâ, Stetinenses tentâssent: monuit Pontifex Imperatorem & principes Germaniæ per Simonem Borsanum Legatum *Errores Petri Bonagetæ examinat.* *In causa Beguardorum Legatus in Germaniam mittitur.*

 tum

tum Apostolicum, ut ad extirpationem hæresum, ejus criminis Inquisitoribus auxilium & opem ferrent. Pro officio egit tunc Imperator Carolus, hujus nominis IV. cùm ad instantiam Legati diverticula hæreticorum dirui imperâsset; & constitutionem hac in re contra clancularios errones sanxisset. Eam Gregorius Pontifex pro suo in Ecclesiam zelo approbavit, & Inquisitoribus hæreticæ pravitatis districtè mandavit, ut & contra suspectos criminis, censuris & pœnis animadverterent; & concionum quarundam hæreticarum libros vulgari idiomate conscriptos & publicatos ignibus exurerent: cùm etiam idem ipse Pontifex die cœnæ Dominicæ adversus eos anathema pronunciâsset.

Turelupinos hæreticos persequitur.

Quoniam verò ex Gallia vicina in Allobroges eadem pessima fæx hominum, qui se Turelupinos dicebant, derivabat: Amedeo Comiti Sabaudiæ, ut eos flammis ultricibus persequeretur, & inquisitoribus adsisteret, per Borsanum injunxit. Hinc Factum est, ut hæc Secta ferina & agrestis damnata, ignibusque addicta, penitùs erasa sit hoc ipso anno, tum propter errores Beguardorum, quibus adhærebat, tum propter istos duos superjunctos. Primò: *Nihil pudere quemquam debere eorum, quæ à natura accepimus.* Sic persuasi, pudenda sine tegumento ostentabant, ac turpiter propalam coibant, Cynicorum instar Philosophorum, vel canino potiùs, aut aliarum belluarum more. Secundò: *Voce non esse orandum, sed solo corde, eáq; spiritûs libertate, qua divinis legibus subjecta non sit.* Non dissimili Calvinianâ libertate, quæ primam Christianæ libertatis in eo sitam esse ponit, ut conscientiæ, dum fiducia suæ coram Deo justificationis quærenda est, se se supra legem erigant, totamque legis justitiam obliviscantur, ut Jacobus Gualterius Soc. Jesu in Tab. Chronographica scribit. Ex istis hæreticis quamplures in Galliis jubente Pontifice comprehensi, cùm resipiscere nollent, ignibus cremati sunt.

Eorum doctrina pudenda.

Sparguntur in Hispania Lulli errores.

Neque etiam deerant in Hispaniis, qui phanaticos Raymundi errores (illius nempe, quem Lullum Catalani appellant) ab orco evocarent. Mariana celebris Author Hispanus *libro 15. capite 4 de rebus Hispanicis*, scribit hominem multâ sanctitatis, doctrinæque famâ inclytum. Narrat porrò hæc reliqua, quæ adjungere visum, propter curiosos. *Raymundus*, inquit, *gente Catalanus, in Baleari majore natus: juvenis mercaturam exercuit spe quæstûs, majorum vestigia domesticamq; laudem in eo secutus. Cum ætate, rerum humanarum tædio in solitudinem abscessit, congressu hominum vitato. Quo tempore artem conscripsit, qua novis tramitibus compendio in artium ingenuarum, Philosophiæ atque adeò divinarum rerum cognitionem inducit: magnâ hominum admiratione, cùm literarum omninò expers, ut ne Latinè quidem sciret, sermone patrio, viginti amplius voluminibus justi ponderis evulgatis, ea de rebus tum divinis, tum humanis tradat, quæ vix, ac ne vix quidem expoliti doctrinâ homines assequantur legendo; ut præstigia oculorum, & ludibria potiùs artium, quàm vera artes quibusdam videantur. Ipse ea se divinitus accepisse confirmat in monte, objectâ Christi Dei specie, quasi cruci affixi. Eo haud dubie meritus laudem, quod studio Religionis in Africa propaganda Bugiam in orâ Mauritania delatus cùm operi insistens, monendi castigandiq; finem non faceret, lapidibus petitus,*

Quis fuerit Raymundus Lullus?

occu-

occubuit. Corpus in Balearem majorem translatum, magnam à populis venerationem habet, tantùm non memoriâ consecratâ, nomineq; in fastos dato. De libris non una opinio fuit, plerisque accusantibus quasi ineptos, noxiosq;. Alii defendunt, quasi delapsos cælo, humanæ ignorantiæ remedia. Quingenti errores de Religione ex iis libris decerpti nihilominùs, Gregorii XI. Pontif Maxim jussu, Avenione anathematis ignominiâ notati, agente Aymerico ex Prædicatorum ordine Inquisitore adversus hæreticos in Hispania. Ex iis propositionibus Petrus Tarraconensis Præsul centum evulgavit, Directoris Inquisitorum parte alterâ. In quibus (si verùm fateri convenit) non pauca duriores sunt & absona, cum Ecclesiæ placidis pugnantes. Hactenus Mariana.

Sed longè acriora de Lullo habet Jacobus Gualterius S. J. loco supra allegato: ubi ejus dogmata Calvinianis erroribus comparens ita scribit: *Anno circiter 1290. in medium prodiit hic histrio, Raymundus Lullus, multos spargens libellos, ac dictitans, Jesum Christum sibi in crucifixi forma apparuisse, siq; ex ejus ore doctrinam suam accepisse. Quamvis, ut verum fatear, libelli ejus magiâ permixti, & plusquàm quingentis erroribus contaminati reperti sunt. Quos inter hi numerantur. I. Deum habere plures essentias. II. Deum Patrem fuisse, antequàm esset Filius. III. Divinam essentiam, cum otiosa non sit, essentiare; naturam naturificare; bonitatem bonificare &c. IV. Spiritum Sanctum esse conceptum de Patre & Filio. V. Crimen esse & injustitiam hæreticos ulcisci &c.* Hæc & similia Gualterius. Sed nemo certiùs quàm ipse Aymericus, qui, jubente Gregorio Pontifice, in consortio Simonis Borsani in omnia ejus scripta inquisivit, atque hæc, quæ subjicio, posterorum memoriæ reliquit.

Quæ docuerit Lullus? ex Gualterio docetur.

Posteà Dominus Papa Gregorius XI. in Consistorio, etiam de consilio Fratrum interdixit & condemnavit doctrinam cujusdam Raymundi Lulli Catalani mercatoris de civitate Majoricarum oriundi, laici, phantastici, imperiti, qui quamplures libros ediderat in vulgari Catalonico, quia totaliter Grammaticam ignorabat. Quæ doctrina plurimùm erat divulgata, quam creditur habuisse à diabolo: cùm eam non habuerit ab homine, nec humano studio, nec à Deo, cùm Deus non sit author, aut doctor hæresum, nec errorum: licèt ipse Raymundus asserat in libris suis, quòd eam habuit in quodam monte à Christo, qui sibi (ut dixit) apparuit Crucifixus, qui putatur fuisse diabolus, & non Christus. Quæ doctrina duravit ferè per octoginta annos, quousque scilicet Aymericus hæreticæ pravitatis inquisitor in Regno Aragoniæ, ex certis causis habens eandem multùm suspectam de hæretica pravitate, illam non absque summo labore trascurrit, & posteà prædicto Domino Papæ Gregorio XI. præsentavit viginti volumina. Et causa fuit commissa Domino Cardinali Hostiensi, & de ejus mandato fuerunt per viginti & ampliùs Magistros in Theologia diligenter examinata. Et tandem de Fratrum consilio ut hæretica & erronea condemnata, totaq; doctrina generaliter interdicta, quia continebat plusquàm quingentos articulos erroneos. Hæc & alia longè plura adversùs Lulli scripta Aymericus, inducens etiam sententiam Gregorii definitivam, qua condemnantur viginti ejus volumina: & cætera ejusdem opera, utpote manifestâ hæresi & magiâ conspersa, interdicuntur, ne à fidelibus legantur, aut teneantur. Quæ omnia fusè recenset & discutit Abrahamus Bzovius in Annalibus Ecclesiasticis ad annum 1372.

Item ex Fr. Nicolao Aymerico Ord. Prædicatorum. Inquisitore hæreticæ pravitatis.

Doctrina Lulli condemnatur, & opera ejus interdicuntur.

Debeo tamen in gratiam lectoris paucula hæc ex Ludovico Mo-

Duos fuisse Raymundos Lullos, qui passim pro uno censentur, ostenditur ex Morerio.

Morerio (*in verbo Lulle*) desumpta hoc loco referre: nimirùm fuisse hoc ipso tempore duos Raymundos, ambos cognomine Lullos: Primus ut diximus, origine Catalanus, conditione mercator, denique post conversionem Discipulus tertii Ordinis S. Francisci: qui verbnm divinum in Africa disseminans, à Saracenis pro Christi nomine lapidibus obrutus scribitur: à multis eapropter pro Martyre signis etiam claro celebratus. Et quia maximâ doctrinâ divinitùs (ut ajunt) haustâ pollebat, scripsisse fertur multiplicia variæ eruditionis & generis opera: nimirùm, *Generales artium libros. Libros item Logicales. Philosophicos. Metaphysicos. Medicos. Juridicos. Spirituales. Prædicabiles. Quodlibeticos &c.* Hos multis erroribus, hæresi etiam & magiâ conspersos asserunt illi, quibus Raymundi nomen in odio est. Alii è contrario, qui pro Martyre & Sancto eum celebrant, eosdem laudant, approbant, legunt, & pro cathedra explicant. De hoc Raymundo tractans Bellarminus in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis hæc habet: *Raymundus Lullus ex Insula Majorica, vixit circa annum 1290. Scripsit lingua vulgari multa opera, quorum aliqua versa sunt in Latinam, ut Ars magna & parva. Hunc Raymundum Aymericus in Directorio inquisitorum scribit accusatum fuisse apud Gregorium XI. Papam, vel potiùs accusata fuisse scripta ejus, quòd continerent plusquàm quingentos errores. Et Bernardus de Lutzenburgo Raymundum hunc ponit in Catalogo hæreticorum. Contrà autem non desunt, qui eundem Raymundum colant ut sanctum Martyrem, & vocent Doctorem illuminatum, & scripta ejus orthodoxa confirment: de qua re editus est liber anno 1604. cum hac inscriptione:* Sententia definitiva in favorem Lullianæ doctrinæ, juris ordine & Apostolica auctoritate lata, & in veritatis triumphum, inque gloriosæ vindicationis memoriam, denuò impressa, & principalibus rescriptis munita. *Quid in hac controversia tenendum sit, nondum videtur esse definitum ab Apostolica Sede, cùm tam Directorium Aymerici, quàm liber illi oppositus, publicè & sine prohibitione legatur.* Hucusque Bellarminus. Sed valdè miror, doctissimum Cardinalem tam fidenter asserere postrema hæc verba: *Quid in hac controversia tenendum sit, non videtur esse definitum ab Apostolica Sede.* An non legerit sententiam Gregorii XI. in qua viginti volumina Lulli condemnantur, & cætera ejus opera, ne legantur, aut teneantur, interdicuntur? data est hæc sententia (quæ incipit: *Conservationi puritatis Catholicæ fidei &c.*) ad Petrum Archiepiscopum Tarraconensem, ejusque Suffraganeos omnes: Avenione VIII. Calend. Februarij, Pontificatûs Gregorii anno VI. qui fuit Christi annus 1376. Quam ex integro recitat Bzovius in Annalibus ad annum 1372. num. 13. Ad quam lectorem remitto.

Bellarmini de Lullo Catalano judicium.

Quis fuerit alter Raymundus Lullus, & quæ docuerit?

Alter Raymundus Lullus (dictus junior ad destinctionem Senioris) fuit de Terraca, cognomento Neophitus, factus ex Judæo Christianus, deinde Dominicanus in Aragonia. Interim judaizare pergens, credidit & docuit: *Dæmonem aliquando cultu latriæ adorari posse. Vi tormentorum abnegare Deum licere. Omnem peccantem moraliter hæreticum esse. Legem Mahometis aquè orthodoxam esse ac legem Jesu Christi. Deum, malum non minùs quàm bonum amare. Tantùm placuisse Christo desperationem Judæ, quàm Petri contritionem. Solum Deum Patrem esse optimum;*

mum; Filium esse bonum in primo gradu; Spiritum sanctum esse bonum in secundo gradu; ceteras verò creaturas esse bonas in tertio gradu &c. aliaque id genus abominanda & horribilia commenta. Consulatur Carolus Bouvillanus in vita Raymundi Lulli. Waddingus in Annalib. Minorum. Bzovius in Annal. Eccles. loco citato. n. 4. Morerius in verbo *Lulle.* Scripsit Lullus iste librum de Invocatione Dæmonum, qui incipit: *Misericordia & veritas*, & alium quendam, qui incipit: *Utrum quilibet fidelis tam divinis, quàm Apostolicis canonibus teneatur obedire?* & alia quædam opuscula, hæresi & impietate referta. Hi libri cum supradictis phanatici hominis deliriis fuerunt examinati à Simone Borsano, & aliis quamplurimis Theologis coram Cardinalibus S. Eustachii, & S. Angeli: ac tandem à Gregorio Pontifice damnati: publicato edicto, ut Archiepiscopus Tarraconensis cum suis suffraganeis eos igni exureret, & de Raymundo hæresiarcha supplicium desumeret. Sed de his duobus Lullis jam satis: qui ab imperitioribus, nominum & cognominum similitudine decepti, malè & ita ineptè confunduntur, ut errores, libri, & deliria primi secundo; secundi primo attribuantur. Quo fit, ut, vigente hac confusione, nonnisi rerum peritissimis constet, quis alter ab altero fuerit? credantque multi, sed planè perperàm, ambos unum dumtaxat extitisse. Quod ad evitandum crassissimum errorem, in quem plurimi velut in scopulum hactenùs impegerunt, hoc loco monere volui. Jam ad institutum revertatur oratio.

Admonitio circa Lullos.

Simon Borsanus ob egregiam in negotio fidei navatam operam, probitate, doctrina, ac meritis conspicuus, anno salutis 1375. (ut suprà diximus) à Gregorio XI. in numerum Cardinalium Presbyterorum titulo Pammachii relatus est. Post obitum verò Gregorii, Urbano VI. in comitiis illis turbulentis Romæ celebratis suffragatus, eo paulò pòst ob notam severitatem relicto, adhæsit partibus Clementis VII. Antipapæ: sub quo Niciæ in Provincia die 27. Augusti anno salutis 1381. è vivis ereptus est, ibidem donatus nobili monumento terræ mandatus.

Simon Borsanus Clementi Antipapæ adhæret, moritur.

Scripsit perutile opus super Clementinarum librum.

Ejus Scripta.

Deductionem item Schismatis post mortem Gregorii XI. quæ extabat m.s. in Bibliotheca Cardinalis Sirleti.

Epistolas aliquot ad Franciscum Petrarcham.

De eo agunt Panvinius in Vitâ Rom. Pontiff. Aubery in vita. Contelorius in Elencho Cardinalium. Nomenclator Cardinalium. Joannes de Deis citatus. Victorellus & Oldoinus in addit. ad Ciacon. Ughellius in Italia sacra. Aliiq.

ANNO 1370.

SEDENTE GREGORIO XI. PONTIF. MAXIMO.

De

PETRO DE LUNA S. R. E. CARDINALE.

LXX.

Petri nobilissima incunabula & primordia.

PETRUS de Luna Arrago, nobilissimis in Hispania ortus natalibus, Majores suos, ejus Regni Proceres, de Luna vocatos sortitus est. Patrem habuit Joannem Martinez de Luna virum strenuum, potentem, ac opibus clarum: Matrem Mariam Pereziam à Gothor, matronam lectissimam, cunctas ætatis fœminas excellentis formæ, præclaræque virtutis, & faventis fortunæ muneribus antecedentem, quæ quum sæpè anteà illustrem pudicitiæ famam felici fœcunditate nobilitâsset, tum demùm marem, in summum quidem Ecclesiæ malum, peperit. Huic Petrus Rex Aragonius honoris causâ, quum sacrô fonte lavaretur, humaniter præstito Christianæ pietatis officio adesse voluit, eumque de nomine suo Petrum appellavit. Adolescens liberalibus disciplinis, præprimis Jurisprudentiâ excultus, ingenii facilitate & felicitate cò brevi eruditionis devenit, ut decretorum Doctor promulgatus, eandem facultatem in Montepessulano aliquot annis summo cum plausu publicè docuerit. Hinc divulgatâ doctrinæ ejus & virtutis famâ, Canonicus primò Conchensis; mox Archidiaconus Cæsaraugustanus, denique Præpositus Valentinus renunciatus est. Hisce dignitatibus auctus, cum vitam integram, omnique labe carentem in omnium oculis duceret, summamque insuper prudentiam, comitatem, ac peritiam rebus in agendis præseferret, publicô elogiô, privatisque Magnatum juxta ac Regum literis Gregorio XI. Pontifici Maximo commendatus, inter Diaconos Cardinales titulo S. Mariæ in Cosmedin die 20. Decembris, anno salutis 1375. adscribi meruit.

Decretorum Doctor creatur, variisq; Ecclesiæ dignitatibus, ac denique purpurâ ornatur

Gregorii Papæ de eo præsagium ex Henrico Spondano.

Refert hoc loco Henricus Spondanus in Annalibus Ecclesiasticis, quòd cùm Gregorius Pontifex eum inter Diaconos Cardinales adsciseeret, illum palàm præsentibus omnibus, qui functioni intererant, in hæc verba præmonuisse: *Caveas Petre, ne tua aliquando Luna, quæ mirè modò splendet, deficiat, eclypsimq; patiatur*, quasi rerum præscius, Schisma Ecclesiæ, quod Petrô deficiente futurum augurabatur, prænotaret, ac perstringeret. *Audierat enim*, inquit prætactus Auctor, *animum Petri versipellem, callidum, & astutum esse, sophismatibus, verbisq; fallacibus ex composito imbutum.* At si vera hæc Spondani effata forent, non videretur certè Gregorius à culpa vacare, quòd talem à se agnitum impostorem, ad tantam tamque sublimem Ecclesiæ dignitatem evexisset. Niemus tamen, qui nemini parcit, & illum se domesticè novisse profitetur, cùm apud Montempessulanum jus canonicum magnâ cum laude interpretaretur, testatur: Gregorium jure illum Albo Cardinalium inseruisse, eò quòd tunc plerisque omnibus ob summam rerum peritiam, virtutisque ac doctrinæ famam charus esset.

Variis Ecclesiæ negotiis pertractandis adhibetur.

Petrus igitur ad purpuram evectus, Gregorio Romam proficiscenti itineris comitem se junxit: ubi multis arduis negotiis transigendis adhibitus, iter alia provinciam examinis Revelationum S. Brigittæ, sibi cum aliis doctis quibusdam Cardinalibus demandatam accepit.

Romæ sedem figens, Palatium dignitati suæ commensuratum à fun-

à fundamentis exstruxit propè Ecclesiam S. Apollinaris: quod hodie singulari Romanorum Pontificum liberalitate, ac præcipuè Gregorii XIII. beneficio incolunt Collegii Germanici & Hungarici Alumni, cujus insignia, quæ Lunam arcuatam exhibent, etiamnum variis in locis ejusdem Collegii marmoribus incisa, integra conspiciuntur, quemadmodùm ipse ego septenniô ibidem Alumnus existens, dum Anno salutis 1684. vetera Collegii monumenta relegerem, deprehendi; cæterisque consodalibus meis non semel digito monstravi. *Insigne Palatium juxta Ecclesiam S. Apollinaris ædificat.*

Post Gregorii XI. sanctissimi Pontificis obitum, Clementis VII. Pseudopontificis partes amplexus, legationis munere functus est in Hispania, ut suâ facundiâ, qua plurimùm pollebat, ejus Regni gentes & Reges, reprobatô Urbano VI. ad obedientiam Clementis pertraheret. Cùm verò Hispanos initiô legationis suæ præter spem Clementi minùs affectos, Urbano autem addictissimos animadverteret, ad artes conversus, dirum Schisma publicè detestari; Clementis famam coram Regibus & populis, quasi qui Ecclesiæ tranquillitatem & unionem negligeret, traducere; palamque eâ de re ad adstantes Clericos & Prælatos verba facere; & quidquid Schisma quomodocunque redoleret, modis omnibus execrari cœpit: subdolè ratus eâ sibi ratione Pontificatum paratum iri. *Legatione pro Clemente Antipapa dolosè fungitur in Hispania.*

Functus legatione Hispanica, ingentem pecuniæ vim, iis in partibus collectam, ad Clementem detulit, quapropter ab eo laudatus, mox alteram in Gallias ad Regem & Universitatem Parisiensem legationem obtinuit. Parisiis allapsus, neglectô Clementis negotiô, suis iterum astutiis velificatus est, opportunam ad id viam aperiente Rege, qui sæpiùs de Ecclesiæ scissura conquestus, modum concordiæ reducendæ indagare cœpit. Petrus arreptâ exinde occasione apertissimè (interpositô etiam fidei sacramento) professus est, se, si sibi per Dei gratiam Clementi vel abrogato, vel defunctô succedere contingeret, totis viribus operam daturum in unitate Ecclesiasticâ sarciendâ. Idque non modò Parisiis, sed & Avenione posteà in omni tum publico, tum privato congressu testatus est, adeò ut decepti Principes, Antistites, & Populi præ Petro neminem unum tollendo Schismati aptiorem, magisque commodum dijudicarent. *Similiter in Gallia.* *Ejus astutia pro aucupandô Pontificatu.*

Sublatô ergo Anno redemptionis humanæ 1394. Clemente VII. Cardinales numero viginti & unus, decimo ab ejus obitu die conclave in Palatio Avenionensi ingressi (existimantes Petrum, si Pontificatu potiretur, promissis de extinguendo Schismate staturum) quarto Kalend. Octobris unanimi consensu eum sub nomine Benedicti XIII. pro Successore Clementis designârunt. *In demortui Clementis locum eligitur.*

Inito Pontificatu Benedictus scriptis ad Principes Orbis Christiani litteris encyclicis, iis persuadere conatus est, invitissimum se unanimi Cardinalium omnium judiciô coactum fuisse ad assumendas supremi Sacerdotii habenas, quas proinde (si ita iis pro bono Ecclesiæ videretur) incunctanter dimissurus esset, dummodò suâ auctoritate procurarent, ut Bonifacius IX. Urbani Successor, suo exemplo illectus, idem præstaret: hac enim solâ, nec aliâ facilè viâ

Sopiendi Schismatis cupidum se ostendit.

aut Schisma perniciosum tolli, aut unionē tantoperè cupitam stabiliri posse asserens. Quin imò tam ardens initiò sopiendi Schismatis desiderium præferebat, ut cùm mox Nuncios Universitas Parisiensis cum litteris, ad eum in hoc proposito confirmandū, destinâsset, asseruerit: *Tam paratum se esse ad quamcunque viam ab ipsis propositam, ac etiam cessionis amplectendam quàm facilè cappam deponeret*, quam tunc fortè deponebat ad sumendum prandium. Id ipsum professus est Petro de Alliaco, insigni Theologiæ Doctori, Universitatis Cancellario, ac Regio Eleemosynario, quem Rex ad eum salutandum submiserat. Hæc astutus & versipellis ille ad Reges, Principes, Legatos & Oratores: cùm tamen nil minùs, atque hoc in animo tum haberet, labiis dolosis, non corde sincero locutus, quemadmodùm eventus docuit. Siquidem solidis triginta annis ad id præstandum (quod jurejurando ante & post electionis tempus spoponderat,) à Principibus licèt & Cardinalibus per Deum & sacra rogatus, nunquam adduci potuit, ut in gratiam concordandæ Ecclesiæ vel latum unguem à sententia discederet. Et quamvis sæpiùs in speciem Antipapatu cessurus videretur, mox tamen illius dulcedine illectus, ad ingenium redibat, tempus & homines continuis tergiversationibus, cavillis, & imposturis ludificando. Exactam horum omnium relationem subministrabunt præ cæteris S. Antoninus Parte 3. Hist. Tit. 22. Alphonsus Ciaconius in Vitis Pontiff. Andreas Victorellus in Notis, & Augustinus Oldoinus in additionibus ad Ciaconium, quibus libenter Theodorum Niemum accenserem, qui tres integros libros de diro ac diuturno hoc Schismate conscripsit, nisi Auctor hic mendax, petulans, & in Romanos Pontifices maledicus, à bonis omnibus proscriptus, & à Simone Schardio, virulentissimo Calvinista corruptissimis typis vulgatus esset. Vixit Benedictus Pseudopontifex pravi tenax, ferè semper exul à Cardinalibus suæ obedientiæ; ac licèt à duobus Conciliis, Pisano nimirum anno salutis 1409. & Constantiensi anno 1417. celebratis, uti hæreticus & schismaticus depositus, damnatus, & promulgatus esset, nunquam tamen, dum vixit, malè usurpata pontificia insignia deposuit.

Sed eventus contrarium docet.

Omnes ludificat.

Excessit tandem è vivis Panischolæ (quod oppidum Regni Valentiæ munitissimum Diœcesis Dertucensis est) die Pentecostes, quæ incidit in undecimam Junii Anni 1424. Octogenario, vel, ut aliis placet, nonagenario major, adeò in suâ perversitate obduratus, ut suæ factionis Cardinales ad se vocatos sacramentò adegerit, ad alium sibi, mox ut obiisset, sufficiendum. Quin imò (ut habet Author Burdegalensis illius temporis) etiam postquam loquelæ usum amisit, ne fortè rem negligerent, arrepto calamo suis qui aderant Cardinalibus injunxit sub pœnâ maledictionis æternæ post mortem suam eligere in Papam Ægidium de Munione Aragonium, Ecclesiæ Barcinonensis Canonicum, dictum posteà Clementem VIII.

Doli, pravi & tenax in Schismate obstinatissimè moritur.

Suffocatum Benedictum venenô habent Scriptores quidam Hispani à Thoma Monacho ei propinato, consilii nefarii auctore Cardinale Pisano, qui ad capiendum Benedictum ex Italia in Hispaniam se contulerat. Thomam verò paulò pòst proditum, ac scelus confessum, horrendo supplicio vivum in quatuor partes ab indomitis

Quidam eû venenô sublatum scribunt.

mitis equis in diversa actis discerptum fuisse tradit Mariana libro 20. c. 14. de Rebus Hispaniæ. Nonagenarium autem ex venenô obiisse Benedictum contendit idem Author. Sed quod præsentius venenum, quàm ætas nonagenaria?

Cadaver ejus in Templo Arcis Panischolæ, ubi in execratione decessit, compositum est funere translatitio, quod sexto pòst anno indè erutum (dum illud Joannes de Luna Antipapæ nepos Illuescam, suæ ditionis oppidum transferendum curaret) omni ex parte integrum, ac suavissimum afflans odorem, inventum esse scripserunt nonnulli Benedicto plùs æquo addicti, asseverantes etiamnum hodie, mirô Dei beneficiô, incorruptum perseverare. Verùm quis amabò compos mentis palpabile adeò commentum facilè credat? quis, inquam, sibi (nisi emoti sit cerebri) persuaserit, hominem dolosum, perjurum, ambitiosum, Reipublicæ Christianæ perturbatorem, publicæ tranquillitatis inimicum, unionis Ecclesiasticæ hostem, charitatis osorem, Schismatis propagatorem, Dei & Ecclesiæ contemptorem, à Conciliis depositum, proscriptum, damnatum, in execratione cum livore, & invidia decedentem, Ecclesiæ nunquam conciliatum, nihilominùs post impiam mortem miraculoso suavitatis odore nobilitatum, ac perpetuo incorruptionis munere, instar rarissimi cujusdam Sancti, à Deo (qui providus, justus, & fidelis est,) fuisse donatum? Gratis hæc prudentibus occinuerint Authores Schismatici, ex assentatione, non ex fide & veritate loquentes.

Commentū de ejus incorruptione exploditur.

Cùm verò Petrus de Luna doctissimus, acerrimique vir judicii esset, nonnulla egregia ingenii sui monumenta posteritati reliquit, inter quæ eminet libellus linguâ Hispanicâ conscriptus, quem ipse *Consolationes vitæ humanæ* appellavit, contra omnes casus, labores, & adversitates, quæ homini in hac miserabili vita accidere possunt, utilis. Scripsit etiam:

Ejus Scripta.

- De Potestate Papæ.
- De Auctoritate Conciliorum.
- Commentaria in Decreta.
- Epistolas varias.

Ejus meminere Aubery in Vita. Balthasar Porrengna in Elogiis Cardinal. Hispan. Contelorius in Elencho Cardin. Panvinius in Vitis Pontiff. Turrecremata de Revelationibus S. Birgittæ. Anonymus Author Vitæ Gregorii XI. & Urbani VI. &c. apud Bosquetum. Morerius in Diction. Historico Magno. Aliiq; quamplurimi.

ANNO 1370.

SEDENTE GREGORIO XI. PONTIF. MAXIM.

De

PETRO DE TARTARIS
S.R.E. CARDINALE.

LXXI.

Variis in Ordine suo muneribus fungitur.

PETRUS de Tartaris illustribus Romæ parentibus natus, gentis & patriæ nobilitatem eximiis virtutibus, animi præsertim fortitudine & constantiâ cumulavit. Is primùm ordinis Olivetani sub B. Benedicti Regula Monachus, ac Prior S. Mariæ Novæ; deinde ad Cassinenses transgressus, munus Abbatiale tum ibi, tum in Cœnobio S. Laurentii extra muros Romæ gessit, universimque Religionis sui Instituti præfuit annos decem & novem, menses octo, dies undeviginti. Cùm enim Urbanus V. Romanus Pontifex (teste Secundo Lancellotto in Historia Olivetana) monasticam disciplinam in Monte Cassino reparare; ac Monachorum illorum numerum, bellorum injuriis valdè diminutum, augere peroptaret, misso Diplomate Abbati Cassinensi copiam fecit, XL. Monachos, cujuscunque Ordinis & habitûs essent, pro voluntate seligendi, eosque ad sedem Cassinensem, vestem, institutum, vitæque rationem transferendi. Eâ igitur factâ potestate Abbas, qui tum Cassinensibus præsidebat, Raynerio Maximo Olivetanorum Præsidi litteris datis mandat, ut è constitutione Pontificia de suis sex, nominatim expressos, dimitteret, inter quos Petrus de Tartaris non ultimum locum obtinuit. Successu temporis Petrus ob eminentem scientiam, regendique Ordinis peritiam, suorum suffragiô Abbas Cassinensis, numero octogesimus primus, electus, Templum vetustate collapsum arcuato opere, pulcherrimisque laquearibus intùs, cum nobili odæo in media Ecclesia constituto, ac foris plumbeis laminis cooperto, mirificè exornavit. Hospitalem domum in ipso monasterio inclusam, ad hospites & peregrinos commodiùs excipiendos, splendidiusque locandos, magnis sumptibus restituit, ac ampliavit. Conscripto milite plura Monasterii oppida, illud præsertim, quod *Castrum Cæli* appellant, propè Aquinum, ab usurpatorum potestate vindicavit. Oppidanos Plumbariolæ, Fractarum & Citrarii in Calabria, qui à Monachis defecerant, rursùs consueta jussa exequi; fidelitatisque sacramentum obire adegit, quod item à cæteris, Cassinati ditioni subjectis, eo authore, est præstitum. Germanenses in officio continuit. Oppidum *Pontis curvi* dictum, dejectô inde Henricô Fundenti comite, pristinæ Monachorum ditioni subjecit. Demùm tanti Præsulis famâ longè lateque percrebrescente, plurimi Cœnobio Cassinensi possessiones ac fortunas propensissimis animis obtulêre.

Abbas Cassinensis eligitur, & plurime pro Ordinis ornamento & emolumento præstat.

Eum Urbanus VI. ob egregias animi dotes Regno Neapolitano suo nomine præficit.

Urbanus VI. sæviente diri Schismatis procellâ, multùm singulari Petri Abbatis sapientiæ, fortitudini, rerumque gerendarum maximæ peritiæ initio sui Pontificatûs detulit, uti testatum reliquit amplissimo hoc, quod subjicimus, ad ipsum decreto diplomate; cujus hic tenor est:

URBANUS EPISCOPUS &c. PETRO ABBATI CASSINENSI &c.

Cùm nos dudum ex certis, justis, ac rationabilibus causis iniquitatis alumnam Joannam olim Reginam Siciliæ, tanquam hæreticam & schismaticam omnibus Regnis, feudis ac bonis (quæ ipsa olim obtinebat) privatam fore declaraverimus, & ipsam etiam effectivè privaverimus: & propterea Regnum Siciliæ, quod Joanna à Romana Ecclesia tenebat in feudum, cujusq; supremum dominium, & omni-

& omnimoda dispositio ad nos, & eandem Ecclesiam pertinet, vacaverit, & adhuc vacare noscatur. Nos volentes, quantùm cum Deo possumus, ejusdem Regni & incolarum ac habitatorum ipsius indemnitatibus praecavere, Te Vicarium nostrum in temporalibus in omnibus castris, terris, villis, & locis Monasterii tui Casinensis, tenore praesentium, usque ad nostrum beneplacitum, constituimus, & etiam deputamus: & insuper discretioni tuae exercendi (durante hujusmodi beneplacito) auctoritate Apostolica per alium, seu alios ad hoc idoneos, in omnibus castris, terris, villis, & locis praedictis cùm infrà dictum Regnum existant, temporalem jurisdictionem cum mero & mixto imperio, pro ut opportunum fuerit, ac statui & honori nostro, & Romanae Ecclesiae praedictae videris expedire, plenam & liberam concedimus tenore praesentium potestatem Datum Romae anno primo &c. qui fuit Christi 1378.

Eodem anno cùm idem Pontifex ab aemulo suo Clemente VII. ejusque fautoribus Cardinalibus, Principibus, Episcopis, Aquinate praetertim, maximis persecutionibus & injuriis angustiaretur, in uno propemodùm Petro suam post Deum spem omnem atque solatium ponens, his eum convenit: *Boni rumores, quos quotidiè de tua fidelitate & sinceritate sentimus, mentem nostram variis tribulationibus saturatam plurimùm consolantur. Tu itaque, fili, sicut coepisti, persevera: quia, prout in Domino speramus, qui non derelinquit sperantes in se, finis praesentibus adversitatibus imponetur brevi. Tu & alii devoti filii nostri, & Romana Ecclesia gaudebitis aliquando per viam rectitudinis ambulasse &c.* *Eundem laudat à fidelitate.*

Caroli quoque Tertii Regis Neapolitani animum, virtutis praestantiâ, & suppeditatis ad Regni recuperationem auxiliis, usque eò promeritus est Petrus, ut totius Regni magnus Cancellarius ab eo institutus, amplissimoque elogio cohonestatus fuerit: uti liquet ex privilegii ad ipsummet Petrum Abbatem transmissi conceptissimis hisce verbis: *Constantissimus juxtà ac tenacissimus cultor fidei apud sanctissimum Dominum Papam, ac sanctam Romanam Ecclesiam fuisti zelator nostri nominis & honoris; amator bonorum, correptor reproborum, quem non terruerint tempore turbinum horrenda & formidanda pericula: sed quantò humana perversitas periculosiùs te invasit, tantò fortior & robustior armatus veritatis clypeo surrexisti ad pugnam, in virtute divina, & fide Catholica, ad aliorum regulam & doctrinam difficultates rerum & ponderum viriliter superando.* *A Carolo III. Neapolitano Cancellarius constituitur, & postea speciali elogio commendatur.*

Ladislao itidem Regi ob easdem excelsi animi virtutes & dotes accepissimus, multis ab eo donatus est in rem Coenobii beneficiis, muneribus, & privilegiis: quin & eodem adnitente Rege inter purpuratos Patres cooptatum fuisse à Gregorio XI. testantur Acta vaticana. *Ladislao itidem Regi charissimus.*

Has tamen eximias virtutes, laudes & merita Petrus posteà, ejuratò Urbano VI. Clementi Pseudopontifici accedendo & adhaerendo, admotâ veluti spongiâ abstersit. Unde anno 1385. ab irato Urbano non solùm Abbatiali dignitate, sed & Purpurae honoribus spoliatus, demùm biennio pòst publicò decretò Schismaticus & transfuga infamis est declaratus. Mortuo verò Urbano, cùm à Clemente, poenitentiâ ductus, iterum defecisset, à Bonifacio IX. in Urbani locum noviter suffecto, receptis honoribus in integrum est restitutus: prout colligitur ex Catalogo Abbatum Casinensium, *Ab Urbano dejiciens Clementi adhaeret, rursumque hoc relicto, Bonifacio IX. accedit.*

aliisque Scriptoribus ab Oldoino relatis. Vivere denique desiit, authore Marco Antonino Scipione in elogiis Abbatum Cassinensium, pridiè Nonas Junij anno salutis nostræ 1395. Cassini: ubi summo cum honore sepultus, etiamnum requiescit. Plura insignia opera scripsisse fertur, in Cassinensi Bibliothecâ inter M.S. asservata, quorum ego notitiam non habeo.

Obitus ejus, & Scripta.

De eo agunt Secundus Lancellottus in historia Olivetana, Thomas Walsingamus in Hist. Anglic. Ciaconius in vita. Marcus Anton. Scipio in elogiis Abbat. Cassinens. Oldoinus in addit. ad Ciacon. & Alii.

ANNO 1378.

SEDENTE URBANO VI. PONT. MAX.

De

THOMA DE FRIGNANO
S. R. E. CARDINALE.

LXXII. THOMAS de Frignano, natione Italus, patria Mutinensis (familia enim Frignana Bononiæ oriunda, Mutinæ cùm consedisset, inter Nobiles ejus Civitatis gentes olim relata, sublatis sensim masculis nullum hodie suæ antiquitatis retinet vestigium) Ordinem Minorum in Cœnobio Mutinensi à puero professus est. Cùmque ob ingenii ac judicii acrimoniam Theologus eximius, Præcoque divini verbi eloquentissimus evasisset, in Academia Bononiensi publicus Professor, & Provinciæ Bononiensis Minister primò; mox Assisii die 6. Julij anno salutis 1367. in comitiis generalibus, omnium suffragiis electus est totius Seraphici Ordinis Minister Generalis.

Ordinis Seraphici Minister Generalis eligitur.

Anno verò sequenti, non aliâ de causâ, quàm quòd cuidam Fratri Paulutio, aliisque nonnullis, qui vitam agebant spiritualem, faverit; & à Ministrorum potestate exemerit, accusatus apud Pontificem quasi non rectè de fide sentiret, crimen urgentibus Guillelmo ex Minorita Episcopo Narniensi, ac Ministro Provinciæ S. Francisci, per sesqui annum fermè circà hæc distractus, & à regimine suspensus, tandem publicè Romæ in Ecclesia S. Petri coram tribus Cardinalibus, Prælatis multis, viris Religiosis quamplurimis, & ingenti populi multitudine, probatâ per testes centum & ampliùs ejus innocentiâ, ac exploratâ vitæ probitate, malôque adversantium consiliô detectô & reprobatô, summo cum honore (ringente licèt invidia) pristinæ dignitati est restitutus.

Vocatus in crimen à regimine suspenditur.

Innocens inventus honori restituitur.

Gregorius XI. Pontifex Max. anno salutis 1371, cùm magni & perniciosi tumultus quorundam maleferiatorum machinationibus in civitate Januensi exorti essent, ad illos sedandos Nuncium & pacis curatorem misit Thomam Ordinis Minorum Ministrum generalem, scriptis ad Reipublicæ Ducem, & Fliscos litteris, quibus Thomam iis, uti aptissimum conciliandæ tranquillitatis instrumentum, maximis encomiis commendat. Ad ipsum verò Thomam has

Januensium motus componit, ac propterea Patriarchatu Gradensi donatur.

has, quas subnectimus, eodem tempore dedit. *Litteras tuas nuper benignè recepimus, & ipsas, ac illas, quas ad dilectum Filium Magistrum Franciscum Bruni Secretarium nostrum direxisti, perlegimus diligenter, & super contentis in illis tuam prudentiam & diligentiam multipliciter in Domino commendantes, ipsam exhortamur attentè, ut tua diligentia ac sollicitudinis studiis, totisq; viribus innitaris, ut concordia (cujus tractatus in manibus tuis pendet) desideratus effectus sine ulterioris mora dispendio subsequatur. Datum Avenione VIII. Idus Octobris.* His instructus mandatis Thomas mense Maji anni sequentis 1372. dictos Januensium motus ex voto Pontificis composuit, cui propterea Gregorius specialibus litteris gratias referens, eundem tanquam egregiè pro Ecclesia suo munere perfunctum, sub dicti anni finem Patriatchatu Gradensi cohonestavit. At ei non diu ab opere atque labore feriari licuit: ingravescente enim Cyprios inter & Genuenses periculosa contentione, iterum assurgendum ad opus fuit, & nova ineunda sollicitudo, ne hi ad arma procederent, eo præsertim tempore, quo Christianorum cervicibus in Oriente grave Turcarum imminebat jugum. Nuncius igitur Apostolicæ Sedis denuò declaratus Genuam adiit, ut illius Reipublicæ Ducem ac Nobiles ad ineundam cum Cypriis pacem impelleret. Qua etiam occasione provincia illi demandata est convocandi in fœdus, & societatem armorum Amedeum Comitem Sabaudiæ, Marchionem Montis-ferrati, Nicolaum Marchionem Estensem in civitate Ferrariensi Romanæ Ecclesiæ Vicarium, & Dominicum Januensium Ducem adversùs infensissimos Ecclesiæ hostes Bernabovem & Galeacium Vicecomites, Duces Mediolanenses. Quibus omnibus non absque labore, firmo fœdere conjunctis Venetias profectus, Patavinos pariter cum Venetis dissentientes conciliavit, atque confœderatorum societati certis legibus aggregavit.

Confœderandis Italiæ Principibus adversus Ecclesiæ hostes operam navat.

Thomam ergo tot meritis effulgentem Urbanus hujus nominis VI. Presbyteris Cardinalibus titulo SS. Nerei & Achillei adscripsit, illumque unum ex iis Cardinalibus esse voluit, quibus anno salutis 1379. examen Canonizationis S. Brigittæ ex Regno Sueciæ commisit. Quorum actus posteà Bonifacius IX. qui eam inter Divos retulit, authoritate apostolica confirmavit.

Cardinalis efficitur, & examini Canonizationis B. Brigittæ adhibetur.

Ex hac vita migravit plenus meritis Romæ circà salutis annum 1381. Sepultus in æde sui Ordinis Capitolinâ ante Sacellum B. Virginis de Ara Cœli, cum inscriptione gestorum cadaveri superpositâ, hoc tempore supereuntium pedibus ex integro deletâ.

Ejus obitus, & Scripta.

Conscripsit Thomas præter Commentarios Theologicos, actus examinis Canonizationis S. Brigittæ Viduæ.

Ejus mentionem faciunt Lucas Waddingus in Annal. Min. Panvinius in Vitis Pontiff. Contelorius in Elencho Cardinal. Aubery in Vita. Monumenta Trivultiana. S. Antoninus. Raynaldus in Annalibus. Andreas Dandulus in Chronico. & Alii.

aliisque Scriptoribus ab Oldoino relatis. Vivere denique desiit, authore Marco Antonino Scipione in elogiis Abbatum Cassinensium, pridiè Nonas Junij anno salutis nostræ 1395. Cassini: ubi summo cum honore sepultus, etiamnum requiescit. Plura insignia operà scripsisse fertur, in Cassinensi Bibliothecâ inter M.S. asservata, quorum ego notitiam non habeo.

Obitus ejus, & Scripta.

De eo agunt Secundus Lancellottus in historia Olivetana, Thomas Walsingamus in Hist. Anglic. Ciaconius in vita. Marcus Anton. Scipio in elogiis Abbat. Cassinens. Oldoinus in addit. ad Ciacon. & Alii.

ANNO 1378.

SEDENTE URBANO VI. PONT. MAX.

De

THOMA DE FRIGNANO S. R. E. CARDINALE.

LXXII.

THOMAS de Frignano, natione Italus, patria Mutinensis (familia enim Frignana Bononiæ oriunda, Mutinæ cùm consedisset, inter Nobiles ejus Civitatis gentes olim relata, sublatis sensim masculis nullum hodie suæ antiquitatis retinet vestigium) Ordinem Minorum in Cœnobio Mutinensi à puero professus est. Cùmque ob ingenii ac judicii acrimoniam Theologus eximius, Præcoque divini verbi eloquentissimus evasisset, in Academia Bononiensi publicus Professor, & Provinciæ Bononiensis Minister primò; mox Assisii die 6. Julij anno salutis 1367. in comitiis generalibus, omnium suffragiis electus est totius Seraphici Ordinis Minister Generalis.

Ordinis Seraphici Minister Generalis eligitur.

Anno verò sequenti, non aliâ de causâ, quàm quòd cuidam Fratri Paulutio, aliisque nonnullis, qui vitam agebant spiritualem, faverit; & à Ministrorum potestate exemerit, accusatus apud Pontificem quasi non rectè de fide sentiret, crimen urgentibus Guillelmo ex Minorita Episcopo Narniensi, ac Ministro Provinciæ S. Francisci, per sesqui annum fermè circà hæc distractus, & à regimine suspensus, tandem publicè Romæ in Ecclesia S. Petri coram tribus Cardinalibus, Prælatis multis, viris Religiosis quamplurimis, & ingenti populi multitudine, probatâ per testes centum & amplius ejus innocentiâ, ac exploratâ vitæ probitate, malòque adversantium consiliò detectò & reprobatò, summo cum honore (ringente licèt invidia) pristinæ dignitati est restitutus.

Vocatus in crimen à regimine suspenditur.

Innocens inventus honori restituitur.

Gregorius XI. Pontifex Max. anno salutis 1371, cùm magni & perniciosi tumultus quorundam maleferiatorum machinationibus in civitate Januensi exorti essent, ad illos sedandos Nuncium & pacis curatorem misit Thomam Ordinis Minorum Ministrum generalem, scriptis ad Reipublicæ Ducem, & Fliscos litteris, quibus Thomam iis, uti aptissimum conciliandæ tranquillitatis instrumentum, maximis encomiis commendat. Ad ipsum verò Thomam has,

Januensium motus componit, ac proptereà Patriarchatu Gradensi donatur.

has, quas subnectimus, eodem tempore dedit. *Litteras tuas nuper benignè recepimus, & ipsas, ac illas, quas ad dilectum Filium Magistrum Franciscum Bruni Secretarium nostrum direxisti, perlegimus diligenter, & super contentis in illis tuam prudentiam & diligentiam multipliciter in Domino commendantes, ipsam exhortamur attentè, ut tua diligentia ac sollicitudinis studiis, totisq; viribus innitaris, ut concordia (cujus tractatus in manibus tuis pendet) desideratus effectus sine ulterioris moræ dispendio subsequatur. Datum Avenione VIII. Idus Octobris.* His instructus mandatis Thomas mense Maji anni sequentis 1372. dictos Januensium motus ex voto Pontificis composuit, cui propterea Gregorius specialibus litteris gratias referens, eundem tanquam egregiè pro Ecclesia suo munere perfunctum, sub dicti anni finem Patriarchatu Gradensi cohonestavit. At ei non diu ab opere atque labore feriari licuit: ingravescente enim Cyprios inter & Genuenses periculosa contentione, iterum assurgendum ad opus fuit, & nova ineunda sollicitudo, ne hi ad arma procederent, eo præsertim tempore, quo Christianorum cervicibus in Oriente grave Turcarum imminebat jugum. Nuncius igitur Apostolicæ Sedis denuò declaratus Genuam adiit, ut illius Reipublicæ Ducem ac Nobiles ad ineundam cum Cypriis pacem impelleret. Qua etiam occasione provincia illi demandata est convocandi in fœdus, & societatem armorum Amedeum Comitem Sabaudiæ, Marchionem Montis-ferrati, Nicolaum Marchionem Estensem in civitate Ferrariensi Romanæ Ecclesiæ Vicarium, & Dominicum Januensium Ducem adversùs infensissimos Ecclesiæ hostes Bernabovem & Galeacium Vicecomites, Duces Mediolanenses. Quibus omnibus non absque labore, firmo fœdere conjunctis Venetias profectus, Patavinos pariter cum Venetis dissentientes conciliavit, atque confœderatorum societati certis legibus aggregavit.

Confœderandis Italiæ Principibus adversùs Ecclesiæ hostes operam navat.

Thomam ergo tot meritis effulgentem Urbanus hujus nominis VI. Presbyteris Cardinalibus titulo SS. Nerei & Achillei adscripsit, illumque unum ex iis Cardinalibus esse voluit, quibus anno salutis 1379. examen Canonizationis S. Brigittæ ex Regno Sueciæ commisit. Quorum actus posteà Bonifacius IX. qui eam inter Divos retulit, authoritate apostolica confirmavit.

Cardinalis efficitur, & examini Canonizationis B. Brigittæ adhibetur.

Ex hac vita migravit plenus meritis Romæ circà salutis annum 1381. Sepultus in æde sui Ordinis Capitolinâ ante Sacellum B. Virginis de Ara Cœli, cum inscriptione gestorum cadaveri superpositâ, hoc tempore supereuntium pedibus ex integro deletâ.

Ejus obitus, & Scripta.

Conscripsit Thomas præter Commentarios Theologicos, actus examinis Canonizationis S. Brigittæ Viduæ.

Ejus mentionem faciunt Lucas Waddingus in Annal. Min. Panvinius in Vitis Pontiff. Contelorius in Elencho Cardinal. Aubery in Vita. Monumenta Trivultiana. S. Antoninus. Raynaldus in Annalibus. Andreas Dandulus in Chronico. & Alii.

ANNO 1378.

SEDENTE URBANO VI. PONT. MAX.

De

PILEO DE PRATA
S.R.E. CARDINALE.

LXXIII. PILEUS de Prata Forojulienſis, ex nobili Comitum de Prata ſanguine progenitus, primam lucem aſpexit in civitate Concordia cnno ſalutis 1330. Alti ingenii adoleſcens, litteras omnes ſub optimorum Magiſtrorum diſciplinâ edoctus, Laureamque in utroque Jure adeptus, cùm ſecundâ morum atque doctrinæ famâ Gregorio XI. Pontifici Maximo quorundam Principum ſtudio innoteſceret, & probaretur, Archiepiſcopatu Ravennatenſi, opportunè tum vacante donatus eſt. Cùm verò ſub annum ſalutis 1375. hortatu Gregorii & auctoritate celebris conventus Brugis in Flandria pro concordandis Francorum & Angliæ Regibus celebraretur, miſſus eſt eò (Pontificio nomine) Pileus Archiepiſcopus in conſortio Guillelmi Antiſtitis Carpentoractenſis, qui quantumvis ſtrenuè pro conciliandis Regibus, paceque procurandâ, atque ſtabiliendâ deſudâſſent, nihil tamen apud obſtinatos animos, quod concordiam ſaperet, impetrare potuerunt: ex eâ maximè causâ, quòd Angli ſummum ſibi Aquitaniæ imperium omninò aſſertum vellent: Galli è contrariò, illud armis & ſanguine partum, abſque conditionibus concedere detrectarent. Eſtque hôc loco memoratu dignum, quòd ex antiquis actis refert Tilius, obtuliſſe ſcilicet Carolum Regem per ſuos Legatos Eduardo, pacis deſideriô, mille quadringentas urbes cum tribus millibus caſtris in Aquitaniâ, dummodò ſupremitas Carolo remaneret, & Caletum reſtitueretur cum reliquis oppidis ab Anglo in Picardia occupatis. Cùm verò ne ſic quidem, reſpuente omnia Eduardo, quicquam agi de pace poſſet, bellô utrinque decretô, induciæ tantùm per Apoſtolicos Nuncios in annum ſunt conſtitutæ.

Archiepiſcopatu Ravennatenſi donatur.

Brugas ad concordandos Galliæ & Angliæ Reges legatur.

Mortuo deinde Gregorio, & pernicioſo Schiſmate inter Urbanum VI. Romanum Pontificem, & Clementem VII. Pſeudopapam exorto, Urbani partes ſecutus Pileus ab eo, primò ſui Pontificatûs annô Presbyteris Cardinalibus titulo S. Praxedis adſcriptus eſt. Paulò pòſt cum Joanne Pragenſe Senatore Legatus ad Wenceslaum Boëmiæ Regem, deſignatum Cæſarem miſſus, eundem in fide Urbani ſolidiſſimis rationum momentis confirmavit. Germaniam deinde, eodem legationis charactere inſignitus, percurrens, omnes illarum Provinciarum Proceres, & liberas civitates Urbani partibus, Clemente reprobato, addixit. In Italiam reverſus, Cornetum urbem in Patrimonio B. Petri factioſam in ordinem redegit. Exitiali poſtmodum Urbanum inter & Carolum Siciliæ Regem diſcordiâ excitatâ, multùm pro pace inter eos componendâ, ultrò citroque Luceriæ & Neapoli laborans, nihil profecit.

Cardinalib9 adſcribitur, & Legationẽ ſuſcipit in Boëmiam, & Germaniam ad confirmandos in Urbani obedientiâ Cæſarem & Principes.

Cæ-

Ad Clementem Antipapam deficit & ab eodem Pseudocardinalis renunciatur.

Cæterùm severitate, & rigido Pontificis ingenio, qui egregios aliquot Cardinales & Præsules crudeli supplicio necârat; aliquot honoribus & beneficiis exutos, exilio & squallore carcerum maceraverat, & bella bellis serendo Italiam omnem conturbaverat, commotus, ab eo, cùm Genuæ esset, anno 1386. cum Galeotto de Petramala Cardinale ad Clementem æmulum defecit: à quo Avenione tum agente perhonorificè exceptus, & majoribus Sacerdotiis locupletatus, cum titulo S. Priscæ inter ejus partis Senatores Idibus Junij relatus est. Priusquam verò Italiâ excederet, pileum cardinalitium ab Urbano paulò antè susceptum, inauditâ hactenùs novitate, constructo Papiæ in publico foro rogô, in Urbani contumeliam concremavit.

Pileum ab Urbano susceptum publicè comburit.

Legatus destinatur in Italiam pro Clemente.

Cùm autem vir ille acer, & ad res gerendas strenuus, maximeque dilatando Pseudoimperio opportunus existimaretur, ab eodem Clemente Legatus in Italiam citra Regnum Neapolitanum cum amplissima potestate destinatur, ut Italos omnes, præsertim Florentinos ad sui obedientiam, Urbano tanquam adulterino pontifice rejecto, pertraheret. Quòd intelligens Urbanus, furore percitus cunctis eum honoribus & Sacerdotiis privatum diris devovit: ut ex variis diplomatibus, etiamnum extantibus, liquidò apparet, quibus sub gravissimis pœnis & mulctâ diversis Italiæ Principibus præcipit, ut eum quâvis ratione possent, caperent; atque in vincula, suæ daturum pœnas vindictæ, compingerent.

Florentinos ad defectionem allicit. Nihil tamen, obicem ponente Angelo Acciaiolo, proficit.

Pileus intereà hisce fulminibus minimè perterritus, in Italiam rediens, cùm multis precibus ac pollicitationibus Florentinos ab Urbano ad Clementem abducere tentavisset, omnia irrito conatu egit, repugnante illi acerrimè Angelo Acciaiolo Episcopo Florentino paulò antè ab Urbano purpurâ donato. Non multis verò inde diebus Angelo ab Urbano Romam evocato, profectoque, Pileus inusitatæ calliditatis dolum reperit, quo Florentiam Urbano ereptam in Clementis potestatem redigeret. Discessu siquidem vigilantissimi Antistitis minùs intentas, diligentesque custodias futuras ratus, quatuor agrestes currus, per quos venale fœnum in urbes convehitur, adeò solerti ingenio concameratos fabricârat, ut quum exterius virentis fœni speciem præberent, interiùs feni loricati milites conderentur, qui demum ingressis portam curribus, in medio aditu laxatis machinæ fibulis repentè in apricum prosilirent, haltisque hostium correptis, quæ ad parietem per rastrella dispositæ ad manum essent, custodes nil tale opinantes confoderent, & tamdiu angusto in aditu curribus occupato locum tuerentur, donec instituta ad succurrendum una atque altera validorum atque pernicium sociorum manus adcurreret. Duo siquidem Duces cum tribus millibus pugnatorum, modicô intervallô idoneis in locis occultati fuerant, ut currus ingredientes celerrimè consequerentur. Sed his aut animus, aut certè fortuna, quæ dolis illudebat, importunè defuit. Cùm primus enim currus ab ignaris doli bubulcis feliciter esset introductus, erumpentibusque armatis insidiæ nudarentur, cataracta à fabro ferrario, qui fortè aderat, opportunè demissa subsequentes exclusit. Ita primi frustra socios expectantes, decurrente ad excita-

Stratagemate, sed in cassum, utitur.

 tum

tum clamorem urbis Senatore à civibus sunt interfecti, uno tantùm capto, conservatoque, ut authorem atque ordinem insidiarum aperiret. Itaque Pileus spe suâ potiundæ Florentiæ dejectus, Vrbemveterem magnâ auri copiâ, sibi ab Avenionensibus transmissâ profectus, ingenti exercitu congregato, fœdus cum Raynaldo Ursino Aquilano Principe, qui Cornetum, Spoletum, aliaque Ecclesiæ Romanæ oppida occupaverat; & Conrado ac Luca Monaldensibus Berardi filiis Urbevetanis Regulis percussit: quos etiam, ut arctiori sibi vinculo sociaret, facultate à Clemente sibi concessa, summâ cum potestate ejusdem civitatis Vicarios & Gubernatores constituit, annúo accipitris tantùm censu natali Apostolorum Petri & Pauli imposito. Horum subsidiis fretus, oppida, castra, ac urbes Urbano subjectas, mirum in modum afflixit; agros vastavit; prædas abegit; pagos incendit, & mortales multos, ne tenero quidem sexui parcens, aut occidit, aut captivos abduxit.

Exercitum cogit, fœdus pacificitur, multasq; Ecclesiæ Urbes in Clementis potestatem redigit.

Urbano autem VI. venenô, uti proditum est, è vivis sublato, aliquot Cardinalium interventu, cum Bonifacio IX. recens in Urbani locum suffecto, pacem iniit: ejuratoque Clemente Pseudopapa (cujus adhuc Legatus erat) Viterbium, Montemflasconis, Narniæ, Spoletique Arces, ac demum cuncta, quæ Urbano abstulerat, restituit: à Bonifacio eapropter Cardinalium Senatui redditus, quo fuerat ab Urbano ejectus, ac Idibus Februarii anno 1391. Episcopus Cardinalis Tusculanus creatus, per derisum deinceps *Cardinalis Pileus trium Pileorum* est dictus.

Ejurato Clemente Bonifacio studet, eidemq; omnia Urbano ablata restituit.

Clemens ejus defectione supra modum excandescens, adunatô suorum Avenione Senatu, titulis eum omnibus privavit, defixumque anathemate, publicô decretô infamem transfugam, impostorem, ac fidei venalis hominem promulgavit. Bonifacius è contrario maximi eum fecit, multisque honoribus excultum, quoad vixit, unicè dilexit; Legatumque Umbriæ, Piceni, Æmiliæ & Flaminiæ cum annuo trium millium aureûm numûm salario constituit. Post eas Provincias solerter ac integrè administratas, Perusiæ, & finitimarum regionum legatione functus, Generalis Apostolicæ Sedis in temporalibus Vicarius est appellatus.

A Clemente titulis privatur, & anathemate percutitur. A Bonifacio honoribus & Legatione augetur.

Bonifacii IX. Legatus Viterbii residens, spirituale juxtà ac temporale dominium, Episcopali Sede vacante, gessit; omnibus utriusque jurisdictionis officialibus ac Ministris depositis, alios in se propensos, beneque meritos suffecit. Cùm autem in dies magis magisque Viterbienses sibi infensos experiretur, de eorum fide veritus, pluribus militibus accersitis, civitatem ipsam graviori jugo subjiciendam censuit, & quos Clementi Pseudopontifici suffragari suspicabatur, aut miserrimè interemit, aut in carcerem affligendos, ad exemplum asperitatis suæ, detrusit. Verùm die 7. Februarij, anni 1391. universo populo conspirante, arreptisque armis quaquaversùm irruente omnes Pilei sequaces partim cæsi, partim profligati sunt. Pileus ipse timore correptus, cum à furentibus ad necem quæreretur, ementito habitu turbas fallens, scalis apud S. Syxtum mœnibus admotis propriam salutem fugæ commisit.

Cum Viterbiensibus durius agit. Ad necem quæritur, profugit.

Romam è fuga delatus, ibique quiescens nonnulla ingenii monumen-

numenta edidit (erat enim vir utrâque in Palæstrâ Martis & Minervæ exercitatissimus) quæ tamen injuriâ temporum periisse Paulus Cortesius autumat. Româ Patavium profectus, celeberrimum ibi Collegium, *Pratense* dictum; alendis litterarum studiosis, à fundamentis, suis impensis, excitavit: illudque annuis redditibus cum insigni Bibliotheca locupletavit & auxit. Hoc tamen Collegium nonnisi post Pilei Fundatoris obitum, nempe annô salutis 1420. absolutum fuisse indicant subjecta carmina, superiorem Portæ ejusdem Collegii partem exornantia, quæ etiamnùm ad memoriam posterorum lapidi incisa leguntur.

Patavii celebre Collegium, Pratense dictum, erigit & fundat.

Atria quanta vides, sinuosos flexa per arcus,
Dedita divinis studiis, & canone sacro,
Magna Comes Pratæ Pileus *dedit inclytus heros*
Cardine Pontificum, celsos operatus honores.
Mille quadringentos bis denos auxerat annos.
Partus Virgineus, cum mœnia structa quiêrunt.

E vita excessit Romæ mense Decembri anno ab orbe redempto 1401. Corpus Patavium delatum in Ecclesia Cathedrali propè Sacellum corporis Christi marmoreô tumulô affixô muris, cum ejus insignibus & effigie, ut ipse in testamento jusserat, sepultum est cum hoc Epitaphio.

Romæ moritur, & Patavium transfertur.

Stirpe Comes PRATÆ præclarus origine, multis
Dotibus insignis, seclo celeberrimus, Urbe
Defunctus, statuit sua sic suprema voluntas,
Hac Cardinalis PILEUS tumulatur in urna.

De eo agunt Panvinius in vitis Pontiff. Aubery in vita. Spondanus in Annal. Hieronymus Rubeus in Hist. Ravennat. Hieronymus Garimbertus in vitis Pontif. & Cardinalium, Petrus Corretinus de Episc. Viterbiens. Laurentius Schraderus de Monumentis Italiæ. Ughellius in Ital. Sacra. Aliiq.

ANNO 1378.

SEDENTE URBANO VI. PONT. MAX.

De

JOANNE CORFIENSI S. R. E. CARDINALE.

JOANNES Archiepiscopus Corfiensis, seu Corcyrensis (cujus cognomen, genus, & patriam Auctores non produnt) vir excelsi animi, Doctor Theologiæ eximius, & Præco divini verbi excellentissimus. Is ab Urbano VI. multorum causâ meritorum inter Presbyteros Cardinales titulo S. Sabinæ cooptatus, statim ab accepta purpura unà cum Guillelmo Comite Altævillæ, S. Stephani in Cœlio monte Presbytero Cardinale provinciam accepit cognoscendi, referendique quæstiones contra Robertum Gebennensem Pseudopontificem formatas. LXXIV.

Cardinalis creatur. Legationem suscipit ad Castella & Legionis Reges adversus Clementem.

Legatione pariter functus est ad Joannem Henricum Castellæ & Le-

& Legionis Regem, quem Urbanus sub anathematis, & Regni privationis pœna, ut à cultu Clementis Pseudopapæ desisteret, commonuit: Jussa negligentem Joannes Legatus anathemate percussum, regiis titulis, Regno, & subditorum sacramento, ex imperio Pontificis, privavit.

Revelationes S. Brigittæ examinat, & approbat.

Romam redux cum aliis doctis Cardinalibus, Urbani jussu, interfuit examini Revelationum S. Brigittæ viduæ Suecicæ, quas maturo judicio discussas & ponderatas, suô calculô uti divinas, utiles, & salubres, retinendas censuit & approbandas: uti refert Joannes de Turrecremata in Epistola ad omnes Christi Fideles, his ipsis Revelationibus Romæ cusis præfixâ.

Conjurationis reus Genuæ, Urbani jussu, in mare præceps datur.

Urbanum Neapolim tendentem secutus, cùm ibidem cum Regiis ministris plùs æquo misceretur, quasi in necem Pontificis conspirâsset, in suspicionem venit. Itaq; Luceriæ, ad quam Urbem cum Pontifice nihil sinistri cogitans migraverat, XI. Januarij die anno salutis 1385. captus, diuque præduro carcere, adhibitis etiam suppliciis maceratus, horrendâ denique Genuæ sententiâ damnatus, cum aliis quatuor Cardinalibus, complicibus reis, sacco inclusus in mare demersus est mense Decembri ejusdem anni.

Scripsit Joannes sermones multos:
De Tempore, & Sanctis.
Paraphrases item in Passionem Domini.

Ejus meminêre Panvinius in Vitis Pontiff. Aubery in vita. Annales Trivultiani & Siciliæ. S. Antoninus. Felix Contelorius in Elencho Cardin. Victorellus in addit. ad Ciacon. & Alii.

ANNO 1378.

SEDENTE URBANO VI. PONT. MAX.

De

BARTHOLOMÆO DE COTHURNO
S. R. E. CARDINALE.

LXXV.

Ejus egregia primordia.

BARTHOLOMÆUS de Cothurno, Italus, nobili ac pervetusto genere Clavarii (quod oppidum Januensis Reipublicæ est) natus, primis adolescentiæ annis, distributo in pauperes amplissimo patrimonio, Ordinem Minorum ingressus, ibidemque studiis altioribus admotus, emensis omnium disciplinarum curriculis, suffragante sibi maximè docili ingenio, præstantissimus Theologus, disertissimusque divini eloquii Orator evasit. Vacante tunc temporis Archiepiscopatu Januensi, cùm plurimi non spernendi viri illum ambirent, rejectis omnibus, unus Bartholomæus publicâ Populi voce expetitus, annuente Pontifice, suffectus est.

Januensi infulâ donatur & purpurâ.

Cùm verò anno dominicæ Incarnationis 1378. XVI. Kalend. Octobris Urbanus VI. Romanus Pontifex undetriginta novos Cardinales creâsset, inter primarios unus extitit Bartholomæus Archiepisco-

episcopus, cui non multò pòst commissa facultas est absoluendi Genuenses, Mediolanenses, & Placentinos à censuris, ab Urbano iis ob delatas Sultano Ægypti vetitas merces inflictis.

Claudius Robertus in Cathalogo Præsulum Januensium, Bartholomæum hunc non recenset, cùm tamen solemnis memoria illius extet in Urbani Pontificis Diplomate, editô die 4. Martii anni 1382. in quo illum verbis clarissimis Archiepiscopum Januensem, & Cardinalem nominat; illique potestatem facit aliis impertiendi facultatem, mercimonia viginti millium florenorum valore, ad terras & loca Soldano Babylonico subjecta, impunè devehendi. Unde constat Bartholomæum Januensium Sedem usque ad annum 1383. tenuisse. *Error Claudii Roberti refellitur.*

Susceptis posteà cum duro Pontifice simultatibus, cùm eum Neapolim profectum, Romæ subsistens ipse deseruisse videretur, in ipsius incidit indignationem. Multas eapropter contumelias passus, gravibusque minis exagitatus, tandem Regis Caroli Dyrrâchii interventu Neapolim accedens, Pontificis gratiæ restitutus est. Verùm non multò pòst in suspicionem iteratò adductus, quasi cum Carolo Rege aliisque complicibus Cardinalibus in necem Pontificis conspirâsset, Luceriæ in castrô xi. Januarii, anni 1385. comprehensus, durôque carcere conclusus, ac tormentis examinatus, convictusque, demùm Genuæ mense Decembri ejusdem anni, crudeli supplicio, Urbani jussu, culeô insutus, inque mare præcipitatus, miserando exitu infelicis vitæ cursum terminavit. *Conspirationis reus, Urbani jussu in mare demergitur.*

Ejus Scripta.

Scripsit Summam Theologicam.
Postillam Sermonum sacrorum.
Commentaria in Cantica Canticorum.
Aliaque nonnulla, quæ deperdita sunt.

De eo agunt Aubery in vita. Ubertus Folietta in elogiis clarorum Ligurum. Contelorius in Elencho Cardinalium. Lucas Waddingus in Annal. Min. Gaspar Jongelinus in Elog. Cardin. Ordin. Minorum. Ughellius in Ital. sacra. & Alii.

ANNO 1378.
SEDENTE URBANO VI. PONTIF. MAXIMO.

De

NICOLAO MISCINO
S.R.E. CARDINALE.

LXXVI.

NICOLAUS Miscinus (quem alii Misquinum, Moschinum alii appellant) natione Italus, è Caracciola nobilissima Regni Neapolitani familia oriundus, decimo sexto ætatis anno sacrum Prædicatorum Ordinem ingressus, mirum in modum cùm litteris, tum virtutibus in eo profecit. Sacras litteras post adeptam Theologicæ facultatis lauream, decenniô professus, maximam apud Auditores laudem collegit. A curis Scholasticis ad publica negotia vocatus, & Inquisitoris Generalis in Regno Nea- *Ejus praeclara primordia.*

Neapolitano munere donatus, indefessam pro rei Christianæ emolumento, liberandâque à Schismate Ecclesiâ Romanâ navavit operam. Principum oratu, suorumque suffragio meritorum Archiepiscopus Messanensis creatus, annis plurimis tantâ vitæ integritate, morumque innocentiâ præfuit, ut Messanenses eum non secus atque hominem de cœlo lapsum suspicerent. Virtutibus ejus longè lateque diffusis Urbanus commotus, urgente maximè Pontificem S. Catharinâ Senensi (cui Nicolaus ob morum similitudinem charissimus erat) eundem in numerum Purpuratorum titulo Presbyteri S. Cyriaci ad Thermas retulit.

Archiepiscopatu Messanensi, & ad instantiam S. Catharinæ Senensis purpurâ donatur.

Sacro Senatui adscriptus legationes multas Urbani jussu, obivit, tamque dexterè gessit, ut quod minimè sperabatur, durus cæteroquin Pontifex nobilissimas Italiæ urbes, Neapolim, Perusium, Venetias, brevi temporis intervallo sibi obsequentes habuerit & addictas.

Multas Legationes Urbano & Ecclesiæ proficuas obit.

Vicarius denique Pontificius in Æmilia & Flaminia cum Agapito Columna Cardinale constitutus, inter alia præclarè gesta, Venetos ac Ligures aspero difficilique bello implicitos, atque à nomine concordiæ hactenùs adhorrentes, sublatâ exitialis odii causâ, pacavit, nexuque fœderis mutui arctissimè conjunxit. Urbano Pontifici diris schismaticorum factionibus, Principumque obnitentium bellis extremè devexato, contra omnium molitiones, ac præsertim Clementis Pseudocapitis terriculamenta, veluti fidus Achates ad extremum usque spiritum constantissimè adhæsit.

Urbano inter omnes fidelissimus.

Laudabili vitæ coronidem imposuit Romæ Quarto Kalend. Augusti anno salutis 1389. Sepultus ad Prædicatorts in Æde S. Mariæ super Minervam. Vir doctrinæ famâ, virtutum gloriâ, & cumulò meritorum inclytus, à suis etiam *Beati* titulo donatus. Ejus effigies Neapoli in Refectorio Patrum Dominicanorum ad vivum depicta etiamnum cum hac brevi inscriptione conspicitur:

Romæ beatè fine quiescit.

B. FR. NICOLAUS CARACCIOLUS ORD. PRÆDICATORUM
S. R. E. CARDINALIS.

Scripsit Nicolaus, teste Auctore Nomenclatoris Cardinalium.

Ejus Scripta.

Summam de Pœnitentia.
Interpretationes sacrarum litterarum.
Tractatum de Incarnatione Verbi divini.

Paulus Cortesius Libro de Cardinalatu', primo capite de Cardinalibus, qui aliquid scripserunt, hunc cum aliis nonnullis sic commendat: *Eodem modo intelligi debet, multos tum viros extitisse graves, qui in Senatum cooptati sunt, & à quibus semper est scriptioni continuata servitum, quo ex genere Joannes Morlandinus, Stephanus Lugdunensis, Philippus Romanus, & Nicolaus Caracciolus nominari possunt.*

Ejus mentionem faciunt Panvinius in vitis Pontiff. Annales Prædicatorum. Aubery in Vita. Contelorius in Elencho Cardinal. Leander Albertus de Viris illustr. Ord. Prædicat. Antonius Senensis in Chronico Prædicat. Ughellius & Victorellus in addit. ad Ciaconium. Aliiq.

ANNO

ANNO 1378.

SEDENTE URBANO VI. PONTIF. MAX.

De

BARTHOLOMÆO MEDIAVACCA

S.R.E. CARDINALE.

LXXVII.

BARTHOLOMÆUS, quòd in gentilitia parma dissectam per medium vaccam gereret, Mediavacca dictus, natione Italus, patriâ Bononiensis, filius Guillelmi, honesti ac strenui viri. Hic à puero litteris solerter vacans, magnosque in iis processus faciens, celebris suo tempore Jurisprudentiæ Doctor emersit. Exinde suggestu dignus, evocante eum Senatu Florentiam, Institutiones utriusque Juris plausibili methodo enarravit. Sed indè, quum secundâ famâ profiteretur, amplioris spe præmii Romam elicitus, profectusque, ab eximia non minùs docendi gravitate, quàm rarâ dicendi facundiâ celebris factus, summi in utrâque facultate Magistri laude potitus est. Namque optimis litteris, usque ad poëticum decus instructus, dicta, scriptaque lepidissimè condiebat. Canoram vocem, valida latera, gestum oris excellentem ad suggestum afferens, explicati & illustris, solidique doctoris nomen tuebatur. Consultoribus preciô gravis videri poterat, nisi pecuniam acceptam (si causâ decidissent) liberali se pactione duplò redditurum profiteretur. Interrogatus quandoque à Carolo Dyrrachio, Neapolitanorum Rege: *cur uxorem nunquam duxisset?* Respondit; *Ut, te commendante, Urbanus Pontifex ad purpureum galerum gestandum, me habilem sciat.* Paulò pòst ex Auditore Rotæ Romanæ Episcopus Reatinus creatus (quod nomen ipsi deinceps semper adhæsit, non enim aliter, dum vixit, nisi Reatinus audiit) demum anno salutis 1378. rogatu Caroli, ab Urbano VI. in sacrum Senatum titulo S. Marcelli, absens adlectus est. Quem ut Urbanus, turbulento regimine multùm vexatus, arctiori fœdere sibi conjungeret, misso ad eum Bononiam honoris gratiâ purpureo galero, Joanni Lignano insigni Jurisconsulto, urbis ea tempestate facilè principi, in mandatis dedit, ut eum Bartholomæo, ex suo nomine, ritu solemni & pompâ imponeret, quod & factum est in Æde Divi Dominici, frequenti populo inspectante, & ob collatos honores concivi applaudente.

Doctor Juris egregius.

Ex auditore Rotæ Episcopus Reatinus, ac demum Cardinalis renunciatur.

Hunc Urbanus cùm ad maxima quæque negotia pertractanda promptum, habilem, atque peritum agnovisset, ad Carolum III. Dyrrachii Ducem, operâ Urbani Regno Neapolitano jam potitum, cum duobus aliis Cardinalibus S. Cyriaci, & Veneto Legatum misit. Summa legationis erat, ut quæ initiô inaugurationis suæ Rex ipse Francisco Butillo, (is erat Papæ fratris filius) ex fœdere cum Pontifice ictô promiserat, præstaret: ea erant Ducatûs Amalphitani & Capuani Jura & possessio. Quibus rebus cùm Rex ingratus difficulter aures præberet, Butillumque inani spe lactatum in dies ludificaret, occasionem præbuisse visus earum inimicitiarum initiis, quæ inter

Legatione Neapolitana ab Urbano sibi commissa malâ pda fungitur.

inter ipsum & Romanum Pontificem deinde exortæ, multis mortalibus ruinæ & exitio fuêre. Urbani partes S. Cyriaci Cardinalis maximè adjuvabat; Venetus somnolenter & incuriè; Reatinus verò, seu Bartholomæus à Rege corruptus, neglectis de industria Pontificis postulatis, hostis potiùs, quàm Legati vices gerere est visus, Regemque eò impulisse à quibusdam creditus, ut quæ sanctè Pontifici anteà spoponderat, ruptô fœderis & fidelitatis sacramento posteà denegaret. Quæ perfidia multarum subsequentium calamitatum origo fuit, & discordiarum seminarium.

Redeuntibus in Urbem Legatis, rebus improsperè gestis, vel potiùs ex composito neglectis, Urbanus magnoperè irritatus in Regnum ipse proficisci statuit, multùm repugnantibus, iterque dissuadentibus Cardinalibus, conscientiâ commissæ perfidiæ conturbatis. Contrà quos, quia secum proficisci detrectarent, judicium instituit, severè minitans, quòd nisi ad certam statutamque diem comparerent, ac itineri se accingerent, processurum se contra eos tanquam hostes, dignitateque cardinalitiâ eos in pœnam contumaciæ privaturum. Idibus ergo Octobris anni 1383. Reatinum Cardinalem, sibi maximè infensum, frustraque citatum, absentem tanquam omnium discordiarum fomitem, solemni judicio, purpurâ & reliquis honoribus spoliavit. Qui exinde Clementis Pseudopontificis partes amplexus, Urbano ejurato, diroque Schismate acriter divexato plurimùm negotii fecit.

Urbano suspectus redditur, in jus vocatur, non obtemperans dignitatibus spoliatur.

Urbano verò circa annum 1389. è vivis sublato, Cardinales nonnulli in Castro Luceriæ existentes, factâ conspiratione, de Bartholomæo, licèt cardinalatûs honore privato, in demortui Vrbani locum sufficiendo tractarunt. At Deo aliter atque homines solent disponente, Reatinô per saniores præteritô, Bonifacius IX. Vir ingennus, impiger, multaque virtute, ac præcipuè continentiæ dono illustris, subrogatus est. Qui in ipsis statim sui Pontificatûs auspiciis Reatinum Cardinalem Romæ cum Adamo Anglico, & Landulpho Marramauro (de quibus infrà n. 81. & 83.) ab Vrbano spoliatis, purpuræ ac reliquis dignitatibus restituit.

A Bonifacio IX. dignitatibus restituitur.

Reatinus posteà sago, togaque pariter & habili ingenio, & generoso ore suspiciendus, pacis bellique muneribus variè interfuit, obivitque subitarias legationes ad Reges & Principes, quum momenta gravissimarum rerum, non modò præstantis animi fidem, sed & expediti corporis diligentiam, subitique consilij celeritatem requirerent.

Variis Legationibus illustris redditur

Naturæ debitum solvit Romæ die 20. Junij anno à partu Virginis 1396. Corpus ejus in Basilica S. Mariæ Majoris ad Præsepe ante Aram sacratissimæ Virginis honorificè conditum est: cui marmorea tabula cum inscriptione & propriis insignibus superposita, in hæc usque tempora perdurat.

Romæ moritur.

Ejus Scripta. Scripsisse perhibetur plurima de Legibus.
De Schismate Clementis & Urbani.
Apologum de se adversus Urbanum.

Ejus mentionem faciunt Panvin. de Rom. Pontif. Carolus Sigonius de Episc. Bononiens. Aubery in Vita. Chronicon. Regni Siciliæ. Leander Albertus in descript. Italiæ. Hieronymus Garimbertus in vitis Pontif. & Cardin. Contelorius in Elencho Cardin. Victorellus in addit. ad Ciac. Aliiq.

ANNO

ANNO 1378.

SEDENTE URBANO VI. PONT. MAX.

De

LUDOVICO DONATO
S.R.E. CARDINALE.

LUDOVICUS Donatus, patritius Venetus, Ordinem Minorum à teneris ingressus, eruditione & virtutibus illustris, Procuratoris generalis totius Ordinis Franciscani primò; deinde Inquisitoris hæreticæ pravitatis munere Venetiis integerrimè aliquamdiu functus est. Excitato paulò pòst diro in Ecclesia Romana Schismate, Urbani partes secutus est contra Leonardum de Chifonio Ministrum Generalem Ordinis, qui quia Clementi VII. Pseudopontifici adhæserat, ab irato Urbano exauctoratus fuit: Ipse verò Ludovicus in ejus locum suffectus: in comitiis Strigonii anno reparatæ salutis 1379. celebratis, vix tertio ab electione sua exacto mense (deferente purpuram Urbano) Presbyter Cardinalis S. Marci absens renunciatus est. LXXVIII.

Minister Generalis Ordinis Minorum eligitur, & purpurâ ornatur.

Cùm verò Urbani jussu, cum Cardinalibus S. Cyriaci, & Reatinô legatione fungeretur ad Carolum III. Neapolitanorum Regem, idque munus minùs fideliter, atque debebat, & par erat, exequeretur: in sinistram apud Urbanum opinionem, quasi cum Rege & complicibus ejus contra se conspirâsset, incidit. Quare die xi. Januarij anni 1385. tanquam læsæ majestatis reus, Luceriæ in Castro (Urbanô mandante) cum aliis quibusdam Cardinalibus, pari crimine innodatis, interceptus, carcerique mancipatus, ac graviter tortus, demùm Genuæ mense Decembri ejusdem anni interfectus interiit. Variis, iisque gravissimis cruciatus suppliciis (conscientiâ fortassè innocentiæ sibi testimonium dante) lætô alacrique animô nil aliud, veritatem elicere conantibus respondisse fertur, nisi illud Petri Apostoli: *Christus innocens passus est pro nobis: nobis relinquens exemplum, ut sequamur vestigia ejus.*

Conspirationis crimine suspectus capitali sententiâ punitur.

Scripsit Librum exhortationum ad fratres.
Commentaria in 7. Psalmos pœnitentiales.
Sermones de Tempore.

Ejus Scripta.

Ejus meminère Lucas Waddingus in Annal. Minorum. Auberÿ in Vita. Contelorius in Elencho Cardinalium. Gaspar Jongellinus in Elogiis Cardin. Ord. Minorum. Antonius Summontius in hist. Neapol. Aliiq; pauci.

ANNO 1378.

SEDENTE URBANO VI. PONTIF. MAXIMO.

De

PHILIPPO GEZZA
S. R. E. CARDINALE.

LXXIX. PHILIPPUS Gezza (aliis de Ruffinis nuncupatus) nobilis Romanus, Petrô Angelô, & Lucretiâ de Magistris, opulentis piisque parentibus procreatus, contemptis sæculi vanitatibus, sponsâque miræ pulchritudinis relictâ, sacro Divi Dominici Instituto, in Cœnobio super Minervam, se se addixit: ibi strenuam altioribus disciplinis sub optimis Magistris operam navans, protractu temporis insignis Theologus evasit. Erant in Philippo virtutes illæ omnes, quæ Apostolus in viro Ecclesiastico, ac maximè Episcopo requirit, zelus, doctrina, charitas, prudentia, fides, sobrietas, quarum intuitu anno salutis 1364. ab Vrbano V. Pontifice sanctissimo Ecclesiæ Tiburtinæ præfectus, munus Episcopale circa concreditum sibi gregem cumulatissimè adimplevit.

Ob Ecclesiasticas virtutes ab Urbano V. Episcopatu Tiburtino donatur.

Vrbanus VI. secundâ nominis ejus famâ, odoreque virtutum illectus, Romam citatum perscribendis epistolis, obeundisque apud diversos Principes legationibus præfecit: quibus in rebus suam adeò efficacis industriæ, exactique judicii operam probavit, ut secretioribus negotiis tanquam consilio optimus adhiberetur. Itaque quum fortem, fidelemque operam difficillimis Reipublicæ temporibus aliquamdiu navâsset, Pontifex maturatâ liberalitate (quò magis eum sibi devinciret, atque promereretur) Presbyterum Cardinalem titulo SS. Gabinij & Susannæ dixit.

Ab Urbano verò VI. Cardinalibus adscribitur.

Furente postmodùm dirissimi Schismatis procellâ Philippus Cardinalis Quadragesimæ feriis per totam Italiam Vrbani Legatus discurrens, primùm Pisis, mox Lucæ, postremò ubique locorum populis è sacrô suggestu disertissimè concionabatur, Vrbani causam uti legitimam facundo ore commendans, & Italiæ populos in ejus tum fide nutantes confirmans, atque Clementem VII. per nefas intrusum, tanquam adulterinum pontificem, totis viribus detestans & oppugnans. Eapropter non semel ab adversariis per occultas insidias impetitus, atque adeò ad necem quæsitus, evidentissima honoris & capitis discrimina incurrebat: quæ tamen ipse conscientiâ rectè facti animatus, Deique adjutoriô protectus, invictô semper spiritu usque adeò contempsit, ut nec minis, nec blandimentis ab Vrbani fide divelli potuerit.

Eidem Urbano per multa vitæ pericula usque ad obitum fidelis perstitit.

Huic Vrbanus amplissimam, edito diplomate, facultatem concessit vendendi, distrahendi, oppignorandi quæcunque Ecclesiarum bona (exceptis Castris) etiam sine Prælatorum, aut Capitulorum assensu, quando id vel suæ dignitatis ratio, vel Romanæ Ecclesiæ necessitas exigere videretur. Ursinos Principes ab Urbano fœdè dissidentes & aversos, sua dexteritate ad obsequium & fidem reduxit. Monachorum S. Pauli Romæ viâ Ostiensi collapsos mores, solutamque vivendi normam correxit, pristinoque decori, invectâ veteri disciplinâ, restituit.

Cumulatus meritis & sanctis operibus ad superos evolavit Romæ anno salutis 1384. dolente maximè Urbano, qui eo decedente Purpuratorum omnium fidissimum, suique defensorem maximum amiserat. Sepultus fuit ad Sabinam in Monte Aventino apud Patres Dominicanos.

Obitus ejus Urbano gravis.

Scripsit

Scripsit in Libros Phisicorum Aristotelis. *Scripta Ejus.*
Commentaria in Psalmos.
Aliaque nonnulla.

Ejus mentionem faciunt Panvinius in Vitis Rom. Pontiff. Contelorius in Elencho, Auberyin Vita. Annales Prædicatorum. Chronicon Pisanum. Monumenta Triultiana. Nomenclator Cardinalium. Ughellius in Italia sacra, & alii.

ANNO 1378.

SEDENTE URBANO VI. PONTIF. MAX.

De

GENTILI DE SANGRO S.R.E. CARDINALE.

GENTILIS de Sangro, natione Italus, patriâ Neapolitanus, cujus illustris familia, ex Aprutio olim derivata, inter nobilissimas Neapolitanorum Procerum vel hodiè connumeratur, vir excelsi ingenii, eloquentiæ singularis, prophani divinique Juris scientiâ apprimè instructus: qua unâ facultate ad parandam sibi senatoriam dignitatem opportunè gradum fecit. Nam eâ tempestate ejus scientiæ professores præcipuo erant in honore propter gravissimas de Pontificia dignitate disceptationes, quum dirâ Schismatis divisione gemini uno tempore summi Pontifices, fœdissimo exemplo, christianis præessent sacris. Itaque ex Protonotario Apostolico, Jurisque Consulto ab Urbano VI. lectus in Senatum titulo Diaconi Cardinalis ad S.Hadrianum, paulò pòst legatione functus est in Regno Neapolitano, illo ipso tempore, quando Carolus Dyrrachii Dux ab Vrbano ex Hungaria vocatus, Sceptrum Neapolitanum Joannâ Reginâ Seniore captâ & occisâ occupavit. Tantâ itaque Gentilis Pontificis gratiâ insignis & potens, inimicos & invidos gloriæ suæ obtrectantes facilè contemnebat. Erant enim magna, quæ ad insigne Reipublicæ commodum gesserat, quum nonnullos Tyrannos, Clementis fautores, pontificii imperii ditionem impudentissimè lacerantes, ad unum propè omnes delevisset. Nec si quid paulò acerbiùs & violentiùs gerendo bello patrâsset, quod sacro viro indignum foret, ullas earum rerum querelas, tanquam ab invidis malignè delatas, ad aures Pontifex admittebat, quum responderet: *hunc esse morem factiosarum, imperitorumque hominum, ut severitatis atque justitiæ nomen odio haberent, publicasque injurias extremâ pœnâ minimè vindicandas arbitrarentur.* Sed ut ut Gentilis in apertos Vrbani hostes rigorem atque justitiam exercuisse videri possit, exindéque non modicam laudem retulisse; certè in sacratos viros, infulis, & purpurâ insignes, nimius, ne dicam crudelis & impius, extitit. Hos enim pro lubitu sacerdotiis spoliatos, fortunisque omnibus emunctos, vel in carceres compegit, vel certè si vitam condonâsset, solum vertere exules coëgit. Fidem nobis id affirmantibus facilè adstruunt illa, quæ de austerâ ejus legatione candidi Scripto-

LXXX.

Vir genere & doctrinâ illustris viam sibi ad altiora aperit.

Sacro Cardinalium Senatui adscribitur.

Egregiè rebus commissis, sed non absque crudelitatis notâ, perfungitur.

res illius ævi memoriâ prodidêre: quorum verba, ne injurius sim, integra, minimeque mutata in medium proferam: *Cardinalis de Sangro natione Aprutius, de Baronum genere, cum Rege Carolo Legatus de latere ab Urbanô ad Regnum Siciliæ destinatus, severè nimis Archiepiscopos, Episcopos, Abbates, Presbyteros, & Clericos, qui Joanna Regina adhæserant, (aliter facere, si suis proventibus Ecclesiasticis in ipso Regno frui volebant, nequeuntes) afflixit. Multos enim ex his in carcerem conjecit, multosq́ graviter torsit, dignitatibus omnibus, sacerdotiis & postremò cunctis ipsorum bonis, nullâ ætatis, honoris, status, aut virtutis habitâ ratione, inhumaniter spoliavit. Sacrificium enim se Deo præstare existimabat, quum in miseros austerè admodùm desæviret. Quibus, ut nihil ad cumulum miseriæ deesset, alios passim sine discrimine subrogavit: ita ut unâ die triginta duos Episcopos Neapolitanos, ex his potissimùm, qui Carolo Regi in Regni acquisitione favissent, creaverit. Eos enim solos omni honore dignos existimavit. Nec his contentus, in pejora prorupit. Ad pridie enim nonas Septembris anni 1381. in Ecclesia S. Claræ, Carolo Rege præsente, multisq́ Proceribus, & civibus Neapolitanis cum immensa populi turba congregatis, Leonardum de Chifano Minoritam,* (cujus mentionem infrà n.92. facturi sumus) *& Jacobum Hidruntinum Clementis VII. Pseudopontificis Anticardinales, Casellum Episcopum Theatinum, & Abbatem Masellum ejusdem factionis, cum Reginâ Joannâ captos, coram se publicè pileos cardinalitios, pallium & cucullum Episcopalem comburere coëgit, & ad populum verba facere, palidoniamq́ recitare jussit, qua errores suos revocantes, Clementem VII. ejurarunt, & Urbanum VI. tanquam legitimum Pontificem confessi sunt. Tertio nonas Novembris generali totius Regni Concilio in Arena arcis novæ congregato, cui Rex Carolus regio vestitu inductus, & Legatus interfuerunt, lecta sunt aliquot Urbani Bullæ jussu Legati, quibus Regi Carolo Pontifex Regnum Neapolitanum Apostolica authoritate confirmabat. Ad octavas Kalendas Decembris Legatus Pontificis nomine & jussu Margaritam de Dyrrachio Reginam, Caroli Regis uxorem diademate aureo coronatam inunxit in Ecclesiâ S. Mariæ vulgò de coronata dicta, Rege & cunctis Regni Proceribus astantibus. Anno sequenti 1382 Urbani Legatus de Sangro Idibus Februarii Neapoli Beneventum versùs recessit, duos Pseudocardinales, Episcopum & Abbatem cum aliis Ecclesiasticis viris, secum captivos ducens. Quos in arce Aversana Provinciæ Aprutii in vincula conjecit, Urbani vindictæ litandos.* Hæc illius temporis Scriptores promiscuè, relati à Ciaconio & Augustino Oldoino, à quibus Theodorus Niemius (enarratis pluribus id genus exemplis, ab eodem Cardinale multa cum severitate patratis) non dissentit

Quæ Sriptores candidi de ejus sævitiâ prodant?

Anno salutis 1383. Gentilis ex inhumana legatione, spoliis deprædatorum Ecclesiasticorum benè onustus, ad Curiam rediit, ab Urbano summo honore, quasi re ad votum gestâ, exceptus. At biennio pòst (divina Nemesi talionem retribuente) cum Adversariis Pontificis, ac præcipuè cum Carolo Rege Neapolitano in Urbani necem conspirâsse deprehensus, læsæ Majestatis reus agitur. Quare xi. Januarij anni 1385. Urbani censurâ exauthoratus, inque carcerem detrusus, & acerbissimis tormentis probè excruciatus, demùm Genuæ cum aliis conspirationis sociis mense Decembri ejusdem anni securi percussus, vel potius sacco insutus, in mare percipitatus est. Atque ita in se illam ipsam Urbani severitatem, Dei permissu, exper-

Ultore Deo crudelitatis talionem recipit.

expertus est, quàm vir crudelis paulò antè Neapoli existens, in alios, fortassè insontes, rigore nimiô injustè exercuerat. Erat Gentilis staturâ procerâ, facie torvâ, nasô aquilinô, vultu denique per omnia terrorem potiùs, quàm humanitatem referente. Litterarum verò, & Litteratorum amator eximius. Composuisse traditur.

Defensorium pro Urbano adversùs Clementem.

Orationem gratulatoriam ad Carolum Regem in ejusdem inauguratione dictam. *Quæ Scripserit?*

Acta Legationis suæ, stylo, ut illa ferebant tempora, non ineleganti, sed ambitioso.

Ejus meminère Panvinius in vitis Rom. Pontiff. Aubery in Vita. Contelorius in Elencho Cardin. Monumenta Trivultiana. Angelus Constantinus in Histor. Neapolit. Bartholomæus Chioccarellus in Catalogo Antist. Neapolit. Antonius Summontius, & Jo. Baptista Caraffa in Hist. Neapolit. Theodorus de Niem. Aliiq;.

ANNO 1378.

SEDENTE URBANO VI. PONT. MAX.

De

ADAMO ESTONE
S. R. E. CARDINALE.

ADAMUS de Eston Anglus (quem Auberyus ortu nobilem, Ughellius plebejum dicit) Herefordiæ, percelebri Cambriæ urbe natus, quum eruditi & acris ingenii esset, facilè sibi viam ad summos Ecclesiæ honores doctrinâ aperuit. Adolescens Divi Benedicti institutum Norwiaci amplexus, prima non minùs vitæ regularis, quàm litterarum fundamenta inter Monachos sub optimâ Magistrorum disciplinâ jecit. Norwiacô Oxonium altioribus studiis imbuendus missus, confectô feliciter Theologiæ curriculô, eandem facultatem ibidem post adeptam Lauream, obtentamque Cathedram magistralem secundâ sui nominis famâ aliquamdiu docuit. Non modò Latinam, sed & Græcam atque Hæbraicam linguam exactissimè callens, multa, quæ ad Hæbraicam facilitandam spectant, eruditè conscripsit. Fortunâ igitur comite, ac virtute duce à Richardo II. Angliæ Rege ad Archiepiscopatum Londinensem evectus, Romamque missus, paulò post ab Urbano VI. egregiis ejus animi dotibus capto, instante maximè Rege, inter presbyteros Cardinales titulo S. Cæciliæ adlectus est. Romæ existens, cùm frequentiùs literas notis arbitrariis scatentes ad Carolum Dyrrachium exararet, eæque ab observantissimo Pontifice semel atque iterum interceptæ, nec quid sibi vellent, quidvè innuerent, ab ullo vel diligentissimo interprete explicari possent, in suspicionem commutatæ fidei, initæque conspirationis apud Pontificem venit. Eapropter cum aliis quinque Cardinalibus apertæ proditionis reis, Luceriæ anno salutis 1385. Urbani jussu captus, graviterque tortus, cùm nihil ab eo, quod conspirationem saperet, erui

LXXXI.

Ejus primordia.

Archiepiscopatu Londinensi, mox purpurâ donatur.

Initæ conspirationis suspectus, carceri mancipatur, graviterq; torquetur, & honoribus spoliatur.

erui posset, reliquis mactatis, ipse in vinculis detentus est. Tandem in gratiam Richardi Regis, multùm de ejus vita solliciti, & quod nihil aliud peccâsset, quàm quòd Pontificem intolerabilis fastûs, & sævitiæ insimulâsset, vel (ut alii habent) quòd sciens conjurationem non detexisset, ac satis jam pœnarum suæ taciturnitatis expendisset, dimissus est sub custodiâ cujusdam Clerici Cameræ Apostolicæ Galli, depositus tamen à Cardinalatu, & Sacerdotiis privatus.

A Bonifacio IX. libertati ac honoribus restituitur, & Angliæ commendatur.

Vrbano VI. circà annum 1389. venenô sublato, Bonifacius IX. Successor, in primordio sui Pontificatûs Regi gratificaturus, eum carcere exemptum, insontemque declaratum, dignitatibus omnibus restituit, ac cùm in Angliam properaret, Apostolicis litteris magno Regni Angliæ conventui, uti virum Ecclesiæ utilem, pium, ac doctum, impensè commendavit.

Cùm verò sub annum 1396. Richardus Joannem Henricum Lancastrii patrui filium ob quædam in se dicta, (quibus ob nimias exactiones seditionem moliri attentaverat) bonis Fisco adjudicatis in exilium conjecisset; ipseque paulò pòst à Baronibus Regni, Richardum exosis, revocatus motâ seditione illum cæpisset, ac in carcere diu detentum fame tandem enecâsset, Adamus Richardi partibus addictus, tumultum juxtà ac vitæ periculum declinaturus, convasatis rebus Romam se contulit, ubi intemperantiùs studiis, ac elucubrationibus intendens, contractô paralysis morbo, non planè senex vivis excessit XIII. Kalend. Novembris Anno salutis 1397. tumulatus ad S. Cæciliam, cujus titulum Cardinalis gesserat, cum hâc sequenti inscriptione.

Romam reversus moritur.

D. O. M.

ADAMO ANGLO TIT. S. CÆCILIÆ PRESBYTERO CARDINALI, EPISCOPATUS LONDINENSIS PERPETUO ADMINISTRATORI, INTEGRITATE VITÆ, DOCTRINA, ET RELIGIONE PRÆSTANTI.

Ejus Epitaphium.

Artibus iste Pater famosus in omnibus Adam,
Theologus summus Cardiquenalis erat.
Anglia cui patriam, titulum dedit ista Beata
Ædes Cæcilia, mors q́, suprema Polum.
Anno M CCC XCVII. *XIII. Kalend. Novembr.*

Tradunt ferè omnes Angli Authores, qui de Adamo scripsêre, Urbanum morti proximum palam de Adami innocentiâ testatum, vehementer ob illum malè habitum indoluisse; utque veniam commissorum moriturо concederet, submissis oratoribus postulâsse.

Ejusdem varia Scripta.

Scripsit vir doctissimus plurima cùm sacra tum prophana, quorum hic ego indicem attexo: nimirùm

Officium Festi Visitationis B. Virginæ Mariæ, ab Urbano VI. in Schismatis remedium & extinctionem instituti, & à Bonifacio XI. confirmati.

De communicatione Idiomatum.
De Potestate Ecclesiæ.
De Electione Pontificis.
De calamitate sua.
De Perfectione vitæ spiritualis.

De

De modo conferendi beneficia.
De Forma procedendi contra Hæreticos.
De Diversitate Translationum.
De Veritate Catholica Græcè.
Defensorium Ecclesiæ.
Opus vitæ contra Hæreticos.
Dialogum Regis & Episcopi.
Alphabetum Judæorum.
Textum Hæbraicum Bibliorum.
Postillam Hæbraicam.
Psalterium Hæbraicum.
Expositionem Levitici.
Hæbraica Sarraceni.
Hæbraica Jarchi Salomonis.

Denique Libros omnes Meteorum Aristotelis latinitate donavit, eosdem etiam ad plurimorum instantiam in Hæbraicam linguam traduxit.

Ejus meminère Nicolaus Harpsfildius in hist. Anglic. Ecclesiasticâ. Joannes Pitsæus de Scriptor. Ecclesiast. Anglicanis. Godewinus de Episcopis Angliæ. Theodorus de Niem de Schismate lib. 1. cap. 41. Henricus Spondanus in Annal. Hippolytus Marraccius in Purp. Mariana. Aubery in Vita. Antonius Summontius in Hist. Neapolit. Nomenclat. Cardinalium. & Alii.

ANNO 1378.

SEDENTE URBANO VI. PONT. MAX.

De

ADOLPHO COMITE ANAXOVICANO S. R. E. CARDINALE.

ADOLPHUS Comes Anaxovicanus, nobilissimo in Germania sanguine ortus, anno Christianæ salutis 1372. ob conspicuum eruditionis, prudentiæ, gravitatis, omniumq; vel selectissimarum virtutum apparatum concordi Canonicorum suffragio Spirensis Episcopus electus, novem annorum spatio sedem illam integerrimâ nominis famâ rexit. Pastorale siquidem munus gnaviter obeundo (ut illius ævi Scriptores attestantur) indefessam sedulitatem ac vigilantiam; in dirigendis animalibus singularem dexteritatem & zelum; in Sacerdotibus gubernandis, atque à vitiis ad virtutes provehendis eximium fervorem & prudentiam, in laboribus denique tolerandis, difficultatibusque superandis, quibus penè obruebatur, invictam animi constantiam, quoad vixit, præsetulit. LXXXII.

Sanguine, Virtutibus, & eruditione clarus.

Episcopus Spirensis eligitur.

In ipsis Sacerdotii sui auspiciis Spiram rebellem ac seditiosam habens, fretus auxiliis Archiepiscoporum Coloniensis ac Treviren-his, suæque familiæ potentissimis armis suffultus, imperata facere coëgit, Henrico à Landaw nobili & opulentissimo cive Spirensi, seditionis authore, post publicata ejus bona, urbe in perpetuum exilium

Spiram rebellem domat.

Authorem seditionis in exilium agit.

Archiepiscopus Moguntinus eligitur non tamen, nisi mortuo Æmulo, admittitur.

lium ejecto. Exinde Joanne Duce Lucemburgensi Archiepiscopo Moguntino, Caroli IV. Imperatoris ex fratre nepote mortuo, unanimi totius Cleri Moguntini adsensu & voto viduatæ Sedis Archiepiscopus designatus est: contra quem Gregorius XI. Romanus Pontifex Ludovico Misniæ Marchioni, Episcopo Bambergensi (quem Moguntinis ipse Pastorem, connivente maximè Carolo IV. Imperatore, destinarat) suffragabatur, eique honorem hunc, reprobatâ Adolphi electione, omninò sub anathematis & interdicti comminatione deferri volebat. Adolphus igitur Moguntinam urbem accedere, illicque sedem figere à Pontifice prohibitus, Spirensem sedem (nullâ in contrarium motâ lite) retinuit.

Adolphi Æmulus cœlesti igne consumitur.

At anno à partu Virginis 1380. Ludovicô æmulô, cœlesti igne, dum pontificiæ dignitatis immemor, ludicris puellarum, mulierumque choreis & amoribus vacaret, absumptô, Moguntiam vocatus, summo Cleri populique studio eâ in sede confirmatus est: Spirensem interim Cathedram Nicolao cuidam ab Urbano VI. in Episcopum designato liberam relinquens.

Oblatam ab Urbano purpuram recusat.

Anno verò 1385. cùm Urbanus Pontifex Genuæ agens aliquot Cardinales, conjurationis in se conceptæ reos, extremô suppliciô affecisset, horum vacantem purpuram aliis conferre desiderans, Adolphum virtutum famâ ubique decantatum, absentem quidem, nihilque tale tum cogitantem, inter primos sacro senatui adscripsit. Ille quieti potiùs quàm ambitioni studens, dictis Urbano gratiis, ultrò collatam dignitatem modestissimè recusavit, fortasse ob Schisma tum vigens Urbanum inter & Clementem VII. dubius quis illorum verus, legitimusque Pontifex esset? eâque de causâ ab illorum neutro pallium Archiepiscopale petere, aut accipere unquam voluit: ne ab illius, à quo accepisset, partibus stare; atque adeò alteri, quem præteriisset, sinistrè de se opinandi ansam præbere videretur.

Moritur Heiligenstadii.

Mortalitatem exuit Heiligenstadii initio mensis Februarii anno dominicæ incarnationis 1390. multis virtutibus, ac præcipuè liberalitate in pauperes clarus, Moguntini Pontificatûs anno decimo.

Nulla hujusce Adolphi mentio apud Panvinium, qui in serie sex Cardinalium Germanorum, qui pileum recusantes, dignitatem accipere noluerunt, hunc prætermittit, & loco illius Ludovicum de Misna Archiepiscopum Moguntinum, Adolphi in Cathedra, ut diximus, æmulum substituit. Sed Felix Contelorius Panvinio longè oculatior magisque accuratus, de Cardinalibus scribens, ex monumentis Vaticanis, sæpius à se inspectis & lectis, probat non Ludovicum, sed Adolphum ab Urbano Cardinalibus adscriptum. Contelorio adstipulantur ferè omnes, qui de Cardinalibus ingenuè scripsêre.

Ejus Scripta.

Scripsit de Concordia Principum.
De bono Pacis.
De interitu Ludovici æmuli.

De eo agunt Gaspar Bruschius de Episc. Germaniæ. Nicolaus Serarius de Rebus Mogunt. Ciaconius in vita. Andreas Victorellus & Augustinus Oldoinus in Notis ad Ciaconium.

ANNO

ANNO 1378.
SEDENTE URBANO VI. PONT. MAX.

De LANDULPHO MARAMAURO S. R. E. CARDINALE.

LANDUPHUS Maramaurus (aliis Maramaldus) nobilis Neapolitanus, vir doctrinâ cumprimis, rerumque gerendarum peritiâ celebris. Is ex Archiepiscopo Barensi Diaconus Cardinalis S. Nicolai in carcere ab Urbano VI. creatus, paulò pòst ab eodem, tanquam Regis Caroli fautor, proditæque majestatis reus, cardinalitia dignitate, simul ac Barensi Archiepiscopatu spoliatus est. Urbano sub annum 1389. extincto, Bonifacius IX. Successor initio Pontificatûs Senatum restauraturus, Landulphum unà cum Adamo Anglico, & Bartholomæo Mediavacca (de quibus n.77. & 81.) dignitatibus & Sacerdotiis, quibus decretô Urbani exciderant, restituit. Variis postmodùm, iisque gravissimis legationibus pro Ecclesia Romana perfunctus, primùm maximâ cum potestate Legatus fuit Æmiliæ, Florentiæ, & in omni ditione, ac oppidis Antonij Geltrij, Pandulphi & Galeotti Malatestarum, qui de Urbinatium imperio decertantes, bellumque periculosum ac atrox inter se gerentes, Bonifacium Romanum Pontificem controversiarum illarum arbitrum elegerant, quibus cognoscendis ac terminandis anteà missus Joannes Caracciolus, parùm profecerat. Ejus enim sententiâ, quam ambæ partes publicatam asportaverant, neglectâ, nec mutua odia remissa erant, nec bellum inter eos gliscens extinctum, donec Landulphus Maramaurus, ex compromisso Mediator constitutus, instauratô judiciô, causam reassumptam, ventilatamque ex partium votô definiret. LXXXIII.

Ab Urbanô purpurâ donatur, & mox privatur eâdem.

A Bonifaciô IX. honoribus restituitur.

Variis Legationibus pro Ecclesia fungitur.

Post hæc in utraque Sicilia, citra & ultra Pharum legationis onus ab eôdem Pontifice sustinuit, tanto quidem rerum successu & emolumento, ut seditionem, quæ tum maximè cruenta discordes Siculos afflixerat, invectâ pace sustulerit. Exinde in Regnum Neapolitanum digressus, Ladislaum Regem ac Regni proceres feralibus odiis inter se dissidentes, omnium controversiarum componendarum à Pontifice arbiter datus, sublato dissidii fomite, arctissimo fœdere & amicitia conjunxit, Regnumque tot belli fluctibus hactenùs jactatum, suâ operâ pacavit.

Regnum Neapolitanum seditione sublatâ pacat.

Landulphus post mortem Bonifacii ex calculi doloribus sub annum 1404. erepti, ab Innocentio VII. recens suffectô, legatione Perusiana honestatus, eidem urbi usque ad Gregorii XII. pontificatum præfuit. Cùm verò Gregorio varia in sacrum Senatum molienti, protervius atque deceret, obsisteret; eoque pœnitùs abdicato, Pisas ad inchoandum concilium cum aliis Cardinalibus profectus

A Gregorio XII. exauthoratur.

 esset

esset, à Pontifice id indignè ferente exauthoratus est. Sed Patrum decretô paulò mox restitutus, inque Germaniam ab utriusque obedientiæ Cardinalibus ad Principes & Antistites ad Synodum Pisanam invitandos Legatus missus, Francofordiam venit circà festum Epiphaniæ anno salutis 1409. Erant tum ibi Rupertus Rex Romanorum, Archiepiscopi Moguntinus & Coloniensis, aliique quamplurimi Præsules ac Proceres, nec non Francorum & Angliæ Regum, aliorumque Principum & civitatum Oratores in unùm congregati ad tractandum de unione Ecclesiæ, deque abolendo Schismate, occasione litterarum publicarum à Cardinalibus de sua secessione, & ad Synodum invitatione scriptarum. Ibi Landulphus in amplissimo consessu, virili facundiâ usus, dilaudatô eorum in Ecclesiam studiô, Principibus facilè persuasit ad indictam Pisis Synodum proficiscendi, publicæque fidelium saluti, quæ ob dubios Pontifices magnoperè periclitabatur, consulendi.

Sed à Concilio Pisano restituitur, & in Germaniâ Legatus mittitur.

Novissimè Joannis XXIII. anno Pontificatûs primo, Christi verò 1410. ad Castellæ, Legionis, Arragoniæ, Navarræ, Granatæ, ac totius Hispaniæ Regna pro resarciendâ Ecclesiæ unione, opprimendoque Schismate legationem obivit, cum facultate Petrum de Luna Pseudopontificem (si is quidem resipiscere vellet) ad obedientiam recipiendi, vel aliquam saltem concordiæ viam cum eo ineundi: quamquàm obsurdescente ad salutaria Petro, nihil, quod Ecclesiæ conduceret, sit actum.

Legationem in Hispaniis suscipit.

Illo ipso tempore, quo Landulphus Apostolicas vices in Hispania gereret, duo Sodales ex Minorum Ordine Hispani (Joannes unus à Cetina, Petrus alter de Duennas dictus) fidei Christianæ inter Mauros Granatenses propagandæ studio incensi, dimissoriis litteris à Landulpho impetratis, Granatam adeuntes, conciones publicas in magna populi frequentia habere aggressi sunt. Moniti à Magistratu, & summo illorum Sacerdote, ut à cœptis periculosis desisterent, adduci non potuerunt, ne verberibus quidem affecti. Adveniente eorum Rege Mahomede, qui bellis distentus principiô aberat, variè tentati, post diros cruciatus ab ipsomet Rege capite truncati sunt: corpora diversis injuriis affecta, à Christianis occultè collecta, & in Cataloniam translata sunt.

Duo Minoritæ fidei causâ à Maurorum Rege capite plectuntur.

Interfuit Landulphus Comitiis Innocentij VII. Gregorij XII. Alexandri V. & Joannis XXIII. & quidem sine ullâ labe in Pisani Concilij conflictu virum se integerrimum præbuit. Demum Constantiam cum Joanne Pontifice ad generale Concilium profectus, non multò post ejusdem Pontificis abrogationem eò loci, ubi ad eam diem summæ virtutis, constanti omnium testimonio, specimen dederat, XVII. Kalend. Novembris anno nostræ salutis 1415. rebus humanis excessit, ad Prædicatores magno omnium mœrore sepultus.

Constantiæ in Germaniâ moritur.

Eminebat in Landulpho eruditum & grave perspicacis ingenij judicium, quum rerum omnium, politiæ præsertim & litterarum intelligentiâ polleret. Neque enim virum publicis negotiis destinatum, absolutæ virtutis & gloriæ famam adipisci posse prædicabat, nisi litterarum præsidio munitus, omnis ætatis historias & instituta percalleret. Propterea peculiari propè studio in curiam sibi viros asci-

Vir fuit egregius, & doctus, Litterarumque cultor eximius.

asciverat, non optimorum modò studiorum, sed nobiliorum etiam artium laude insignes, quorum consuetudine legendo & disputando mirum in modum oblectabatur. Quidquid enim otii è gravissimis occupationibus suffurari poterat, id totum evolvendis cùm sacris tum prophanis libris impendebat; multusque visebatur in ea Bibliotheca, quàm exquisitis libris, nullo deterrente sumptu, refertissimam esse curaverat.

Scripsit egregium Volumen de Schismate abolendo, duas in partes divisum, in quarum prima detrimenta Schismatis exaggerat, in altera concordiæ bona dilaudat. *Quæ scripserit?*

Agunt de eo Panvinius in Vitis Pontiff. Aubery in vita. Contelorius in Elencho Cardin. Jo. Baptista de Tufo in hist. Cleric. Regul. Hieronymus Garimbertus in vitis Pontiff. & Cardinalium. Antonius Summontius in hist. Neapolit. Monumenta Trivultiana. Antonius Beatillus in historia Barensi. & Alii.

ANNO 1378.

SEDENTE URBANO VI. PONTIF. MAX.

De

FRIDERICO SARWERDENSI
S.R.E. CARDINALE.

LXXXIV.

FRIDERICUS Comes Sarwerdensis, nobilissimus Germanus, Cunonis à Falckenstein Archiepiscopi Trevirensis (de quo proximè infrà) nepos ex sorore: vir à litteris, & virtutibus, quibus ad invidiam usque nitebat, multùm commendatus. Legum peritiâ, Judicij acrimoniâ, æquitate, prudentiâ, consiliô, gravitate, & si quæ aliæ in viro principe animi dotes requiri possunt, apprimè instructus. Hoc virtutum cumulô, cui maximè oris venustas, & decentissimus corporis habitus accedebat, nemini non gratus, ex Canonico, ætate adhuc Juvenis, conspirantibus Collegarum suffragiis, anno salutis 1370. Archiepiscopus Coloniensis est designatus: cujus electionis confirmationem unà cum muneribus & litteris gratulatoriis obtinuit à Gregorio XI. cum quo olim Bononiæ in Italia Jurisprudentiæ operam dederat. *Virtutum omnium cumulo ornatus, Archiepiscopus Coloniensis designatur.*

Renunciatus Archiepiscopus tres ordine Imperatores, Wenceslaum scilicet, Rupertum, ac Sigismundum electos collatis Aquisgrani Imperij insignibus consecravit. Cathedram Coloniensem, saluberrimis editis statutis, quatuor supra quadraginta annos integerrimè, sanctissimeque moderatus est. *Erat enim*, ut illius temporis Scriptores adfirmant, *Princeps humanissimus, moribus placidus, vitâ integer, sobrius, frugalis & continens; æqui, rectiq; tenax, in calamitosos misericors, pupillorum ac viduarum defensor eximius, orationibus & jejuniis assiduè intentus, in Curia praxi versatissimus, in dandis responsionibus cautus & argutus.* *Tres Ordine Imperatores Augustali Diademate exornat.*

Præclaris hiscè animi dotibus exornatum Urbanus VI. horridâ illâ rebellium Cardinalium Ianienâ perfunctus, anno salutis 1385. purpurâ sacrâ donavit, ac Presbyteris Cardinalibus, nullo ob ab- *Oblatam purpuram recusat.*

 sentiam

ſentiam titulo aſſignato, adſcripſit. Verùm laudatiſſimus Princeps, ab omni remotus ambitione, oblatam dignitatem (ne exuviis ſpoliatorum occiſorumque Cardinalium gloriari diceretur) religioſâ modeſtiâ recuſavit.

Ejus obitus. Multis denique virtutibus conſpicuus, ac præclaris meritis cumulatus fato conceſſit Coloniæ Ubiorum circa Chriſti annum 1414. Septuagenario major: tumulatuſque maximo in Templo, abs ſe ſplendidiſſimè ornato, ut totâ ſacrâ Æde inſtar ampliſſimi ſepulchri vir incomparabilis, nequaquam anguſtô loculô tegeretur, cum hoc brevi quidem, ſed longè omnium, qui inſcribi poſſint, honeſtiſſimo titulo:

Epithaphium & Scripta.

FRIDERICUS ARCHIEPISCOPUS HIC SITUS EST,
CLERI DECUS, PRÆSULUM NORMA, PATRIÆ PATER.

Edidit egregia ſtatuta, quæ ad Cleri, populique reformationem pertinent.

Sermones aliquot de tempore.

Hymnos de Sanctis tres.

Ejus meminère Gaſpar Bruſchius de Germaniæ Epiſcopis. Panvinius in Vitis Pontiff. Contelorius in Elencho Cardinalium. Ciaconius in Vita. Ughellius & Oldoinus in addit. ad Ciaconium. Nonnulliq; alii.

ANNO 1378.

SEDENTE URBANO VI. PONTIF. MAX.

De

CUNONE A FALCKENSTEIN S.R.E. CARDINALE.

LXXXV

CUNO, aliàs Simon, Germanus, ex opulenta & nobili familia de Falckenſtein ortus, Friderici Archiepiſcopi Colonienſis, (cujus numero prædecenti mentionem ingeſſimus) patruus, non tam Collegarum quàm propriorum ſuffragiô meritorum, accedente maximè populi clamore & ſtudiis electus eſt Archiepiſcopus Trevirenſis anno reparatæ ſalutis 1368. Ampliſſimæ dignitati, ſi quis alius, maximo, dum vixit, ornamento exiſtens, ſumma cum laude, rerumque emolumento præfuit annis minimùm viginti. Erat enim, ut illius temporis Annales loquuntur, vir impiger ac ſtrenuus, labori aſſuetus, humanus, comis & mitis; ingenio & conſilio acutus; doctrinâ & pietate inſignis; qui à naturâ optimè comparatâ ad regimen natus videbatur. Vigebat in eo, præ cæteris animi dotibus, facundia quædam illuſtris, nonnullis liberalis doctrinæ præceptis temperata & gravis, quam oris & corporis habitus apprimè generoſus & excellens magnoperè commendabat. Quibus dotibus conjuncta erat congreſſûs & alloquij nunquam fucata facilitas, ut humaniter reſponſa daret plena gravitatis & æquitatis: in neminem iratus aut aſper, utpote qui ſubamara & ingrata

Archiepiſcopus Trevirenſis, omnium plauſu eligitur.

Virtutes ejus fuſius enarrantur.

ingrata his, qui peterent, quôdam sobriæ jucunditatis lepôre mitigare consuêsset. His moribus per multos annos imperium, annexasque dignitati provincias cum insigni gloriâ sui nominis rexit, consilio potiùs semper usus, quàm expeditis armis, quòd ex miti naturæ complexione vir minimè bellicosus, ab armorum strepitu studiôque facilè discessisset, dicereque soleret: *Scriptoris calami, quàm ferri aciem plerumq́ efficaciorem habere vim in gerendis, administrandisq́ bellis, quæ ad præliorum incertam aleam, vel multâ cum ratione deducta, inopinatas sæpè calamitates dimicantibus importarent* : ea propter à subditis, sibi vel hoc nomine multùm addictis, non facilè alio, quàm *Principis pacis* titulo cohonestatus, & appellatus est. Atque his institutis, hisque consiliis, quum arridente fortunâ singularem non inanis gloriæ suæ fructum perciperet, & foris prudentiæ nomine magnus, clarusque haberetur, facilè sibi viam ad altiora, licèt non appeteret, stravit. Nam anno salutis 1385. ab Urbano VI. Romano Pontifice (quem Cunonis merita, nullo non loco effusè decantata, minimè latebant) unà cum Moguntino & Coloniensi Archiepiscopis inter S.R.E. presbyteros Cardinales cooptatus, rubrum pileum, confirmatæ dignitatis indicem, transmissum admisit quidem in conspectum, sed mox eundem, ad exemplum Friderici nepotis, aliorumque principum Germanorum, eò, unde venerat, remisit. Non quòd eminentissimam Ecclesiæ dignitatem fastidiret; aut æstimabilem Urbani gratiam contemneret, sed ne Urbani æmulo Clementi, qui furenti similis in quoscunque Urbano addictos desævire consueverat, insurgendi in se, atque adeò turbandæ pacis occasionem & ansam præberet. Suo igitur honore & infula contentus, purpuræ dignitatem, dictis Urbano gratiis, modestissimè, uti diximus, recusavit, & quod reliquum vitæ supererat, sanctis operibus, & factis viro principe dignis, nobilitavit, conclusitque.

Titulò Principis pacis cohonestatur.

Oblatam purpuram, amore pacis, recusat.

Cæterùm multiplex illi elogium ab illius ævi Scriptoribus tribuitur; pacifici, mitis, probi, circumspecti, sapientis, & humilis; adduntque Juris utriusque consultissimum fuisse, multumque doctorum consuetudine & colloquiis virorum delectari solitum, cùm & ipse singulari in dicendo facundiâ & arte præstaret: quemadmodùm cultissimæ ejus Orationes, tum ad Principes in comitiis; tum ad Clericos in Synodis; tum ad populos in templis habitæ luculenter evincunt. Simoniacam labem, Cleri incontinentiam, populi dissolutionem acerrimè insectatus est semper. Ecclesiasticæ libertatis ac jurium ditionis suæ defensor ac propugnator egregius. His pontificiis virtutibus & ornamentis insignitus, nulli non principum & subditorum charus extitit & venerabilis.

Magnis laudibus à Scriptoribus extollitur.

Supremum diem obiit laudatissimus Antistes Confluentiæ ad Mœnum anno nostræ salutis 1388. Trevirensis gubernationis anno vigesimo: magnificè sepultus ad S. Castorem.

Obitus Ejus, & Scripta.

Scripsit Sermones varios, quos
Ad Principes in Comitiis.
Ad Clerum in Synodis.
Ad populum in Templis recitavit.

Ejus meminére Bruschius de Episcopis Germaniæ. Felix Contelorius in Elencho Cardinalium. Panvinius in Vitis Roman. Pontiff. Ciaconius in vita. Ughellius, & Oldoinus in addit. ad Ciaconium.

ANNO 1378.
SEDENTE URBANO VI. PONT. MAX.
De

ARNOLDO AB HORN
S. R. E. CARDINALE.

LXXXVI.

ARNOLDUS ab Horn, Germanus Leodiensis, illustri Comitum Hornanorum stirpe satus, ex Ultrajectensi Sede ad Leodiensem ab Urbano VI. translatus est anno redemptionis humanæ 1378. Defunctô enim Joanne de Arkel Præsule, Urbanus Romanus Pontifex, tum ut jus veri sui Pontificatûs (non obstante Ecclesiæ scissurâ) Leodiensibus aperiret; tum ut Ecclesiæ Leodiensi de Episcopo grato, & maximè pro rerum Leodiensium statu idoneo provideret, Arnoldum hunc, tunc temporis in Curia Romana existentem, annos natum circiter XL. viribus corporis & animi pollentem, Jurisprudentiæ, sicut & rei militaris apprimè peritum, Episcopum Leodiensem nominavit, ut Ecclesiæ illius jurisdictionem in pace conservaret, & belli tempore adversùs hostiles invasiones defenderet.

Roma existens ab Urbano Episcopus Leodiensis nominatur.

Dum hæc Romæ ab Urbano peraguntur, Canonici Leodienses vel rerum nescii, vel contemptores quinto ab obitu Joannis Arkelij die concordibus sententiis in Episcopum Leodiensem elegerunt Eustachium Pensandum de Rupeforti, Canonicum ejusdem Ecclesiæ, virum alti sanguinis & spiritûs. Nec longâ pòst morâ Legatos in Italiam expediunt ad Clementem VII. Pseudopontificem, Willhelmum de Volen Vicedecanum Leodiensem, & Abbatem novi Monasterii Hoyensis, aliosque primarios viros ad impetrandam factæ electionis confirmationem: qua (numerato ære) impetratâ, Arnoldus Româ redux, prævalente maximè Æmulo, non est admissus.

Eidem à Canonicis Leodiensibus Eustachius Pensandus electus opponitur, & à Clemente Antipapâ confirmatur.

Inter hæc orta est inter Pensandum Pseudo-episcopum, & Waltherum de Rupe forti Pensandi fratrem, ejusdem Episcopatûs (ut vocant) Mambrunum, hoc est Præsidem, gravis simultas in causâ proventuum mensæ Episcopalis. Contendebat enim Waltherus, illos interim, donec legitimè confirmatus esset Episcopus, ad se veluti Mambrunum spectare. Ille è contra, & se legitimè confirmatum, & fructus omnes hactenùs decursos suos esse asserebat. Vigentem hanc inter fratres controversiam cùm nemo facilè dirimere vellet aut posset, Waltherus, abdicato fratre, Arnoldo accessit. Pensandus quò se firmiùs in adepta sede adversùs æmulum muniret, fœdus cum Wenceslao Brabantiæ Duce, Archiepiscopo Coloniensi, & Duce Juliæ iniit. Id indignè ferentes Leodienses submissis extemplò

Waltherus Pensandi frater ob simultates Arnoldo accedit, & favet.

templò

templò nunciis, Arnoldum recèns ab Urbano ad Episcopatum illum evectum advocant, fidem, obedientiam, opemque omnem adversùs periculosas Pensandi molitiones promittunt. Ille igitur non tam Leodiensium votis gratificaturus, quàm suis etiam rebus consultu-rus, anno 1378. paulò ante Pervigilium Natalis Domini cum Ludovico fratre, splendidoque multorum Patriæ nobilium, ac Procerum comitatu, Leodium sub faustâ civium acclamatione ingreditur; susceptôque fidelitatis sacramentô, ab universô Clero & Magistratu, sub compulsu æris campani Episcopali in Sede collocatur.

Leodienses pariter Arnoldo studet.

At cùm variantibus paulatim studiis, rem plenam periculi, nec nisi multorum sanguine stabiliendam agnosceret, si provisionem ab Urbano sibi factam provisioni Clementis Pensando factæ præferret, quòd Leodii factiosi non deessent, qui Clementi studerent; nec in vicinis Brabantiæ locis certum usquequaque esset Urbanum verum esse Pontificem, hoc temperamentum iniit: ut jam non se Episcopum Leodiensem profiteretur, sed Mambrunum, maximè quòd in agro Ultrajectensi sopiendis quorundam Geldrorum motibus adhuc detineretur.

Arnoldus seditionem metuens, tempori servit, & Ultrajectum concedit.

Placuit Leodiensibus sagax viri prudentis consilium. Rebus itaque in Urbe constitutis, designatôque sui loco Mambrunô Ludovicô fratre, ipse cum selecta militum manu Ultrajectum concessit. Pensandus id resciens, coacto properè confœderatorum exercitu, Trajectum ad Mosam movet: locum aggreditur, expugnat, eôque potitus Primarios Urbis viginti quatuor, quòd Arnoldo per Urbanum creato adhærerent, publicatis eorum bonis in exilium proscribit. Inde se recipiens furorem & arma in omnes patriæ Leodiensis partes diffundit; deprædicationes, incendia, cædes quaquaversùm agit; atque obvia quæque (ne sequiori quidem sexui parens) more hostium depopulatur.

Pensandus coacto exercitu Ultrajectum expugnat, & Leodiensium fines depopulatur.

His exacerbati Leodienses, adunato concilio, Pensandum tanquam Patriæ hostem & proditorem sacrilegum, Episcopatu excidisse publicâ præconis voce edicunt: ejus signa in unum collecta in maximâ Urbis areâ cum execratione concremant: fautores, suspectosque de fide partim in vincula & carceres compingunt; partim exilio & ære mulctant; factiosos denique, & apertos patriæ hostes (nullâ interveniente gratiâ) vel capistrô collidunt, vel securi percutiunt. Arnoldum verò Episcopum communi acclamatione, tanquam à legitimo Pontifice Urbano datum, gratulabundis vocibus acceptant, fortunam, vires, vitamque in ejus obsequium offerunt, & consecrant.

Leodienses exacerbati Pensandum Episcopatu pellunt, & Arnoldum recipiunt.

Anno igitur sequenti 1379. die S. Severino sacrâ, insigni ducentorum & ampliùs nobilium comitatu stipatus Arnoldus Leodium ingressus est, non jam ut Mambrunus, sed ut Episcopus Princeps, ac solemnibus cum Capitulo & Magistratu sacramentis servatis, duplex Diploma alterum ab Urbano in causâ Episcopatûs; alterum à Cæsare Wenceslao in causâ Regalium concessum, Capitulo exhibuit. Episcopus autem & Princeps celebri pompa inauguratus, ut pacificum regiminis sui initium haberet, cum Duce Brabantiæ, de cujus sanguine ex latere materno prodierat, & Duce Juliæ,

Arnoldus Leodium cum pompa ingreditur, & Episcopus salutatur.

Pensandus Antipapæ opem implorat: sed nihil proficit, denique inglorius moritur.

pari propinquitate sibi juncto, amicitiæ & pacis fœdus percussit. Pensandus utriusque se Principis confœderati favore derepentè dejectum conspiciens, Clementis Antipapæ, ejusque adhærentium opem (sed in cassum) imploravit. Clemens quidem nihil cunctatus Arnoldo sacra interdixit, & ni mox Pensando Episcopatu cederet, sacri etiam terrorem fulminis adjecit. Verùm Arnoldus Urbani fretus auctoritate, Principumque confœderatorum armis suffultus, vana Clementis Antipapæ terriculamenta facilè contempsit. Quare Pensandus desperanti similis, quum nihil proficeret, relictâ dignitate prætensâ, vitam inglorius privatam egit, ac paulò pòst ex dolore irritæ spei fato concessit: sæpè dolens, & in luctu gemens, quòd opinione suâ deceptus, Clementi summæ Sedis Usurpatori iniquè adhæsisset.

Arnoldus suâ in Sede confirmatus legationem suscipit in Angliâ.

Urbani causam defendit & Cardinalis creatur. Quarto post anno moritur.

Arnoldus compresso Æmulo, sedatisque tumultibus Leodii exortis, in Angliam, ut pacem Regem inter & Ludovicum Flandriæ comitem componeret, profectus, ab ambitioso & à pacis nomine abhorrente Rege nihil obtinuit. Igitur re infecta Leodium rediens, ut suis deinceps rebus consuleret, civiumque animos promereret, munificam, liberalem, piam, cæterarumque virtutum concursu nobilem vitam instituit, atq; inprimis Urbani causam, ubi ubi posset, adversùs Clementis asseclas scriptis & armis pugnacissimè defendit: à quo denique in vicem gratitudinis Presbyteris Cardinalibus adscriptus, multisque privilegiis & muneribus excultus, quarto post adeptam purpuram anno (qui fuit Christi 1389.) ex enato inter scapulas lethali apostemate, mortali vita decessit Leodii, anno ætatis suæ quinquagesimo secundo, regiminis verò undecimo. Corpus ejus per defluum Mosæ in agrum Hornensem delatum, celebri pompâ in Monasterio nobilium Virginum Ordinis Cisterciensis, cui nomen Keyserbos, à Majoribus suis fundato, honorificè tumulatum fuit.

Quæ scripserit?

Scripsit Apologum pro Urbano contra Clementem.
Defensorium sui adversùs Pensandum.

Ejus meminère Panvinius in Vitis Pontiff. Contelorius in Elencho. Joan. Chapeavill. de gestis Pontiff. Leodiens. Rudolphus de Rivo de Episc. Leodiens. Ciaconius in vita. Oldoinus in addit. ad Ciaconium.

ANNO 1378.

SEDENTE URBANO VI. PONTIF. MAXIMO.

De

WENCESLAO PRINCIPE
LIGNICENSI
S. R. E. CARDINALE.

LXXXVII.

Regia & egregia tanti viri incunabula.

WENCESLAUS Principis Lignicensis Boleslai, regia stirpe Poloniæ Regum orti filius, natione Germanus, à teneris annis pietate, disciplinis, & optimis moribus institutus, nobilitatem, quam à parentibus acceperat amplissimam, vir-

virtutum splendore, doctrinæ radiis, Religionis & Justitiæ zelò longè reddidit illustriorem. Annum agens ætatis trigesimum, duos nobilissimos Episcopatus, Lubricensem primò, deinde Uratislaviensem ab Urbano VI. virtutum ejus famâ commoto obtinuit. In his dignitatibus absoluti juxtà ac optimi Præsulis partes agens, durante Schismate, pro Urbano legitimo Pontifice contra intrusum Clementem VII. immotâ fide & obedientiâ stetit: quare ab eodem circa salutis annum 1385. Presbyteris Cardinalibus absens adlectus, post longam deliberationem, hujusmodi honorem, semotâ omni ambitione, admittere recusavit; cùm & se eo indignum fateretur, & sufficientibus aliàs titulis (quos oneri potiùs, quàm honori duceret) cumulatum quereretur. Suâ igitur sorte contentus, non congerendis, opibus, aut sectandis commodioris vitæ deliciis, struendisque profanis ædificiis (ut plerique prædecessorum illaudabili sanè exemplo fecerant) sed quæstui animarum, templorum nitori & morum, provehendoque divini cultûs honori adeò solerter domi forisque intendebat, insudabatque, ut huic uni præclarissimo zelo cæteraomnia posthabere videretur. Quod ex iis facilè conjectari licet, quæ de eo in vita Urbani contemporaneus Auctor Anonymus in hæc verba commemorat: *Wenceslaus illustris Germaniæ flos, & Princeps Lignicensis, omnium qui unquam fuerunt Episcoporum, ut maximè Juvenis, sic & maximè integer, maturus, & gravis, qui etsi florentem specie Juvenem præseferret, præter morem tamen extitit insigni virtute senex: ac veluti id fastigium Antecessorum nemo facilè junior attigit, ita nemo modestior, prudentior, gravior in eo vixit: agebat is annum circiter trigesimum, quem homines in eo ætatis flore, tantâ sapientiâ, virtute, moderamine præditum, non ut hominem suspiciebant, sed ut exactam Numinis effigiem deprædicabant, colebant, admirabantur. Nihil in eo juvenile, nihil leve aut procax, nihil quod vel ad luxûs, vel ad voluptatis mollitiem inclinaret, deprehensum est. Facilis aliis, uni sibi durus. Ad bonos excipiendos mitissimus, lenissimusq; ad malos coërcendos severus & constans. Utrumque in Episcopo damnabat, in probos improbosq; æquam vel mansuetudinem, vel severitatem; cum alterâ in alteros, alterâ nisi in alteros oportere asserens. Nemo hoc Principe in consiliis capiendis prudentior, nemo in rebus disponendis accuratior, nemo in peragendis circumspectior, celerior, expeditior. His aliisq; virtutum dotibus excellens, facilè sibi viam ad sacram purpuram patefecit, quam tamen ab Urbano Pontifice (cui unicè adhæsit) ultrò oblatam admittere recusavit: submissionis studiosior, quàm ambitionis.*

Urbano studet, & ab eo purpurâ ornatur, sed eâ modestissimè recusat.

Honori divino, & saluti animarum unicè intendit.

Elogium ejus ex Anonymo Scriptore refertur.

Assiduis tandem curis pro Ecclesia & commissorum salute consumptus, verbo & opere clarus, in extrema senectute divinis mysteriis refectus, immortalitatem adiit Preslavii, anno à partu Virginis 1407. ibidem in Ecclesia Cathedrali summo ut honore, sic & mœrore sepultus.

Conscripsit Agendam, saluberrimis statutis insignem & utilem: qua, ut Curatores animarum Diœcesis suæ uterentur, edictô præcepit.

Obitus Ejus, & Scripta.

De eo agunt Panvinius in vitis Pontiff. Felix Contelorius in Elencho Card. Abraham Bzovius in Annal. Eccles. Ciacon. in Vita. Ugbell. & Oldoin. in addit. ad Ciacon.

ANNO 1378.

SEDENTE URBANO VI. PONTIF. MAX.

De

ANGELO ACCIAIOLO
S.R.E. CARDINALE.

LXXXVIII.

ANGELUS Acciaiolus, Florentinus, illustrium ac præpotentum conjugum Jacobi Acciaioli & Bartholomææ de Ricasolis filius: vir & litteris & virtutibus longè clarissimus, ab Urbano hujus nominis VI. ob secundam rectè gestorum famam, è Sede Rompollana (quæ in Regno Neapolitano Episcopalis est) ad Infulam Florentinam translatus est anno reparati orbis 1383. Novi Præsulis dignitas summo civium Florentinorum studio amplificata est: quum nullum ipsi vel officii, vel decentiæ, vel observantiæ genus in eo condignè recipiendo prætermiserint. Biennio pòst vixdum exacto in sacrum Senatum ab eodem Vrbano cooptatus, titulôque Presbyteri Cardinalis in Damaso condecoratus, munificentiam Pontificis memori mente, gratâ fideliqúe operâ ad obitum usque recompensavit. Variis siquidem in commodum Vrbani legationibus perfunctus, tantâ semper in eum fide, tantâ observantiâ atque animi rectitudine enituit, ut Vrbanus in publico aliquando consessu nemini mortalium se magis obstrictum atque Angelo fateretur, eumque propterea in vicem gratitudinis, & Purpuratorum Senatûs Decanum, & Apostolici Tabullarii Præsidem nominaverit.

Ab Urbano Episcopus Florentinus, & biennio pòst Cardinalis renunciatur.

Ejus in Urbanum fidelitas commendatur.

Post Vrbani obitum, Romæ in comitiis ex quatuordecim Cardinalibus, qui novum electuri Pontificem convenerant, sex Angelo Acciaiolo firmissimo suffragio adhærebant, totidemque Poncello Vrsino: & cùm neuter alteri cedere vellet, resque ipsa jam in non dubium Schisma proruptura videretur, Angelus Ecclesiæ magis quàm sibi studens, Poncellum complexus, *ne quæso*, inquit, *frater Ecclesiam Dei nostrâ pervicaciâ conturbemus, Christiq; vestem Arianorum instar novâ scissurâ dilaceremus, viros nos ab omni ambitu alienos exhibeamus. Proderit quandoq;, laudiq; dabitur inconsutilem nos Christi vestem sartam conservâsse, nec quæ nostra sunt, sed quæ Jesu Christi, ardenter quæsiisse.* His fortiter dictis & Poncelli animum expugnavit, & Patribus viam identidem in nova eundi suffragia aperuit.

Summam rerum, Schismatis declinandi causâ, recusat.

Instauratis igitur ex facta libertate comitiis, (Francisco Carbone Cisterciensi Cardinale maximè hortante) omnium suffragia in Bonifacium IX. conversa sunt: Erat is natione Neapolitanus, stirpe Tomacellus, genere Cybo, nomine Petrus, vir in omni litteratura versatissimus, meritis & virtutibus supra omnes conspicuus, Quadragenario non multùm major, cujus Platina in hæc verba meminit: *Vixit Bonifacius* (ante Pontificatum scilicet) *in tam florida ætate, in tanta peccandi licentia, ut nulla ei libido, nulla voluptas impingi, vel objici posset.* Sed nec in Pontificatu ulla ei incontinentiæ labes adhæsit, id quod ex fidissima S. Antonini relatione clarè evincitur:

Bonifacius IX. eligitur.

Ejus egregiæ & solidæ virtutes, præsertim corporis & animi puritas.

Nam

Nam cùm ei ex acutissimis calculi doloribus lethaliter decumbenti assereretur, posse ipsum convalescere, atque adeò vim morbi, & mortis periculum evitare, si rem cum fœmina haberet: inhorruit ad tam sacrilegi consilij auditum, & vitæ mortem præferens, *maluit pudicè mori, quàm fœdè vivere.* Qua quidem egregiâ morum integritate, laudeque continentiæ id à Scriptoribus assecutus est, ut sanctissimis juxta ac integerrimis priorum sæculorum Pontificibus annumerari meruerit.

Angelus, Bonifacii jussu, duabus legationibus, perfungitur.

In primâ Robertum, seu Rupertum, Cæsarem confirmat.

Ab hoc Bonifacio vixdùm ad thronum evecto Angelus noster Episcopis Ostiensibus & Veliternis adscriptus, plures, easque uti difficiles, sic longè celeberrimas legationes sibi demandatas habuit. Primam quidem in Germaniam, quando Bonifacius Robertum Bavariæ Ducem & Comitem Palatinum Rheni, Virum fortibus factis, eruditione & virtutibus conspicuum (Cæsare Wenceslaô ob ignaviam & segnitiem abrogatô, imperioque dejectô) à Germanis proceribus IV. Idus Septembris anno 1400. Imperatorem creatum, Apostolicâ auctoritate approbavit, & confirmavit. Alteram Neapolim, quando idem Pontifex Ladislaum Juvenem, decimum sextum ætatis annum vixdum complentem, Caroli Dyrrachij, Regis Neapolitani filium, Cajetæ tum cum matre Margaretha Regina inclusum, & Regno à Ludovico Andegavensi spoliatum, attollendum, Regnoque restituendum totis viribus suscepit. Tunc enim (ut res oppidò ardua votis corresponderet, felicemque sortiretur effectum.) Pontifex privationem Caroli patris ab Urbano VI. Nuceriæ factam, inflictumque anathema publicô decretô abrogavit; & Angelum Cardinalem, ad id muneris maximè idoneum, cum exercitu magno Neapolim misit, ut Regi adolescenti à Neapolitanis pulso, peneque conclamato, auxilio esset, eundemque à Tyrannorum potestate vindicatum, in avitum Regnum assereret, assertum coronaret, nomineque tutorio adversus Ludovici Andegavensis machinationes protegeret. Pulsis itaque hostibus, atque Neapoli in fidem receptâ, Cajetam profectus Ladislaum è custodia eductum, in Regem Siciliæ & Hierusalem unà cum ejus conjuge Constantia filia Manfredi Claramontij comitis Moticæ, viri potentissimi, (qui in turbis Siculis authoritate penè regiâ magnam Insulæ partem occupabat) Kalendis Junij 1390. inunxit & coronavit, ac solemne ab eo beneficiarii juris sacramentum accepit. Hoc rerum successu moti Principes Regni, cum universo populo gratulabundi Ladislao accesserunt, seque suaque omnia ejus imperio submittentes, sacramentum fidelitatis præstiterunt. At verò Ladislaus regnandi cupidus priusquàm fundamenta Regni Neapolitani confirmasset, accitus ab Hungaris ad illud quoque Regnum jure hæreditario suscipiendum, cùm copias Jaderamo trajecisset, ipsamque urbem Jaderam arctâ obsidione premeret, per litteras ab amicis clanculùm submissas certior fit, Neapolitanos, & inter eos primarios Regni proceres à Gallis corruptos ad indubiam defectionem spectare. Jaderâ itaque potitus, eâdemque Venetis multis millibus venditâ, Neapolim plenus irarum rediit, revocato è Flaminiâ Alberico Sfortia, viro eâ tempestate maximè bellicoso, nec ulli vel fortissimorum Heroum secundo

In secundâ Ladislaum Regno asserit & coronat.

Ladislai Regis gesta.

Ooo 3 (èquo

(è quo tanquam ex equo Trojano innumerabiles posteà belli Principes emanârunt) hujus fideli operâ usus, Proceres omnes, rebellionis authores, dominatu ejecit. Repugnantes autem parêre & obsequi, exilio, carceribus, facultatibus mulctavit. In Severnatum verò familiam, omnis perturbationis & tumultûs originem, adeò crudeliter animadvertit, ut primoribus ipsis ultimo supplicio affectis, reliquos omnes, qui propinqui essent, in exilium proscripserit. Hoc modo represso tumultu, pacatôque Regni statu rursus in Hungariam profectus, ibidem (Jaderæ in Dalmatia) Bonifacii jussu, ab Angelo Cardinale, Pontificio tum ad Hungaros, Sclavones, Dalmatas, & Croatas Legato Rex Hungarorum proclamatus, in conspectu Regni procerum atque Ordinum, Hungarici imperii diadema suscepit.

Idem Ladislaus Rex, procurante Angelo Legato, Hungariæ Rex inauguratur.

His peractis, legationibusque sibi in iis partibus demandatis ritè perfunctus, atque etiam regiis muneribus egregiè excultus, evocante ipsum Pontifice, Italiam conscensâ Triremium Classe repetiit. Romam appulsus, Ursinos Principes Romanos, ferali dissidio, à Pontifice aversos, sua dexteritate composuit, eosdemque emollito atque pacato Pontifici reconciliavit. Laborantibus Romanis inopiâ rerum victualium, rem frumentariam tantâ solertiâ in publicum civium commodum administravit, adauxitque; ut lætus exinde populus, atque ad ubertatis & copiæ nomen exultans, Angelum non secus atque providum Patriæ patrem proclamârit, suspexeritque.

Angelus è legatione Hungarica Romã reversus, multa alia præclarè operatur.

Extincto Bonifacio, Innocentio VII. ad summam rerum suffragatus, ejusdem jussu, Monachorum S. Pauli viâ Ostiensi collapsos, multumque depravatos mores, reductâ veteri vivendi disciplinâ, correxit, iisque vagandi licentiam (nam ut locustæ aliquamdiu erant acephali) constituto Abbate, intercidit. Negotiis ecclesiasticis undequaque ingruentibus præpeditus, peneque oppressus, Ecclesiæ Florentinæ, quam usque ad annum 1387. integerrimâ famâ administravit, nuncium remisit, quò liberiùs publicis Ecclesiæ commodis vacare posset.

Florebat Angelus insigni prudentiâ, morum gravitate, cæterisque nobilioribus animi dotibus, præcipuè verò ingenti doctrinâ & eruditione. Cumque suis temporibus Clementis VII. Pseudopontificis Schisma dirè grassaretur, arreptô stilô præclarum opusculum mirâ pietate & doctrinâ refertum ad Cardinales Clementis sequaces edidit, quo eos ad legitimi Pontificis partes pertrahere conabatur: de quo Paulus Cortesius libro primo de Cardinalibus, qui aliquid scripserunt, hæc habet: *Sed inferioris ætatis maximè Angelus Acciaiolus laudari solet, quòd & habitus sit in senatoria sententia dicenda sapiens; & quòd ab eo Apologeticus libellus sit contra Transalpinos Patres de Urbani VI. electione scriptus: in quo non tam differendo disputatur, utrum Robertus Allobrox Pontifex posset extraordinaria suffragatione legi, quàm ea exquiratur via, quæ nascentium malorum esset extinctura facem.*

Ejus insigne elogium.

Denique vir doctissimus, & Ecclesiæ Romanæ maximè fidelis post plurimos in obsequium legitimorum Pontificum, sæviente Schismate, devoratos labores, Pisis (ubi per id tempus indicto Con-

Pisis gloriosus meritis decedit.

cilio

cilio affuturus commorabatur) pridiè Idus Junij anno salutis 1407. cumulatam meritis animam efflavit : ibidem in Ecclesia Cathedrali terræ mandatus, in qua jacuit inglorius usque ad annum 1550. quo ejus corpus ad nobilem Florentinam Carthusiam, à magno Siniscalco Nicolao Acciaiolo fundatam, ac dotatam, translatum & sepultum est.

Ejus meminère Panvinius in Vitis Pontiff. Aubery in Vita. Burghinus de Episc. Florent. Scipio Ammirat. in Hist. Florent. Henricus Spondanus in Annal. Ecclesiast. Ughellius in Ital. sacrâ. Contelorius in Elencho Cardinal. Nomenclator Cardinalium. Paulus Cortesius. & Alii.

ANNO 1378.

SEDENTE URBANO VI. PONT. MAX.

De

BONAVENTURA BEDUARIO S.R.E. CARDINALE.

LXXXIX.

BONAVENTURA Beduarius ex illustri Peraghinorum (Coriolanus dicit Carrariorum) familiâ satus, primam lucem aspexit Patavij nobili Italiæ urbe, die 22. Junij anno à Christo nato 1332. Is ab ineunte ætate sacram Eremitarum Divi Augustini regulam professus, tam uberes brevi in omni virtutum ac scientiarum genere fecit progressus, ut imberbis planè non modò populum in Templis è sacro suggestu instrueret; sed & Juvenes in publicis scholis divinas litteras magno cum fructu & plausu doceret. Sic inculpatæ vitæ tenore, suffragante etiam rerum peritiâ & littararum eruditione per omnium honorum gradus ad summum sui Ordinis Magistratum ascendit. Mortuo enim Guidone de Belloreguardo, Ordinis Magistro Generali, ipse in majoribus Comitiis die 17. Maij Veronæ circa annum salutis 1377. congregatis, omnium patrum suffragiis, ei (invitus licèt) decimo octavo loco suffectus, universo Ordini annis plurimùm octo summa cum laude præfuit.

Ordinem Eremitarum Divi Augustini ingreditur.

Totius Ordinis Magister Generalis eligitur.

Hunc Urbanus VI. (cujus partes durante Schismate Clementino tutatus semper & sequutus fuerat) virtutis & fidelitatis ergò, absentem nihilque tale suspicantem in prima Patrum enunciatione anno salutis 1378. inter Presbyteros Cardinales titulo S. Cæciliæ adoptavit. Ad quem S. Catharina Senensis (quæ die 19. Aprilis anno à Christo nato 1380. ad Superos evolavit) ob adeptam purpuram litteras gratulatorias, juxtà ac hortatorias ad perseverandum in bono paulò ante obitum dederat. Quibus facilè erroris convincuntur ii, qui (ducibus Panvinio & Ciaconio) scripserunt Bonaventuram circa salutis annum 1384. inter Purpuratos Patres fuisse relatum. Nam ex Actis Vaticanis liquidò constat, illum jam Cardinalem renunciatum subscripsisse Concessioni *de Regno Siciliæ* factæ Carolo Regi, per Urbanum VI. die 1. Junij anni 1381. his verbis : *Fr. Bona-*

Ab Urbano purpurâ donatur.

Bonventura Presbyter Cardinalis S. Cæcilia. Et Clemens VII. Pseudo-pontifex in Diplomatibus datis anno 1378. & 1379. eum expressò nomine appellat *Cardinalem Urbani.* Primus hic fuit, qui (Henrico Spondano teste) ex sacro Eremitarum Ordine ad Purpuræ dignitatem assumptus celebratur.

Vir ornatissima & sanctissima vita Cardinalis renunciatus nunquam Româ discessit, rebus publicis Ecclesiæ & Ordinis non minùs intentus, quàm privatis pietatis studiis. Psalmodiæ, Liturgiis, precibus, aliisque id genus divinis officiis, nunquam, licèt occupatissimus, abfuit. Sacris Scripturis, Prophetarum oraculis, Patrumque lucubrationibus legendis & interpretandis usque adeò studiosus, ut extra negotia, in id unum incumbere videretur. In Dei mentionem vel communi sermone incidens, ferè semper *Creatoris* nomen addidit, illudque pronuncians, vultu in cœlum sublato & ad humilitatem composito, veneratus est.

Immunitatis Ecclesiasticæ acerrimus propugnator sagittâ configitur. Ortis verò, bienniò ab adepta purpura, inter eum & Franciscum Carrariensem Patavij Regulum gravibus simultatibus ob jus Ecclesiasticum; quod hic fœdè concultatum iverat, impiis Principis conatibus strenuè se se constanterque opposuit. Ea re Carrariensis vehementer offensus, vindictæque cupidus clam per occultos sicarios egit (sic enim omnes suspicati sunt) ut tantæ virtutis vir Romæ, dum per pontem Ælium in Vaticanum pergeret, sagittâ ab incerto emissâ immaniter transfixus, soloque prostratus interierit: auctore sceleris, licèt indagine facta, incognito manente. Hanc rem Paulus Cortesius brevissimis verbis complexus, libro primo de Cardinalibus doctis ait: *Nec multò minùs acutè Bonaventura est in Sententiarum selectu enodando versatus, qui Republica Christiana tuenda causâ à Patavino Tyranno sagittâ est confixus.*

Varia de ejus morte opiniones: certa asseritur. Obiit igitur Romæ strenuus Athleta Christi, at quo die vel anno, incertum. Georgius Garnfeldius Carthusianus in vita B. Nicolai Albergati Cardinalis refert ex Panvinio Bonaventuram die x. Junij anno salutis 1390. interemptum occubuisse. Alii mortem ejus rejiciunt in annum 1386. alii in annum 1396. Sed neque horum, neque illius asserti firmum omninò fundamentum invenio. Attamen ex Epitaphij verbis, quibus in dubiis inhærendum censeo, certum est illum anno Domini 1381. tertio Cardinalatûs sui anno vixdum completo, vitam terminâsse. Sacrum ejus corpus in marmoreo Pilo cum effigie, insignibus, & inscriptione in Ecclesia S. Triphonis ad Eremitas primò sepultum; posteà Tolentinum translatum, in sacro Divi Nicolai sacello honorificè conditum est. De illo non invenustè lusit incertus Vates:

Quæ Bona *tam cupidè cœlo* ventura *rogabas,*
In Te Ivoris missa sagitta dedit.

Fratrem habuit uterinum Bonaventura, nomine Bonsemblantem ejusdem instituti, virum singulari doctrinâ excultum, in cujus funere Petrarcha ad ipsum Bonaventuram, tanquam ad amicum litteras dedit consolatorias, ex quibus quanti illum vir clarissimus fecerit, haud difficulter conjicere licet. S. Catharina Senensis nonnullas pariter ad ipsum scripsit epistolas, in quarum unâ Urbanum VI. verum Pontificem, ejus verò æmulum Clementem S. Sedis invasorem confessa est.

Lau-

Laudatur porrò Bonaventura ab egregia ſtaturæ proceritate, decora corporis compagine, ſumma oris dignitate, morumque ſuavitate, & quàm maximè ab inculpatæ vitæ innocentiâ & ſanctitate junctâ eruditioni minimè vulgari. Poſt mortem verò, quam pro tuenda Eccleſiaſtica libertate imperterritus ſubiit, tanquam Martyr habitus eſt, ut innuit laudatus Corteſius his verbis: *Hic doctrinæ ſanctitatem adjecit, ut pro Martyre verè colatur* Eum Trithemius quoque Martyrio, dum Eccleſiæ libertatem defenderet, ex ſagittâ mortali accepto vulnere, coronatum dixit. Eodem titulo à Scardeonio & Henrico Spondano, aliiſque nonnullis candidis Scriptoribus honeſtatur. Romæ in inferiori porticu Auguſtiniani Cœnobij, optimi Cardinalis Imaginem palmam manu tenentem cum ſequenti elogio aſpicies: *Pro Eccleſia Martyre habetur.*

Ejus Elogium

B. BONAVENTURA PATAVINUS GENERALIS MAGISTER, ET S.R.E. CARDINALIS,
DUM ECCLESIASTICAM LIBERTATEM TUERETUR,
ROMÆ SAGITTA CONFOSSUS PRO CHRISTI GLORIA,
SUPREMUM IN TERRIS DIEM GLORIOSISSIME CONCLUSIT, ANNO M. CCC. LXXXI.

In Indice Sanctorum & Beatorum Ordinis Eremitarum S. Auguſtini & in Chronico edito *Beati titulo* inſignitur teſte Andrea Victorello.

Scripta Ejuſdem.

Scripſit Commentaria in Libros Sententiarum.
Meditationes in vitam Chriſti.
Speculum Mariæ.
Vitas Sanctorum.
Commentaria in Epiſtolas S. Jacobi & S. Joannis.
Ternarium, ſeu primum bonum de Regimine Conſcientiæ.
Breviloquium Theologicum, in quo ſubtiliſſimo modo à prima cauſa ad ſuos effectus progreditur.

Orationem in funere Petrarchæ, arctiſſimâ ſibi familiaritate ob litterarum, & ſtudiorum ſimilitudinem conjuncti: quam habuit ante purpuram Arquadæ inter Colles Euganeos in frequentiſſimo conſeſſu, cui Epiſcopus Patavinus cum Clericorum claſſe, Carrarienſis Princeps (cujus inſidiis poſteà interfectus eſt) Academia, & civitas fere univerſa interfuêre.

Ejus meminere Bernardus Scardeonius de claris Viris Patavinis. Antonius Sanderus in Elogiis Cardin. Aubery in Vita. Hippolytus Marraccius in Purp. Mariana. Joſeph Pamphilus in Chronico Ordin. Contelorius in Elencho Cardinalium. Nomenclator Cardinalium. Panvinius in vitâ Pontificum. Spondanus in Annal. Eccleſ. Volaterranus. & Alii.

ANNO 1378.
SEDENTE URBANO VI. PONT. MAX.

De RAYNALDO BRANCACCIO S. R. E. CARDINALE.

XC.

RAYNALDUS Brancaccius ex illustri & perantiquâ Brancacciorum gente Neapoli natus, Carolo III. Dyrrachio Neapolitanorum Regi ante dissidia, quæ cum Urbano postea Sexto nullâ arte sopienda habuit, gratissimus ac penè individuus lateri socius extitit, utpote cujus operâ & consiliô in maximis Regni negotiis familiariter, nec sine speratô fructu utebatur. Hunc ut Urbanus Pontifex, egregiorum virorum indigus, à Caroli partibus & amicitiâ abstraheret, sibique quodam benevolentiæ illiciô connecteret, ex Protonotario Apostolico Diaconum Cardinalem titulo SS. Viti & Modesti in Macello Martyrum Anno salutis 1385. creavit. Erat hic Cardinalis opibus potens, staturâ procerus, humero tenùs communem hominum altitudinem excedens, ore magno, naso aquilino, fronte lata, oculis cæsiis, barbâ prolixâ, excelsi & ingentis animi, ad ardua quæque audenda proni: doctus insuper, humanus, eloquens, & comis, atque inter omnes sui temporis sacros Senatores maximi æstimatus.

Ab Urbano in sacrum Senatum legitur.

Forma ejus descriptio.

Cardinalis semel renunciatus, ab Urbano Pontifice, (etsi rigido, suspicaci, & austero) nullâ ampliùs arte, aut munere avelli potuit: Clementis VII. Antipapæ perpetuus hostis, ejusque asseclarum acerrimus impugnator: Urbano eapropter ita charus, ut ipsum non semel vacillantibus in fide Patribus, tanquam vivum quoddam sinceritatis & constantiæ simulachrum, ad imitandum proponeret, suique throni firmissimum fulcimen appellaret.

Urbano semper fidelissimè studet.

Urbano è vivis erepto, plurium Pontificum comitiis, Bonifacii nimirùm IX. Innocentii VII. Gregorii XII. Alexandri V. Joannis XXIII. & Martini V. suô suffragiô interfuit, à quibus, cùm eis ob fidei constantiam accepissimus esset, multis honoribus ac donis auctus est. Illi Bonifacius IX. in ipso Pontificatûs sui exordio, cum aliis quibusdam doctis Patribus provinciam injunxit inquirendi in acta Honorati Cajetani Fundorum Comitis, præcipui fautoris Schismatis Clementini, de cujus contumaciâ, postquam Brancaccius, habitis ritè quæstionibus cognovisset; atque in Consistorio ea, quæ competerant, retulisset: Pontifex in impium & inquietum caput dirum anathematis fulmen vibravit, quamvis Honoratus ad ejusmodi terroris sonitum minimè commotus, aut mutatus fuerit, confirmante illum in pertinaciâ Clemente.

Inquisitioni in Honoratū Fundorum comitem instituit.

HicCardinalis pulcherrimam Ecclesiam SS. Angelorum nomini dicatam, Neapoli juxta Ædem S. Andreæ ad Nidum proprio ære construxit, eidemque celebre Xenodochium, dictæ Ædi contiguum, cum omnibus humano usui necessariis officinis, & utensilibus adjecit ad solatium & subsidium pauperum ægrotorum. In sacra quoque Dominicanorum Æde Neapolitana, nobile Sacellum pro condendis familiæ suæ funeribus excitavit, aliaque summæ munificentiæ argumenta in pauperes edidit, sed in eos præcipuè, qui è pinguiori fortuna ad inopiam seu casu, seu belli injuriis prolapsi, honesto victu carerent, aut alimenta pudore retracti publicè quærere non sustinerent.

Ejus munificentiæ & pietatis monumenta.

Româ cum Gregorio XII. Senas concedens, indeque se, invito eo

to eo & prohibente, Pisas ad concilium celebrandum conferens, die 19. Januarii anno 1409. publicô editô, honorum titulis & purpurâ ab eodem spoliatus est. Verùm non multò post, irritâ ejusmodi privatione à Concilio declaratâ, in integrum restitutus est, more aliorum Cardinalium, qui eandem injuriam simili de causâ perpessi fuerant: uti legimus in Actis Concilii Pisani Sessione decima sexta.

A Gregorio XII. honoribus spoliatur, sed à Pisano Concilio iisdem restituitur.

Anno sequenti qui fuit Christi 1410. Joannem XXIII. Pontificem salutatum in maxima populi frequentia primus Thiarâ pontificiâ ornavit, à quo Legatus Apostolicus constitutus, Campaniam & Maritimam cum finitimis Regionibus aliquamdiu laudabili moderamine rexit. Exinde revocatus, ac Neapolim tanquam Vicarius Sedis Apostolicæ cum plenâ rerum potestate missus, cum Ladislao Rege, (quem Innocentius VII. ob varia perjurii, proditionis, ac conspirationis crimina anathemate percusserat) amicitiæ, reconciliationis, ac pacis fœdera tractavit.

Joannem XXIII. recens electum coronat.

Haud multò pòst cum aliis Cardinalibus Constantiam ad Generale Concilium delatus, eidem ad finem usque interfuit. Quo terminato Martini V. Pontificis Maximi jussu, habitâ prius luculentâ ad Patres oratione, omnibus abeundi licentiam fecit, cùm ex alto suggestu clamâsset: *Domini ite in pace.* Ab eodem Pontifice Episcopatus Aversani administrationem anno salutis 1418 obtentam, quadriennioque retentam, senio gravatus & morbis Petro Caracciolo Cassano, amico veteri, cessit.

Finito Concilio Constantiensi Patribus abeundi licentiam facit.

Demùm Martini V. anno decimo, Christi verò Servatoris 1427. die 27. Martii Romæ grandævus, quadragesimo Cardinalatûs anno in Ædibus Trans-tyberinis vitam cum morte mutavit. Cineres ejus ex testamento Neapolim translati, in Ecclesia SS. Angelorum ad Nidum à se (ut diximus) erectâ in marmoreo & eleganti Mausoleo, tribus statuis à Donatillo Florentino, celeberrimo illius ævi sculptore, exornato sine ullâ sepulchri inscriptione conditi sunt.

Romæ moritur, & Neapolim transfertur.

Posteri tamen ejusdem nobilissimæ familiæ Alumni, ne tanti memoria Cardinalis futuris sæculis interiret, sequentem tumulo inscriptionem incidi curârunt.

Ejus Epitaphium.

RAYNALDUS BRANCACCIUS S. R. E. CARDINALIS GENERIS SPLENDORE, VIRTUTIBUS, DOCTRINA ET FACTIS CELEBRIS, HUJUS ECCLESIÆ ET HOSPITALIS FUNDATOR, OBIIT XXVII. MARTII ANNO DOMINI M. CCCC. XXVII.

Ejus meminêre Panvinius in Vitis Pontiff. Aubery in Vita. Cæsar de Engenio in Neapoli sacra. Antonius Summontius in Histor. Neapolit. Commentarii Trivultiani. Contelorius in Elencho Cardin. Ferdinandus Ughellius Tom. 1. Ital. sacr. & Alii.

ANNO 1378.

SEDENTE URBANO VI. PONTIF. MAX.

De

THOMA LONDINENSI

S. R. E. CARDINALE.

XCI. THOMAS (cujus cognomen nullis Scriptorum monumentis proditum invenitur) Londini Angliæ Metropoli honestis parentibus editus, exactâ innocentissimè pueritiâ, Ordinem Divi Dominici sexto decimo ætatis anno (Matre diù sed frustrà reluctante) ingressus est. In eo & litteris, & virtutibus probè institutus, cùm solertis, peracuti, & facillimi ingenii esset, optimi brevì Oratoris, Philosophi, & Theologi famam tulit. Richardo II. qui tum Rebus Anglicis præerat, eapropter eximiè charus gratusque: Cujus non modò arcana consilia; sed & intimos animi ac conscientiæ recessus integerrima fide dum vixit, moderatus est. Pitsæus de illustribus Angliæ Scriptoribus differens, Thomam (*cui, ut ille ait, pietas & eruditio celebrem ubique famam pepererant*) ab Urbano VI. inter Presbyteros Cardinales titulo S. Petri ad vincula relatum affirmat: Ludovicus verò Morerius, rejectâ ejus sententiâ, à Joanne XXIII. ad purpuram evectum docet. Ego Pitsæi opinionem Morerij asserto potiorem habens, Thomam cum Ciaconio & Oldoino, ab Urbano sacro Collegio adlectum pronuncio: Id enim clarè nonnulla Urbani diplomata evincere videntur, in quibus Thomas ut Cardinalis subscriptus invenitur. Fuisse autem illum facundum Oratorem, eminentem Theologum, clarumque Philosophum scripta ejus varia (quæ ex Ferdinando Ughellio adhuc inveniuntur) abundè demonstrant. Antonius Senensis in suo Patrum Dominicanorum Chronico scribit se Opera quædam illius vidisse Toleti in Ordinis sui Cœnobio, S. Petro Martyri dicato: nominatim

Vir eruditissimus Richardo Angliæ Regi ab arcanis consiliis & confessionibus.

Sacro Purpuratorum Collegio ab Urbano VI. adscribitur.

Plurima scripsit: sed non omnia extant.

Commentarium in sacram Theologiam.
Super Aristotelis Philosophiam universam libros plures.
Quodlibeta varia.

Quo verò tempore, quovè fato è vivis excesserit, Scriptorum hactenus nullus (quantùm quidem scio) memoriæ prodidit. Si tamen in ambiguis & incertis divinare licet, conjectura non improbabilis est, illum tempore Richardi II. Angliæ Regis, à Northumbriæ Duce, Regni Usurpatore anno 1399. in carcere occisi, diem suum obiisse; vel omninò necatum fuisse. Constat enim omnes, qui in ea conspiratione Richardo adhæserant, (inter quos Thomas non ultimus censebatur) à Tyranni fautoribus vel exilio mulctatos, vel nece violenter illatâ è vivis proturbatos fuisse.

Incertum quo tempore, aut quo mortis genere decesserit?

Ejus mentionem faciunt Jo. Pitsæus de illustribus Angliæ Scriptoribus, Ciaconius in vita. Ferdinandus Ughellius in Ital. sacra. Morerius in Diction. Magno historico. Paucique alii.

ANNO 1378.

SEDENTE URBANO VI. PONT. MAX.

De

LEONARDO DE RUBEIS S.R.E. CARDINALE.

LEON.

XCII.

LEONARDUS de Rubeis, natione Italus, patriâ Chisanensis, (est autem Chisanum Campaniæ felicis oppidum non ignobile) Ordinis Minorum Theologus & Orator insignis. Is ex Ministro Terræ Laboris in Regno Neapolitano, anno salutis 1373. totius Seraphici Ordinis Minister Generalis renunciatus, ob eruditionis & virtutum præstantiam ab Urbano VI. statim in primordio sui Pontificatûs rubro Galero donatus est. Verum posteà à Clemente VII. Pseudopontifice seductus & depravatus, inque spem adipiscendæ ab ipso purpuræ adductus, eâ obtentâ, Urbano priùs ejurato galerum & nuncium non absque summâ ingratitudinis notâ & contemptu remisit.

Seraphici Ordinis Minister Generalis electus, quinquennio post ab Urbano cætui Cardinalium adscribitur.

Functus deinde, Clementis jussu, legationis munere in Regno Siciliæ apud Joannam Reginam: eo ipso tempore, quo Carolus III. Dyrrachij Dux ab Urbano Sceptro regio donatus Neapolim & Reginam cepit, & ipse pari infortunio una cum aliis Clementis asseclis captus, & in vincula conjectus est. Posteà ab Urbani Legato (is erat Gentilis de Sangro Cardinalis, cujus crudelia acta n. 83. fusiùs descripsimus) in medium Ecclesiæ S. Claræ Neapoli productus, dignitatem Cardinalitiam deponere, pallium Episcopale comburere, Schisma ejurare, & Urbanum verum Pontificem profiteri publicè coactus est. Longô deinde ac prædurô carcere cum aliis concaptivis Præsulibus maceratus, cùm diutiùs inediam, carcerisque squallorem ob infirmam corporis valetudinem sufferre non posset, pactô numeratôque ingenti ære libertatem ab avaro Legato mercatus est. Itaque carcere exemptus, rectô itinere Avenionem ad Antipapam Clementem contendit: à quo, mixtô cum lacrymis gaudiô, tanquam gloriosus Ecclesiæ Martyr susceptus, novis deinceps honoribus, titulis, ac muneribus in præmium pœnarum ac laborum toleratorum cumulatus est.

Ad Clementem Antipap. deficiens, variantè fortunæ inconstantiam suo malo experitur.

Ingravescente verò sensim ætate, variis morborum insultibus debilitatus, accedente demùm alvi fluxu, in execratione, dum sacris christianis Gregorius XII. præesset, mortalitatis compede solutus est Avenione circa salutis annum 1407. ibidem sine memoria sepultus apud Minores.

Moritur Avenione in obedientia Antipapæ Clementis.

Cùm autem vir esset in utrâque litteraturâ, sacrâ & prophanâ valdè versatus, scripsit in Cantica canticorum ingens volumen, in centum quadraginta Capita divisum, multa continens abstrusioris Theologiæ arcana, quod S. Antoninus se vidisse testatur, & laudat.

Commentaria in Libros quatuor Magistri sententiarum.
Summam Theologiæ moralis.
Tractatum de modo extinguendi Schismatis.
Sermones item multos.

Ejus Scripta.

Huic Trithemius in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum sequens contexuit elogium: *Leonardus de Chisano vir fuit in divinis Scripturis doctissimus, & in sæculari Philosophia valde peritus, ingenio subtilis, & clarus eloquio. Fertur multa ingenii sui monimenta reliquisse.* Errat verò, dum eum anno salutis 1370. obiisse scribit.

De eo agunt Lucas Waddingus in Annal. Min. Chronicon Ord. Minorum. Tritbemius citatus. Ciaconius in vita. S. Antoninus in hist. Possevinus in Chronico. Oldoinus in addit. ad Ciacon. & Alii pauci.

ANNO 1378.

SEDENTE URBANO VI. PONT. MAX.

De

B. PETRO DE LUCEMBURGO S.R.E. CARDINALE.

XCIII. BEatum PETRUM Lucemburgensem, à Clemente VII. in schismate Pseudocardinalem renunciatum, ideo inter Cardinales ab Urbano VI. creatos collocandum diximus, quòd eundē nonnulli optimæ notæ Scriptores ab Urbano ob vitæ sanctitatem postliminiò legitimatum, suâque in dignitate confirmatum asserant. Is in lucem editus dicitur die 20. Julij anno à Redemptione nostra trecentesimo, sexagesimo nono supra millesimum Linæi in Diœcesi Tullensi ex nobilissima Guidonis Lucemburgi, primi Comitis Linæi prosapia, cujus mater Mathildis de Castillon, comes S. Pauli & Domina de Fiennes, alti sanguinis & probatissimæ vitæ Matrona erat. Tantus verò Mathildis matris in Petrum filium amor & teneritudo fuit, ut proprio illum lacte, non adventitio (ut aliàs in more positum habent fœminæ illustriores) nutriret. Vix excesserat Petrus septimum ætatis annum, cùm ecce altiori ductus spiritu, niveum castitatis florem Deo, Virginique Deiparæ sacratum constituit. Undecim annos natus, cùm nihil præter annulum aureum insigni gemmâ vestitum præ manibus haberet, eum digito detractum vendi jussit, ne pauper quidam casu obviàm factus, stipemque rogitans, indonatus abiret. A puero singulari acumine ingenii præditus bonarum artium studia excoluit, brevique temporis intervallo, divinâ potiùs ope, quàm humanô labore scientiarum omnium orbem, stupentibus Magistris, ita confecit, ut nihil, quòd erudito juveni famam ciere posset, ei defuerit. Adolescens, quidquid habere poterat, carnes etiam laudabili furtô à domestica culina clam subductas pauperibus Christi elargiebatur. Deprehensus aliquando à patre, & quid sub pallio contectum ferret interrogatus, *rosas fero*, respondit: subdubitans pater, amotô palliô, *carnes* mirabili metamorphosi vernantes in rosas commutatas aspexit.

Ejus nobilissima stirpis primordia, Innocentia & virtutum studia.

Carnes mirabiliter convertit in Rosas.

Adultior factus in nobile Parisiensium canonicorum collegium ascitus, veterem disciplinam Ecclesiasticam, Clericorum luxu, & improbis moribus fœdè collapsam suæ virtutis zeloita restituit, ut vel exinde, divulgatâ sanctitatis ejus famâ, *Clericorum Idea, morumq; restaurator* audieret.

His virtutibus universam ferè Europam pervagantibus facilè sibi viam ad maximas quasque Ecclesiæ dignitates aperuit; nam paulò pòst Archidiaconatu primò Driensi, mox Carnotensi Præpositurâ,

turâ, exinde Archiepiscopatu Metensi, demum purpureô galerô à Clemente VII. donatus, inter Diaconos Cardinales titulo S.Georgij ad Velum aureum adscribi meruit. Archiepiscopus Metensis designatus, novâ prorsùs & inusitatâ hactenus pompâ Metensem civitatem, verus Christi Discipulus (Magistri humilitatem uti miratus, sic & imitatus) nudis pedibus asinæ pullo insidens, contemptâ sæculi vanâ consuetudine ingressus est. Qua in Urbe ne otiosus subsistere videretur, composito mox ad morum honestatem populo. Diœcesim universam cum suffraganeo percurrens, imminutam passim Ecclesiasticorum disciplinam restituit, concubinatum Clericorum, invectô cælibis vitæ decore, severissimis legibus & censuris proscripsit; Virtutes suppressis eliminatisque vitiis provexit; cultumque divinum, cui unicè addictus erat, quaquaversùm tanto studio promovit adauxitque, ut novam sub eo faciem obsoleta priùs deformataque Religio induisse videretur.

Ejus humilitas & zelus commendatur.

Ipse verò inter homines vivens (ut commemorant Historici) cum Cœlitibus versabatur; ac contemptis rerum terrenarum illecebris & fortunis solâ immortalium bonorum cupiditate flagrabat, & ad ipsa tantùm capessenda anhelabat. Excellenti corporis formâ præstans angelicam quandam referebat imaginem: unde illius vultum tanquam vultum Angeli intuebantur mortales, imò flammas amoris in Christum eo aspectu, cælestis cujusdam speciei radiô in illo emicante, in se excitari sentiebant. Levissimas animi noxas adhuc puer non modò pœnitentiæ sacramento sæpissimè eluebat, sed & jugibus lacrymis, inediâ, verberibus, & ciliciô expiabat. Flagris diebus singulis in innocuum corpus ad sanguinem usque & vulnera desæviebat. Cilicium, quo perpetuò ad lumbos arctabatur, erat asperrimum : cui adjungebat funiculos duris contortos nodis, quibus confecta jejuniis membra tam arctè comprimebat, ut copiosus non semel sanguis erumperet.

Vita ejus Sanctitas & Austeritas.

Metensi ornatus Infulâ, inhumanam hanc corporis macerationem valetudinis ergò temperare jussus, tantùm abest, ut diminuerit, ut eam potiùs novis excogitatis adhibitisque cruciatibus conduplicârit : ne hosti suo (carnem denotans) vel minimùm cedere, aut blandiri videretur. Adventûs Dominici tempore carnibus non vescebatur. Ter singulis hebdomatibus, subtractis corpori cibis, lautissima animo convivia ad Aram parabat : Jejunia Ecclesiæ lege indicta tanto cum rigore obibat, ut nihil, quod ea vel leviter lædere posset, in esum admitteret; frigidâ dumtaxat, & mucidi panis frustillô contentus.

Mansuetudine, submissione, observantiâ, puritate, charitate in Deum & proximos, prudentiâ, gravitate, liberalitate, cæterisque id genus virtutibus ad miraculum usque enituit. Humilitatem verò, quam ipse virtutum omnium basim, matrem & altricem appellabat, tam sancto & pertinaci studio deperibat, ut in suprema etiam luctâ constitutus, eam ex animo excidere non sit passus. Jussit enim, ut si extra Avenionis ditionem vitâ excederet, corpus Parisios delatum, vilissimis obtectum pannis in communi pauperum cœmeterio, S. Innocentii vulgò appellato; si verò intra ejusdem urbis districtu obitus

Omnium virtutum cumulo illustris, sed præcipuè humilitate.

obitus contingeret, in agro S. Michaëlis sub diô cum pauperum cadaveribus tumularetur. Tres solos cereos suo in funere (proscriptâ omni aliâ pompâ) ardere volebat. At suorum instantissimis precibus exoratus, duodecim ægrè permisit, cautione postremis in tabulis severè factâ, ne quid ultra Testamenti executores attentarent. Postulatus qualiter exanime corpus condi vellet? lapideam arcam moderatô sumptu comparatam tumulo superstrui jussit. Assiduo orandi & meditandi studio addictus, consuetas corporis afflictationes, lectô licèt afflixus, non omittebat: quibus ex integro quasi attenuatus & attritus, post gravem sex mensium morbum, incredibili patientiâ toleratum, susceptis Ecclesiæ sacramentis, vultu sereno mortem lætus aspexit Avenione die 5. Julij, anno à partu Virginis 1387. ætatis suæ septimo supra decimum: quemadmodùm Clemens VII. Romanus Pontifex in Diplomate, quo illum die nona Aprilis anno 1530. *Beatum* declaravit, ejusque sacra Lipsana ad fidelium venerationem honorificè transferenda mandavit, testatur.

Ejus sanctissima vitæ exitus.

Vix erat humatum Beati Adolescentis corpus, cùm ecce confluunt ad illud venerandum frequenti numero populi, ob res, quæ obtigerant, miras, & opem nulli non ex implorantibus certam. Quapropter loco veteri erutum, atque in Ecclesiam Cœlestinorum translatum, crateque ferreâ munitum, In nobili Sacello ab Avenionensibus grati animi ergò constructo, cum hoc rudi Epitaphio (teste Suaresio Episcopo Vasionensi) conditum est.

Epitaphium ejus.

Hoc colitur Templo, legitur simul aurea virtus,
Clara Lucemburgi soboles, ditissima merces
Orbis, & unus honos mortali corpore cælum
Transfertur, meritis PETRUS inter numina Numen,
Annis millenis sepelitur, sicq; trecentis
His septem junges, octoginta superaddes,
Et quinta Julij florens virtutibus altis
Assiduo populo veneratur quolibet anno.

Hujus beatissimi juvenis, virtutes & vitæ sanctimoniam providentissimus Deus maximis & penè innumeris prodigiis orbi testatam fecit. Nam primis duobus ab illius obitu decursis annis, nongenta sexaginta quinque miracula, minimè vulgaria, ejus beneficiô patrata esse (inter quæ stupenda quadraginta duorum resuscitatio mortuorum habetur) testantur præter cæteros gemini probatæ fidei Scriptores Joannes Molanus *De Sanctis Belgii* sexto nonas Julij; & Gazæus apud Atrebatenses Pastor in Historia Ecclesiastica Belgij. Ludovicus Morerius pariter in magno suo Historico Dictionario, tria millia miracula B. Petri intercessione diversis temporibus patrata commemorat: inter quæ illud omnem naturæ vim atque ordinem excedens, à Francisco Suaresio in Panegyri relatum, non ultimo loco reponendum venit; videlicet quòd cùm altâ ex turri Architectus quidam lubricante pede præcipitatus in terram decidisset, eoque lapsu corpus ejus in multas partes discerptum fuisset, inclamatô ab adstantibus Thaumaturgi Petri auxiliô, ipse, coëuntibus aptè membris mox coaluerit, Petrique suffragiô quasi nunquam læsus, derepentè revixerit.

Innumeris ferè miraculis claret.

Horum

Horum intuitu signorum commotus Philippus Burgundiæ & Brabantiæ Dux datis anno salutis 1436. ad Concilium Basileense litteris petiit à Patribus, ut B. Adolescens inauditis prodigiis clarus, inter cœli Divos solemni apotheôsi conscriberetur. Habetur Epistola hæc in Tomo quarto Conciliorum editionis Coloniensis in appendice ad Concilium Basileense. Fossardus non ignobilis Author testatur, se famâ tantorum miraculorum illectum, ad B. Adolescentis monumentum peregrinatum fuisse, plurimaque stupenda ac mira, auribus non minùs, quàm oculis hausisse.

Philipp. Burgundiæ Dux pro ejus Canonizatione instat.

Senatus Avenionensis in consortio Cœlestinorum, ejusdem urbis Monachorum sub annum 1628. Urbano VIII. Pontifici Maximo supplicem libellum Romæ obtulit, enixè petens, ut sibi & Monachis quotannis diem festum B. Petri, totamque octavam duplici officio primæ classis celebrare liceret. Annuens Pontifex, edito diplomate, piis supplicantium votis gratificatus est.

Extat insigne elogium B. Petri apud Andream Saussay Episcopum Tullensem in Martyrologio Gallicano, quod hîc in gratiam Lectoris exscribere & fortasse legere non pigebit: est autem tale: *Tertio nonas Julij Avenione tumulatio, & festivitas B. Petri de Lucemburgo, cognomento Thaumaturgi, castitatis & charitatis portenti, atque egregie in ipso juventutis flore totius sanctimoniæ exemplaris; ob cujus merita, velut alter Enoch, quòd Deo placuisset, raptus præmaturè ac felice excessu præmia consummatæ virtutis percepit. Cujus gloriæ odor suavissimus instar balsami perenniter ex ipsius corpore manans indicio est; innumeraque, quæ ad ejus tumulum in dies eduntur divinæ virtutis, & potentis ejus opitulationis testimonia. Propter quæ à Francisco Cardinale Episcopo Tusculano de Claramonte Legato Apostolicæ Sedis levatum pretiosum B. Juvenis ex sepulchro exuvium permissu Clementis VII. Papæ, Hadriani VI. Successoris, venerationi fidelium expositum fuit in Ascetarum Cœlestinorum Ecclesia, ubi & ejusdem Pontificis Auctoritate annuis sacris hodie beata ejus memoria condignè celebratur.*

Ejus insigne Elogium apud Andream Saussay.

Hunc Petrum Claudius Robertus in Gallia Christiana innui putat à S. Antonino Archiepiscopo Florentino titulo 22. cap. 2. cùm de Schismate verba faciens, hæc refert: *Utraque pars* (videlicet Urbanus VI. & Clemens VII.) *habuit religiosissimos viros, &, quod majus est, etiam miraculis fulgentes.* Id quod adeò verum est, ut à nemine sani cerebri inficias iri possit: quis enim vel leviter in rerum monumentis versatus ignorat, sæviente Schismatis trigesimi septimi procellâ, viros doctrinâ & religione præstantes, divisis sententiis, alios hunc, illum alios verum Pontificem judicâsse, & coluisse? Certè plusquàm exploratum est, Catharinam Senensem sanctissimam Virginem Urbano VI; B. Petrum de Lucemburgo Clementi VII. (eô sæculô multùm controversis Pontificibus) adhæsisse, subque eorum obedientiis vitam sanctissimè conclusisse. Rursùm S. Vincentius Ferrerius prodigiosæ sanctitatis & doctrinæ vir, qui in concionibus uno usus idiomate, adinstar Apostoli Petri, à diversarum nationum hominibus intelligebatur, Benedicti XIII. Pseudopontificis, ipsius Antipapæ Clementis Successoris, causam propugnavit: id ipsum etiam præstitit Joannes Gerson Cancellarius Parisiensis decantatæ virtutis & sapientiæ Doctor. Similiter Gregorium XII. Urbano VI. subrogatum,

Quòd Pseudo pontifici Clementi adhæserit, plurimorum exemplo excusatur.

gatum, *multi Deum timentes* (inquit Divus Antoninus) *reputabant Pontificem summum*: quem tamen multi pariter Deum timentes vel improbabant, vel prorsùs tanquam adulterinum rejiciebant. Cujus dissidij hæc ratio reddi potest: quòd tribus unò eôdemque tempore de summo Pontificatu contendentibus, Gregorio nimirùm XII. Benedicto XIII. & Joanne XIII. quis eorum verus esset Romanæ Ecclesiæ Antistes, non poterat facilè dijudicari. Singulis doctissimi juxtà ac piissimi diversi status, dignitatis, & sexûs homines adhærendo suffragabantur, nec in culpam propterea vocandi: nam, ut scitè in hanc rem scribit S. Antoninus suprà laudatus, *Etsi necessarium sit credere, sicut unam Catholicam Ecclesiam, non plures; ita & unicum ejus Pastorem Vicarium Christi. Attamen si contingit, plures per Schisma creari, seu denominari Pontifices summos uno eodemq; tempore, non videtur saluti necessarium credere, istum esse vel illum, sed alterutrum eorum, qui scilicet canonicè fuerit assumptus. Quis autem canonicè fuerit electus, non tenetur quis scire, sicut nec jus canonicum: sed in hoc populi tutè sequi possunt Majores suos, seu Prælatos.* Unde non malè præallegatus Gerson Tomo I. de modo se habendi in Schismate, pronunciâsse videtur: *In Schismate qualicunque dubio, temerarium, injuriosum, & scandalosum est asserere, omnes tenentes istam partem, vel alteram; vel omnes neutrales etiam absolutos, esse universaliter extra statum salutis, vel excommunicatos, vel rationabiliter de Schismate suspectos.* Id verò affirmavit: *propter probabilem ignorantiam juris istius, vel illius partis.* Subjungit deinde ad cautelam: *In Schismatis ambiguitate licitum est præstantibus obedientiam isti, vel illi, eam sub conditione tacitâ, vel expressâ tribuere.*

Non omnes Schismatici sunt appellandi, qui, durante Schismate, huic, vel illi dubio Pontifici adhærent.

Plura hujus argumenti desideranti adeundos suadeo Eminentissimos Cardinales Robertum Bellarminum *lib. 4. cap. 14. de Romanis Pontificibus*; & Joannem de Turrecremata *Libro 4 Summa cap. 19* sicut & Gregorium de Valentia *Tomo 3. Commentario in D Thomam, Disputatione 1. quæst. 1. parte 7. § 38.* Atque hæc in gratiam B. Petri de Lucemburgo Clementis VII. Antipapæ Cardinale & fautore allata sufficiant.

De eo agunt Jo. Molanus citatus, & Gazæus in Historia Ecclesiastica Belgii, Franciscus Suaresius in Panegyri. Jacobus Meyerus in Annal. Flandriæ. Ludovicus de Barlaymont in Paradyso puerorum. Albertus Miræus in fastis Belgicis. Martinus Bourey Cœlestinus Monachus in vita. Severinus Binius Tomo 4. Conciliorum. Cratepolius de Sanctis Germaniæ. Philippus Ferrarius in Catalogo Sanctorum, qui non sunt in Martyrologio Romano. Petrus Frizonius in Gallia Purp. Henricus Spondanus in Annal. Eccles. Aliiq; multi.

ANNO 1389.

SEDENTE BONIFACIO IX. PONT. MAX.

De

HENRICO MINUTULO

S.R.E. CARDINALE.

XCIV. HENRICUS Minutulus patricio genere Neapoli ortus, exactæ diligentiæ Grammaticus, & vates eo tempore haud ignobilis, in Gymnasio Patavino aliquamdiù Authores, qui ad artes liberales pertinent, interpretatus, secundâ

perspi-

perspicacis ingenij famâ ad integram doctrinæ maturitatem pervenit. Bonifacio autem IX. ingeniis illustribus præclara tùm præmia proponente Romam delatus, editis egregiæ virtutis & doctrinæ speciminibus Bituntinus primò Episcopus ; deinde Tranensis Archipræsul; mox Neapolitanus Archiepiscopus ; ac demùm, interjectis nonnullis annis, Presbyter Cardinalis titulo S. Anastasiæ creatur. Hisce dignitatibus conspicuus, cùm optimam identidem Bonifacio in Schismate operam adversùs æmulos navâsset, morte sublatô Episcopô Tuscalanô, vel potiùs (ut Oldoinus scribit) ad partes Benedicti Antipapæ transgressô, infulam illam, ultrò deferente Pontifice; adeptus est. Quam tamen sub Alexandro V. postquàm viginti minimùm annos integrâ nominis auctoritate eam gestasset, demum cum Sabinensi commutavit.

Variis Ecclesiæ dignitatibus & Purpura à Bonifacio IX. ornatur.

Anno Domini 1406. cum Gregorio XII. (sub quo ob insignem rerum agendarum peritiam Camerarij S.R.E. munere functus est.) Senas profectus, ibidemque aliquamdiù commoratus, denique relicto eo Pisas ad Concilium à Patribus congregatum secessit. Pontifex discessu ejus extremè offensus, ut aliis eandem rem molientibus terrorem incuteret, purpurâ eum, titulis, ac honoribus omnibus spoliavit. Verùm à Pisanis Patribus, irritam Gregorij spoliationem declarantibus, paulò pòst dignitati pristinæ restitutus est.

A Gregorio XII. dignitatibus spoliatur: sed à Concilio Pisano restituitur.

Multas exinde pro Sede Apostolica legationes obivit, nempe Bononiæ, Ferrariæ, Forolivij, & Ravennæ: in quibus utiles aliquot constitutiones, Ecclesiasticis non minùs, quàm sæcularibus percommodas edidit, quæ Schismaticis usque adeò graves acciderunt, ut sponte suâ, ne iis tenerentur obsequi, solum verterint.

Legationes varias cum rerum emolumenti obit.

Statim atque Balthasar Cossa S.R.E. Cardinalis anno 1410. summum Pontificatum, sub nomine Joannis XXIII. adeptus est, Henricum Minutulum, quòd aptissimus omnium ad sedandas turbas haberetur, Legatum perpetuum Bononiæ constituit. Ille verò antequàm eò migraret, elegantissimam Neapoli ex puro marmore construxit portam majoris Ecclesiæ : Monumentum equidem admirandum, seu operis vastitatem multis statuis exornati ; seu exquisitum sculpturæ artificium, ac columnas, quibus innititur, ex mero lapide porphyretico confectas spectes : in qua ejus statua ad vivum elaborata ante Virginis Deiparæ simulachrum in genua provoluta in hanc usque diem non absque intuentium oblectamento, cum subjectâ hâc nobili inscriptione conspicitur.

Neapoli insigne, & artificiosum pietatis monumentum excitat.

Nullius in longum, & sine schemate tempus honoris
Porta fui, rutilans sum Janua plena decoris,
Me meus, & sacra quondam Minutulus aula
Excoluit proprijs Henricus sumptibus hujus
Præsul, Apostolica nunc constans Cardo columnæ
Cui precor incolumem vitam post fata perennem.
Hoc opus exactum mille currentibus annis
Quo quater centum & septem verbum caro factum est.

Ultrà hoc construxit quoque varia cùm sacra, tum prophana ædificia, quibus immortalem apud posteros suo nomini gloriam peperit. In Sacello verò Divo Apostolorum Principi Petro à Majori-

bus suis in Ecclesiâ maximâ Neapoli dicato & dotato, duas insignes Aras proprio ære erexit: alteram in S. Spiritûs, alteram in S. Anastasiæ honorem. Ipsum verò Sacellum, ne lapsu temporis interiret, profusissimis redditibus annuis auxit, ac Jus patronatûs Minutulorum familiæ addixit. Visitantibus hoc Sacellum in Nativitate Domini, & festivitate B. Petri Apostoli Innocentius hujus nominis VII. editô Diplomate, cunctorum indulsit veniam delictorum. Anno autem 1410 fundos quosdam, ac domos eidem Sacello transcripsit eâ lege, ut quatuor constituerentur & alerentur Sacerdotes, qui quot diebus, extra annuum Anniversarium, duo sacra celebrarent: quibus etiam salubria statuta, ad vitæ honestatem spectantia, perpetuò observanda præscripsit.

Moritur Bononiæ, & Neapolim transfertur.

Vitam mortalem cum æterna commutavit Bononiæ die 17. Junij anno redemptionis humanæ 1417. postquam eidem urbi maximo rerum emolumento, & nominis sui integritate septennio præfuisset. Cadaver ejus Neapolim devectum, in Sacello familiæ proprio, magnifico apparatu tumulatum fuit. Ter interfuit comitiis Apostolicis, in quibus non absque strepitu Romani Pontifices renunciati sunt Innocentius VII. Gregorius XII. & Joannes XXIII.

Ejus Scripta.

Scripsit vitam & Passionem B. Petri Apostoli carmine heroico.
Philosophiam sacro-prophanam de cognitione, sui & Dei.
Constitutiones varias.
Epistolas & Orationes.

Defenditur adversùs Hieronymû Garimbertû, Scriptorem non satis fidum.

Quare, præeunte mihi Bartholomæo Chioccarello, aquiescere non possum Hieronymo Garimberto Episcopo Gallensi, qui in vitis Rom. Pontificum & Cardinalium (quas ex arbitrio magis, quàm ex fide sincerâ conscripsit) asserere non dubitavit, *Henricum Cardinalem Minutulum, ineptum, indoctum, ac inertem ab omnibus illius ævi habitum fuisse.* Unde aliquot convitia in Bonifacium Pontificem illotô ore evomit, eò quòd tot honores ac dignitates in Henricum nullâ virtute conspicuum contulerit. Nescio tamen ex quibus Authoribus didicerit tam recens Scriptor, quæ in Henricum, de Ecclesia, de Scholis, & patria optimè meritum, adeò contumeliosè cominiscitur: cùm nullus ex antiquis Scriptoribus simile quidpiam de eo enarret. Et certè credibile non est, Bonifacium hominem sagacissimum, ejusque in Pontificatu Successores tot, tantasque dignitates atque legationes (quæ nonnisi viris & litteris & negotiorum dexteritate præstantibus impetiri solent) errantes Henrico sine causâ contulisse. Scimus autem ex Ciaconio, Oldoino & aliis, Henricum hunc quingentorum aureorum pretio selectissimos libros emisse à Camera Apostolica sedente Gregorio XII. in Petri cathedra. Ad quid autem tantorum copia librorum tanto ære comparatorum, nisi studiosus ipse, amansque litterarum fuisset? Estne credibile dictu, viros librorum segetem congerere, nisi illorum usu & lectione delectarentur? Non equidem arbitror. Contra Garimbertum est Andreas Victorellus, diligens rerum scriptor & personarum censor, qui in additionibus ad Ciaconium Henricum nostrum, *Virum doctum, peritum, & acutum nominat.* Sed qua ratione Victorello *doctus*, qui Garimberto *indoctus?* quomodo illi *peritus & acutus*, qui huic *ineptus & iners?*

Testimonium Andreæ Victorelli Garimberto opponitur.

iners? calumnias loquitur Garimbertus, quas præter ipsum Minutulo nemo adsperserit, nisi pari cum illo livore tangatur.

Ejus mentionem faciunt Panvinius in Vitis Rom. Pontiff. Aubery in Vita. Monumenta Trivultiana. Barthol. Chioccarellus in Catalogo Antist. Neapolit. Bartholomæus Dulcinus de vario Bononiæ statu. Hippolytus Marraccius in purp. Mariana. Ughell. tom. 3. Ital. sacræ. Victorellus in addit. ad Ciacon. & Alii.

ANNO 1389.

SEDENTE BONIFACIO IX. PONTIF. MAX.

De

BARTHOLOMÆO ULIARIO
S. R. E. CARDINALE

BARTHOLOMÆUS Uliarius (nonnullis Olearius) natione Italus, patriâ Patavinus, honestis parentibus natus, spretis à puero rerum terrenarum illecebris, institutum Minorum Conventualium cœlestis vitæ desideriô amplexus est Patavii. Sacris ibi Theologiæ ac divinæ Scripturæ mysteriis initiatus, utramque facultatem publicis in Cathedris frequentissimo auditorum accursu professus est. Deinde Magister à Doctoribus renunciatus, eximium sui ingenii specimen tum disputando, tum concionando, utrobique correspondente fructu, edidit. Hinc Patres Ordinis singularem ejus in omni disciplinarum genere præstantiam, quæ clarum illum, ac celebrem ubique locorum reddiderat, admirati, certatim illum ad primos dignitatum apices extulêre. At ille nihilominus variis peragratis regionibus, multisque ac magnis itineribus susceptis, verbum Dei, & sacrosanctæ Ecclesiæ dogmata ubique locorum ac gentium acerrimè defendere; longè lateque (convulsis hæresûm sectis) propagare nitebatur. XCV. *Laudatur à doctrina & zeli præstantia.*

Tandem Florentiam, principem Hetruriæ Urbem profectus, aliquot illic annorum spatio quà docendo, quà perorando civium animos suis virtutibus ac præclarissimis moribus in sui benevolentiam adeò attraxit pellexitque, ut defunctò urbis Episcopo, unanimi Cleri ac populi consensu Successor fuerit declaratus, cunctis quidem gratus, summo verò Pontifici Bonifacio hujus nominis nono longè gratissimus. A quo non modò Episcopus Florentinus confirmatus; sed &, urgentibus meritis, in sacrum Senatum titulo Pastoris relatus est. *Episcopus Florentinus & Cardinalis renunciatur.*

Hoc honore auctus, summo Pontifici pro Republica Christiana amplianda, & Ecclesiæ libertate propugnanda, consilio, scriptis, & opere adfuit semper. Posthæc in Siciliam Apostolicus Legatus summâ cum potestate missus, Neapolitanos, qui tum ab unitate Romanæ Ecclesiæ, Clementis VII. Pseudopontificis partes secuti, desciverant, ad obsequium suâ facundiâ reduxit. Eo in munere à Schismaticis indigna multa forti animo perpessus, assiduoque labore, ac negotiorum pondere sensim attritus Caietæ in Campania xvi. Kal. *Legatione Neapolitanâ egregie perfungitur.*

 Maij,

Ejus obitus, & Epitaphiū. Maij, anno reparatæ salutis 1396. ad superos evolavit: tumulatus ibidem cum hoc Epitaphio:

Unica Cardineï fueras qui gloria cœtûs,
Hac te petra tegit Patavium mœnibus ortum:
Almas inter nunc animas lætaris Olympo.
Missus eras partes demum Legatus ad istas,
Cùm tibi vivaces mors invida sustulit annos,
Unanimis quidquid coadiguum munere famæ
Scire datur, studiis sublimi mente locâsti.
Longa tuum meritis clarum per sæcula nomen
Non adimit suprema dies: tua vivida virtus.
Nunquam morte cadens, omni memorabitur ævo.

Scripsit plurima eleganti ordine & stylo, quorum tamen pauca admodùm ad nostram notitiam pervenerunt, & sunt

Scripta.
Commentaria in 4. Evangelia.
Quodlibeta Theologica.
Sermones de Tempore, & de Sanctis.

Tossignanus in historia Seraphica hoc de eo circumfert carmen, ex antiquis monumentis erutum.

Te ingenii valuisse bonis, sanctusq́; Senatus,
Regnaq́; Partenopes, Bartholomae, docent.

Ejus meminère Panvinius in Vitis Rom. Pontiff. Aubery in Vita. Bernardinus Scardeonius de claris viris Patavinis. Angelus Portinarius de Felicitate Patavii. Gaspar Jongelinus in Elogiis Cardin. Ordinis Minorum. Contelorius in Elencho Cardin. Tomasinus in Elogiis virorum illustr. Lucas Waddingus in Annal. Min. Aliiq́;.

ANNO 1389.

SEDENTE BONIFACIO IX. PONT. MAX.

De

ANTONIO CAJETANO
S.R.E. CARDINALE.

XCVI. ANTONIUS Cajetanus ex nobilissima, vetustissimaque inter Romanas Cajetanorum familia natus est Romæ ex Jacobo Comite Fundano, & Sueva Sanseverina, opulentis ac præpotentibus conjugibus: qui à prima statim juventa

Ejus præclara primordia. Clericali militiæ adscriptus, docilem animum quibuscunque liberalium artium studiis adjunxit; ea tam in politioribus, quàm severioribus disciplinis admirabilis ingenii specimina, mentisque perspicacissimæ argumenta suis exhibens Præceptoribus, ut manifestè innotesceret præclarum adolescentem ad summa quæque natum, non tam arridentis fortunæ præsidiis domum illi opulentissimam, parentesque generis splendore clarissimos elargientis, quàm propriæ adminiculò virtutis ad maxima dignitatum fastigia quàm citissimè esse convolaturum.

Emensò itaque non minùs breviter, quàm feliciter studiorum omnium,

omnium, quæ in homine Deo dicato requiri possunt, curriculô, per varios honorum gradus Patriarcha primò Aquilejensis, mox Presbyter Cardinalis titulo S. Cæciliæ à Bonifacio IX. demùm (cùm merita meritis in dies cumularet) Episcopus Cardinalis Prænestinus ab Innocentio VII. renunciatus est. At in Concilio Pisano Patrum persuasionibus inductus Prænestinam sedem, ob communem Ecclesiæ concordiam, eâ lege dimisit, ut in Guidonem Maleficcum Cardinalem, amicum veterem caderet: auctus eapropter ab Alexandro V. nobilissimo Episcopatu Portuensi, & munere S.R.E. Majoris Pœnitentiariæ.

Patriarcha Aquilejensis & Cardinalis creatur.

Apud Gregorium XII. usque adeò invaluit auctoritate & gratiâ; ut non modò omnes urbis Pœnitentiarios ejus judicio explorandos, corrigendos, & reformandos subjiceret, sed & cuncta gravioris momenti negotia, tam civilia quàm ecclesiastica, pro arbitrio discutienda, terminandaque committeret. Quod operosum maximeque arduum munus vir humanissimus juxta ac æquissimus tantâ integritate administravit, ut vulgari elogio: *Purpuratorum incorruptissimus* celebraretur; ac propterea in maximâ apud Principes Christianos existimatione haberetur, qui unum eum, quò Schisma extingueretur, futurum Pontificem exoptabant.

Magni æstimatur à Gregorio XII. & à Principibus Christianis.

Cùm verò sub annum 1409. procurandæ in Ecclesia concordiæ causâ à Principibus & Patribus ad Pisanum Concilium invitatus, Pisas invito Gregorio concessisset, Pontifex subiratus, ejus secessum defectionem interpretans, edito Arimini diplomate cunctis eum honoribus & Sacerdotiis privavit: quam privationem, uti iniquam, atque in insontem latam, Pisani Patres irritam, nulliusque roboris pronunciârunt. Restitutus itaque pristinis dignitatibus, cùm diu multumque in Concilio, pro stabiliendâ Ecclesiæ unione laborâsset, in præmium benè navatæ operæ Infulam Fesulanam tulit, quam multis virtutibus exornatam usque ad obitum incorruptâ nominis famâ gessit.

Ad Pisanum Concilium invito Pontifice secedens, ab eodem dignitatibus spoliatur. Sed restituitur.

Inter cæteras verò animi egregiam Indolem præseferentis dotes, ornabatur Antonius peculiari quodam in DEIparam Virginem cultu, singularique pietate, cujus augendo, provehendoque honori nullis unquam sumptibus pepercit, ædificatis passim ad perennem ejus nominis gloriam templis & oratoriis, copiosis redditibus & donariis locupletatis.

Deiparæ Virgini addictissimus vivit.

Tandem lenta febre consumptus, cumulatam meritis animam posuit Romæ die undecima Januarij anno salutis 1412. Sepultus ad S. Petrum in Sacello Bonifacii VIII. Gentilis sui: ex quo paulò pòst ad Ecclesiam S. Mariæ super Minervam (quam insigni Apside ornaverat) translatus, sequenti epitaphio honorari meruit.

Ejus Obitus, & Epitaphium.

HIC REQUIESCIT REVERENDISS. IN CHRISTO PATER, DOMINUS ANTONIUS CAJETANUS EPISCOPUS PORTUENSIS S.R.E. CARDINALIS. VIR LITTERIS, INTEGRITATE VITÆ, ET BENEFACTIS CLARUS. OBIIT. XI. JANUARII, M. CCCC. XII. INDICTIONE V. CUJUS ANIMA DEO VIVAT.

Scripsit inter alia insignem Epistolam ad Carolum de Malatestis pro unio-

unione Ecclesiæ, cujus initium est: *Antonius miseratione divina Episcopus Prænestinus S. R. E. Cardinalis Aquilejensis vulgariter nuncupatus, magnifico Domino Carolo de Malatestis, Domino Arimini, fratri nostro charissimo, salutem in illo, qui omnibus attulit in Christo salutem, & cum executione operis ad unionem sanctæ Matris Ecclesiæ.*

Scripsit pariter de Regimine Ecclesiæ.

De Voluntate Dei. Aliaque id genus plura.

Ejus mentionem agunt Scipio Ammirat. de Episc. Fesulanis. Panvinius de Roman. Pontiff. Aubery in Vita. Contelorius in Elencho Cardin. Joannes Rubæus in vita Bonif. VIII. Joseph Maria Suaresius in Prænestina Antiquitate. Nomenclator Cardinalium. Ughellius in Ital. sacra. & alii.

ANNO 1404.

SEDENTE INNOCENTIO VII. PONTIF. MAXIMO.

De

JORDANO URSINO
S.R.E. CARDINALE.

XCVII. JORDANUS hujus Nomenclaturæ tertius, Cardinalis nobilissimæ familiæ Ursinæ, ab erudito subtilique ingenio eximius Theologus appellatus. Is non tam generis claritate, quam animi dotibus, rerumque gerendarum usu atque peritiâ præstans, ortum habuit Romæ; fuitque germanus frater Francisci Ursini urbis eâ ætate Præfecti, rei militaris, animi magnitudine, & fortibus factis præclari, nullique vel illustrium belli Ducum æmulatione propositâ secundi. Jordanus suffragante maximè Bonifacio IX. Neapolitanæ Ecclesiæ Antistes creatus, eô extinctô, ab Innocentio VII. inter sacros Apostolici Collegii Senatores titulo SS. Silvestri & Martini in Montibus adoptatur, ac totius Seraphici Ordinis Patronus & protector constituitur.

Ex Antistite Neapolitano Cardinalis creatur.

Morte paulò pôst sublatô Innocentiô, in sacris Comitiis ad summam rerum suffragatus est Angelo Corario Cardinali Veneto, viro integritate vitæ, morum innocentiâ, & litteris clarissimo, qui assumpto sub nomine Gregorii XII. Pontificatu juraverat, se in id nervis omnibus incubiturum, ut sublato deterrimo Schismate, exoptata diu tranquillitas, vel cum suæ dignitatis dispendio, Ecclesiæ redderetur: imò tanto procurandæ unionis Ecclesiasticæ desiderio tangi, æstuareque visus est, ut sæpè sæpiùs, quasi moræ impatiens, cum lacrymis asseveraret: *Se, si cætera deessent, vel cymbulâ navigaturum, vel certè pedibus, & baculo ad eam conficiendam iturum.* Hanc quidem spem ad omnium lætitiam initiô assumptionis suæ zelosus senex, octogenario major, prætulit. At paulò pôst iniquis suorum consiliis depravatus, regnandique dulcedine illectus, à concepto semel spiritu usque adeò intepuit defecitque, ut sanè nihil horum, quæ tam sanctè receperat, præstiterit. Unde Jordanus, eò segniùs ac remissiùs, præter datam jurisjurandi fidem, in

con-

tollendo Schismate se habente, turpi admodùm & Ecclesiæ maximè noxiâ ludificatione offensus, cum cæteris Cardinalibus eum deserens, Pisas ad indictum Generale Concilium profectus est. Ubi deposito Patrum sententiâ Gregorio, instauratis anno salutis 1409. comitiis, evehendo ad summum sacerdotium Alexandro hujus nominis V. operam dedit. A quo contestandæ gratitudinis ergò ex titulô Equitii ad illum S.S. Laurentii & Damasi translatus, deinceps vulgo *Cardinalis Damasus* est dictus.

Gregorium XII. in extinguendo Schismate segnius se gerentem deserit, & eo deposito, Alexandro V. suffragatur.

Sedente postmodum Joanne XXII. dicto XXIII. cujus creationi (surreptô unius animi intervallo Alexandrô V.) Bononiæ sub annum 1410. celebratæ interfuerat, legatione in Hispania ad sedandos motus, quos Petrus de Luna usurpato Pontificatu privatus, cœtuque fidelium ejectus concitaverat, strenuè perfunctus est. Pari fide & virtute alteram legationem, eodem Pontifice mandante, in Picenum decretam administravit. Aliaque id genus multa & gravia negotia cùm publica, tum privata expedienda, alacri mente, secundo semper exitu, suscepit; inter quæ præcipuum censetur, ardua illa Diplomatis Apostolici executio in eos, qui tum pro libitu (mutuatâ à Schismate audaciâ) Ecclesiarum, Cœnobiorum, & domorum Hospitalium jura, facultates & bona rapuissent, occupâssent, vel quacunque ratione iniquè possiderent. Simili authoritate instructus, urbis Monasteria, Ecclesias, Oratoria, omniaque pia, cultui divino dicata loca diligenti factâ inquisitione visitavit; & quæ corrupta, soluta, aut depravata repererat, opportunis adhibitis remediis correxit atque restituit.

Diversis Legationibus strenuè perfungitur.

Renunciatus deinde Episcopus Cardinalis Albanensis & S. R. E. maximus Pœnitentiarius, injunctum sibi munus tanta animi rectitudine, zelo, prudentia, & integritate obivit, ut non modò sacro Senatui summo honori esset, sed & Ecclesiæ Dei (cujus exaltationi mirè studebat,) maximo decori & emolumento. In eo virtutes omnes usque adeò præcellenti temperamento, concentuque ad admirationem responderunt, ut nemo eo Christiana probitate spectatior, nemo generosis moribus ornatior in amplissimo Purpuratorum Senatu conspectus sit. Senatoriam enim gravitatem ore probo atque blandissimo condiebat; ac ipsam viri optimi famam, domi forisque nitidâ ac hospitali disciplinâ cum omnium ædificatione tuebatur. Si quandò vi rerum, aut exigente officio acrior in subditos, vehementiorque esse compelleretur, nunquam non memor religiosæ mansuetudinis, rigorem officii, ad normam Apostoli, cum spiritu lenitatis mitigabat. Nulla in eo duritas, nulla exorbitans austeritas deprehensa est. Satis habuit errantes defectuum suorum admoneri; vel si minus lenitate profecisset, tolerabili aliquo, & humanæ infirmitati commensurato penso afficere; atque adeò sine strepitu delinquentes ad saniora prolicere. Quo laudabili moderamine illud evicit, ut omnes illum summâ benevolentiâ tanquam patrem complecterentur; æquô ei studiô, dum corriperet, observantiam; dum parceret, amorem & cultum deferentes.

Episcopus Cardinalis Albanensis, & S.R.E. Pœnitentiarius maximus renunciatur.

Ejus insignes virtutes strictim attinguntur.

In celeberrimis gentium omnium Conciliis Pisano, & Constantiensi virtus ejus quàm maximè enituit, dum convulsam, Schisma-

Pro concordando Ecclesiæ statu acerrimè pugnat.

tis iniquitate, Romanæ Ecclesiæ dignitatem & honorem constantissimè tutaretur, & pro resarciendâ, stabiliendâque ejusdem unione, scriptis, opere, consilio omnium acerrimè laboraret; vitamque ipsam (si ita necessitas exigeret) profundere in procinctu staret.

Injuriarum oblitus, Martino V. ad summum rerum suffragatur.

Joanne porrò XXIII. circà salutis annum 1415. in Concilio Constantiensi Pontificatu privato atque deposito, oblitus factionum, omniumque veterum simultatum, quas familiæ Ursina & Columnea inter se protracto tempore ad sanguinem usque & cædes exercuerant, Othonem Columnam S. Georgij Diaconum Cardinalem (qui Martinus V. posthæc vocatus est) modis omnibus in summo Sacerdotio adipiscendo juvit; eumque suo suffragio amicabiliter designans, æmulis omnibus prætulit. A quo tum pro Ecclesiæ unitate, tum pro pace inter Angliæ & Galliæ Reges componenda in Galliam anno nostræ salutis 1418. primùm cum Guillelmô Presbytero Cardinale tit. S. Marci; deinde anno 1425. in Hungariam & Boëmiam, ac Regna Septentrionalia ad extirpandas, quæ ibi pullulaverant, Hussitarum ac Wiclephitarum hæreses Legatus missus, dignum se in omnibus tanti Pontificis Ministrum præstitit; & quantùm dura temporum illorum conditio permisit, (communi Scriptorum testimonio) optimè se gessit.

Ab Eugenio IV. Legatus ad Concilium Basileense missus, eidem omnium maximè studet.

Martino V. anno salutis 1431. vitâ functo suffragium tulit pro Eugenio IV. exactæ virtutis, prudentiæ, & eruditionis viro: à quo ob pondus meritorum ex Episcopo Albanensi declaratus Sabinensis, ad Consilium Basileense litteris & authoritate instructus unà cum Petro Fuxensi, Nicolao Albergato, & Angelo Fusco Cardinalibus doctis, ut Apostolicæ Sedis nomine Concilio præesset, Legatus est missus. Cæterùm exitiali discordiâ inter Eugenium & Patres Basileæ adunatos exortâ, cùm Pontifex rationabilibus de causis Concilium in Italiam transferre statuisset; Patres verò obfirmatè se Pontifici, ne id fieret, opposuissent: unus Jordanus temerariis illorum conatibus, Eugenij partes constanter secutus, dum vixit, intrepidè restitit: magnam exinde fidelitatis & obedientiæ laudem, à qua reliqui non absque ignominiæ probro desciverant, consecutus.

Ejus Obitus.

Novissimè verò ab eodem Eugenio Legatus ad Sigismundum Cæsarem, Romam pro Imperiali Diademate suscipiendo petentem, Senas usque honorificentissimè directus, eum, magno stipatus Antistitum numero, ad urbem adduxit. Interjectis aliquot à coronatione peractâ mensibus, Jordanus lethalem in morbum incidit, quo frustra adhibitis remediis invalescente, ipse supremis Ecclesiæ mysteriis ritè provisus, penultimâ Maij die, anno ab orbe redempto 1439. apud Balnea Petriolana propè Senas è vita excessit. Vir sanè rerum gestarum magnitudine, virtutibus, & vitæ sanctimoniâ clarus. Cineres ejus funebri pompa è Balneis Romam delati, æternum in Vaticana Basilica monumentum meruerunt.

Commendatur à virtutibus plurimis.

Fuit Jordanus in superos & pauperes mirificè largus, illis plurima sacra ædificia condendo; istis ingentem auri vim elargiendo. Doctorum virorum æstimator summus, in quorum gratiam & illicium celeberrimam Bibliothecam selectissimis quibusque libris & manuscriptis, ex variis mundi plagis octo millium aureorum pre-

cio

cio advectis, refertam construxit: quam obiturus libris Vaticanis conjungi testamentô præcepit.

Scripsit teste Francisco de Biliis plurima, ex quibus subjecta inter manuscripta Vaticana asservari dicuntur. *Ejus Scripta.*

De Legationibus Principum.
De Unione Ecclesiæ.
De Detrimentis Schismatum.
Quodlibeta.
Sermones sacros.

Ejus meminit e F. Sansovinus in Hist. Familiæ Ursinæ. S. Antoninus in Hist. Florent. Panvinius de Rom. Pontif. Aubery in Vita. Paulus Morosinus in Hist. Veneta. Barthol. Chioccarellus in Catalogo Archiepisc. Neapolitan. Hieronymus Garimbertus in Vitis Pontiff. & Cardinal. Franciscus Maria Turrigius de Cryptis Vaticanis. Hippolytus Maraccius in Purpur. Mariana. Waddingus in Annal. Minor. Aliiq.

ANNO 1404.
SEDENTE INNOCENTIO VII. PONT. MAX.

De

JOANNE ÆGIDII
S.R.E. CARDINALE.

JOANNES Ægidij (cujus patriam ignoramus) teste Onuphrio Panvinio, natione Germanus, Juris utriusque Doctor insignis, Præpositus Leodiensis in Belgio, sacri Palatii Apostolici causarum cognitor, seu, ut vocant, Rotæ Romanæ Auditor, & Sacelli Pontificii Sacerdos. Is ab Urbano VI. (cui durante Schismate, constanti & Germano dignâ fide adhæserat) renunciatus Sedis Apostolicæ Nuncius, tribus celeberrimis Diœcesibus, Coloniensi, Trevirensi, & Rhemensi præfuit. Permansit autem iis in partibus toto Bonifacii IX. Pontificatu innumeris negotiis, Ecclesiæ causâ susceptis, distentus. XCVIII. *Pluribus Ecclesiæ dignitatibus illustris.*

Cùm verò esset vir eximiæ probitatis, solertis industriæ, prudentiæ & eruditionis consummatæ, ab Innocentio VII. virtutum ejus famâ illecto, absens nihilque tale suspicans purpurâ ac titulô SS. Cosmæ & Damiani exornatur. Qua dignitate suffultus, cùm frugalem ipse, dignamque Ecclesiastico vitam duceret, immensas brevi opes, utplurimùm tamen in pauperum, viduarum, atque pupillorum subsidium erogandas, congessit. Mortuo haud longè pòst Innocentio, Romam profectus ad comitia, electioni Gregorij XII. suo suffragio interfuit, quem tamen ipse omnium primus, quòd contra jusjurandum unitatem Ecclesiæ detrectare; atque adeò oscitantiâ suâ Schisma fovere videretur, Lucæ deseruit: cæterisque Patribus, ut idem facerent, suo exemplo author fuit. Itaque Lucâ Hetruriæ urbe cum aliquot Collegis discedens, Pisas Concilium pro Schismatis extinctione suasurus, atque inchoaturus profectus est. Quòd Gregorius impotenter ægreque ferens, missis eò nunciis cum gravibus monitoriis, Pisanis seriò præcepit, ut Joannem Cardinalem perduellionis reum, aut vivum *In sacrum Senatum ab Innocentio VII. cooptatur.* *Gregorium XII. primus deserit, Patribusq. Concilio Pisano adunando Author est.*

vivum ad se perducerent; vel si ire ille renueret, in frusta discerptum è medio tollerent. Cùm verò spe suâ delusus, neutrum à Pisanis, Joannis innocentiam & candorem exploratum habentibus, obtinere posset, reliquique Cardinalium certatim ad ipsum, tanquam optatæ pacis & unionis studiosum, deserto Pontifice, dilaberentur: infremens ille Joannem diris execrationibus devotum, purpurâ, titulis, ac Sacerdotiis spoliavit: taliterque mulctatum, exauthoratumque, affixis ad valvas Ecclesiarum decretis, cum indignatione promulgavit.

Hinc ab eodē Pontifice dignitatibus spoliatur, & malè habetur.

Quamvis autem Joannes Cardinalis præcipuus Author Concilii Pisani congregandi fuisset, quo dirissimum Schisma, reductâ unitate, extinctum iri credebat; nihilominùs illud, inopinâ morte præventus, videre non potuit. Nam paulò antequam difficilis iste ac undequaque impugnatus Conventus ritè coire; atque Patribus sæpè deterritis tutò inchoari posset, Joannes Pisis non absque veneni suspicione, è vivis sublatus est, mense Julio anni 1407. Ejus cadaver Leodium translatum, ibidem in Ecclesia Cathedrali (quam annis plùs minùs decem summa integritate rexerat) cum hac brevi marmori incisâ inscriptione conditum est.

Pisis moritur & Leodium transfertur.

D. O. M.

JOANNI ÆGIDII CARDINALI LEODIENSI.

Ossa tegit tellus, anima stat gloria cælo.

Scripsit doctam & perelegantem epistolam Apologeticam ad Amicos Cardinales, qua ostendit: *Se neque adversus Gregorium Papam conspirâsse; neque ab ejus obedientiâ unquam recessisse; sed unitati Ecclesiæ, quam Pontifex contra datam fidem negligere videbatur, studere, & consulere intendisse.* Hanc Epistolam descriptam inveniet curiosus Lector apud Ciaconium, vel ejus augmentatorem Augustinum Oldoinum in vita ipsius.

Ejus Scripta.

De eo agunt Panvinius de Rom. Pontiff. Petrus Frizonius in Gallia purp. Aubery in vita. Contelorius in Elencho Cardin. Monumenta Trivultiana. Ughellius in Ital. sacra. præter Ciaconium *& Oldoinum.*

ANNO 1404.

SEDENTE INNOCENTIO VII. PONTIF. MAX.

De

FRANCISCO HUGUCCIONE
S. R. E. CARDINALE

XCIX.

Archiepiscopus Burdegalensis renunciatur.

FRANCISCUS Huguccio, seu de Huguccionis, vel (ut Ughellius in Italia sacra habet) de Aguzzonis, natione Italus, Urbini in Umbria ad Isauri fontes natus, Decretorum eâ tempestate Interpres lucidissimus. Is à Bonifacio IX. suorum intuitu meritorum, Archiepiscopus Burdegalensis in Aquitania renunciatus, legationis munere in Castellæ, Legionis, Aragoniæ, & Navarræ Regnis, Ecclesiæ nomine, eòque fine functus est, ut suâ dexteritate & facun-

facundia (qua omnes facilè superabat) eas Regiones ad Romani Pontificis obedientiam, ejurato Clementis VII. Schismate, revocaret. Prudentissimè omnia, Dei confisus & adjutus ope, ex voto Pontificis transegit: quamquàm contra Castellæ & Legionis Reges, patrem & filium schismaticos, diris devotos Urbanus VI. primò; eoq; extinctô Bonifacius IX. sacrum bellum (quod Cruciatam vocant) indixissent. Hoc, inquam, non obstante Legatus Reges ambos cum omnibus subditis ad obsequium Pontificis virili suâ eloquentiâ pellexit, & à partibus Antipapæ Clementis abstraxit. Eapropter illum Innocentius VII. Bonifacii in Pontificatu Successor, absentem in Aquitania, pascendoque gregi suo intentum, sacro Purpuratorum Senatui, adjectô SS. Quatuor Coronatorum titulo adlegit. Cardinalis renunciatus Curiam Romanam, Burdigalæ permanens, non nisi grandævus, & citatus accessit.

Eapropter ab Innocentio VII. purpurâ donatur.

Inter hæc Gregorio XII. sub annum 1406. in demortui Innocentii locum suffectô, studio persuadendæ unitatis incensus, magnâ Theologorum & Jurisperitorum frequentiâ comitatus, Savonam in Liguribus urbem, tanquam locum tollendo Schismati destinatum appulit, quo jam anteà Benedictus XIII. Pseudopontifex cum suis asseclis convenerat, à quo perquàm humaniter exceptus, ibidem aliquamdiù, in portu tamen, permansit: ne si è navi in terram descendisset, Benedictô, quem pro adulterino Pontifice habebat, communicare videretur. Ibi Gregorium probatissimus senex, non sine magno valetudinis suæ incommodo, diu sed frustrà exspectavit. Verùm de ejus tergiversationibus, labanteque in dies mente edoctus, ad eum, laborioso satis & difficili itinere, Senis tunc agentem profectus, non nullos cum eo menses conciliandæ unionis gratiâ transegit. At cùm Gregorio, imperii dulcedine illectô, & à domesticis depravato nullis precibus, nullisque rationibus persuadere posset, ut pro tollendâ diuturnæ moræ infamiâ iter Savonam versùs cœptum perficeret; ibique ad novissimum saltem procurandæ unitati præfixum terminum adesset, inter primos Cardinales, qui eum deseruerunt, unus fuit; Pisasque, ad exemplum Joannis Cardinalis Leodiensis (cujus secessum probaverat) se contulit. Gregorius ejus discessu irritatus, multumque commotus, submissis Pisas monitoriis literis eum intra decimum diem Senis ad dicendam causam adesse præcepit. Jussa negligentem, decursô peremptoriæ citationis intervallô, dignitate purpuræ, & Cathedrâ Burdegalensi privavit, omniaque illius bona, facultates, & redditus Apostolico fisco addixit.

Procurandæ unitati Ecclesiæ viriliter laborat, Gregorium XII. deserit, à quo dignitatibus privatur, aliisq; incommodis afficitur.

Nihil horum motus Franciscus in sententiâ viriliter animo perstitit, asserens: *Malle se pro Dei gloria terrenis facultatibus carere, quàm desertâ Ecclesiæ causâ, opulentum vivere. Neque enim tanti se facere honorum titulos, aut opum cumulos, ut retentis iis, cum salutis dispendio, pacis osoribus adhæreat, aut blandiatur.* Vocem planè cedro dignam! Paulò pòst in Concilio Pisano publicô Patrum decretô dignitatibus pristinis restitutus interfuit depositioni Gregorii, & electioni Alexandri V. Hôc verò celeriter extinctô, suffragatus est Bononiæ Joanni XXIII. sub cujus obedientia senio gravatus, meritisque cumula-

Eius notabile dictum.

que Oratorem ſtuperent. Concurrebant in eo omnes illæ partes, quæ Præconem Eccleſiaſticum undique perfectum faciunt: ſtatura procera, os patulum, valida latera, geſtus excellens, vox ſonora, zelus diſcretus, libertas in dicendo imperterrita, ſuper omnia verò incomparabilis memoria, uſque adeò fidelis & tenax, ut nullius vel ſemel lecti, vel auditi obliviſceretur. Ultrà hæc tamen admirabilis ingenii vigore atque ſolertiâ eminuit, ut ſciſcitantibus ſuperioribus unde nam tantam ſcientiarum omnium copiam hauſerit? interpoſito fidei ſacramento juraverit; *ſe in altioribus diſciplinis ediſcendis nullius unquam præceptoris operâ, aut directione uſum fuiſſe, ſed ſe ipſo, ſuoq; labore quidquid ſciret, percalleretq;, ad exemplum Divi Auguſtini, adſpirante Deo, comparâſſe.*

Feſulis inſigne Monaſterium, nonnullorum benè numatorum adjutus operâ condidit, Divo Dominico nuncupatum, quò ſe multis comitatus diſcipulis, ejus vitæ ſanctimoniâ illectis recepit. Ibi conſtituto ſeverioris ac ſanctioris diſciplinæ Seminario, vitam egit auſteram, planeque cœleſtem. Cùm verò omnia eâ tempeſtate, ob ſchiſmata, hæreſes, & bella, vitiis ac corruptelis oppleta cerneret: pereuntium ſaluti conſulturus; maloque, ne latiùs ſerperet, opportuno remedio occurſurus, in diverſas Italiæ partes, Picenum ſcilicet, Galliam ciſalpinam, Venetias, aliaſque conterminas regiones, aſcitis in opus miniſterii fidelibus ſociis perrexit: ubi prædicationibus aſſiduis, zelo, conſilio, exemplo, vitæque probitate innumerabiles vitiis immerſos ad meliorem vitæ frugem reduxit. *Feſulis & Venetiis ſacra condit ædificia. Animarũ ſaluti unicè intentus.*

Venetiis, libidinum eâ ætate Theatro, nobiliſſimum ſacrandis Deo Virginibus Monaſterium, *Corporis Chriſti* dictum, publico ære oſtiatim collecto, conſtruxit: in quo ſaluberrimis ad vitæ honeſtatem præſcriptis legibus, malè periclitantium puellarum honori & verecundiæ egregiè, paterneque providit. Certatim enim eò, tanquam ad ſecurum honeſtatis aſylum confugientes Virgines, ſæculi contemptis vanitatibus & illecebris, religioſam, puramque vitæ rationem ſunt amplexæ. *Virginum pudori egregiè conſulit.*

Sub exactiſſimâ ejus diſciplinâ non modò ſcientiarum; ſed & ſanctitatis, virtutumque incrementa ſumpſerunt viri excellentes, planeque ſuſpiciendi: inter hos præ cæteris eminent Antonius, à puſillo corpore dictus Antoninus, poſteà Archiepiſcopus Florentinus, inter Sanctos relatus; Joannes Maſius; Andreas Duccius, Bartholomæus Lappatius, & Joannes Pictor, omnes editis libris, & elogiis clari. *Ex ejus diſciplina viri excellentes prodeunt.*

S. Vincentius Ferrerius admirandæ vir ſanctitatis & eruditionis, qui ejus ætate floruit, à Florentinis, Genuæ exiſtens, precibus & literis invitatus renuit illò ire, dicens: *Ad eas civitates ſe non venturum, quæ alteri concreditæ eſſent, qui ſuâ doctrinâ & vitâ modeſtiâ homines inſtitueret & emendaret.* De Joanne Dominici loquebatur ille, dum hæc ſcriberet.

Inter hæc Gregorius XII. anno ſalutis 1406. in Comitiis Apoſtolicis Romanus Pontifex ſalutatus, tanti viri famâ, doctrinâ, & ſanctitate commotus, primò eum Archiepiſcopum Raguſinum, deinde

anno

A Gregoriô XII. Archiepiscopus Ragusinus, & Cardinalis efficitur. anno 1408. S. R. E. Presbyterum Cardinalem titulo S. Xysti renunciavit, tum ut ejus operâ & consiliô (salvo tamen suo Pontificatu) in extinguendo Schismate, quo tota ferè Christianitas laborabat, uteretur; tum ut dissidentium Florentinorum gratiam eâ promotione iniret. Verùm illi promotionem Joannis sinistrè interpretantes, pessimam Pontifici gratiam retulerunt. Nam cùm Gregorium ob secretam cum Ladislao Rege Neapolitano pactam amicitiam mortali odio persequerentur; in electionem Joannis iram omnem exonerârunt, criminantes solâ ipsum hypocrisi & ambitione dignitatem illam à factioso Pontifice, non meritis assecutum fuisse. *A Florentinis injuriâ immeritò afficitur.* Et hoc quidem illi commentum à solo livore mutuatum adversus insontem sparserunt in vulgus, cùm tamen ipsis certissimò constaret: Joanni invito, nihilque tale ambienti, aut quærenti honorem illum à Pontifice delatum fuisse: ut apertissimis verbis innuit S. Antoninus: *Cardinalem*, inquiens, *instituit Joannem Gregorius, purpuram non quærentem, sed respuentem: prævaluit tamen voluntas Pontificis, cui, ne divinæ voluntati videretur obsistere, paruit.* Tantùm tamen consilio & persuasione apud obstinatissimum cæteroquin Gregorium valuit, ut eo duce in Concilio Constantiensi (cui Joannes tanquam Legatus interfuit) liberè Pontificatui renunciaverit. *Gregorius eo Authore Pontificatu se abdicat.* Post cujus abdicationem, cùm & ipse Joannes purpuram deponere; atque inter Episcopos ultimus, privatusque sedere vellet, non tulit Concilium, nec Sigismundus Imperator, jubentes eum, uti priùs, & Legatum & Præsidem eâ in Synodô agere. Quorum sententiis obtemperans, rursùm Concilio Legatus præsedit; authorque præcipuus eliminati posteà Schismatis, & reductæ in Ecclesiam unionis extitit.

Sigismundo Cæsari Legatus in Boëmiâ & Hungariâ datur. Absoluto Concilio Sigismundus Imperator, præclaris ejus animi dotibus captus, optavit eum sibi comitem in Hungariam, atque Boëmiam dari, ut ejus potissimùm consiliô & operâ grassantes iis in partibus Wiclephi, Hussique hæreses elideret. Quare Martinus V. in eodem Concilio supremum Sacerdotium adeptus, Cæsari gratificaturus Joannem Sedis Apostolicæ Legatum renunciavit; eôque titulô insignitum, Cæsari comitem in viam dedit.

Reducendâ Boëmiâ in cassum laborat. In Boëmiam igitur cum Cæsare delatus, omnem statim in exordio Legationis suæ eò impendit operam, ut obcæcatos Boëmorum animos fulgore veritatis avitæ collustraret; eorumque corrupta dogmata, sanâ fide reductâ, convelleret. Verùm usque adeò in malo obduratos, atque etiam ob exustum recèns Hussum cum assecla suo Hieronymo Pragensi exasperatos invenit, ut nulla prorsùs eos ad frugem reducendi spes affulgeret. Quin potiùs ei, licèt salutaria suadenti, quaquaversùm insultare; acerbis dicteriis, convitiisque (nil pensi habito sacro ejus charactere) famam lacessere; & ni Regnô cederet, mortem etiam intentare cœperunt. *Boëmorum in Catholicos crudelitas & sacrilegia.* Dehinc ultrò furiarum progressi, arma in imbelles Monachos & Sacerdotes stringere; Cœnobia eorum, Fanaque diripere, incendere; vetustos Ecclesiæ ritus damnare & abolere; suos è contrario introducere, stabilire, veros sincerosque proclamare; atque omnia execrandâ audaciâ invertere & proculcare perrexerunt. Quibus commotus Legatus Cæsari per Nuncios significat: *Se in reducendis tam profligatæ*

dura-

duraque cervicis haretici oleum & operam perdere: nec jam verbis amplius, aut lenitate, quibus apud desperatos nihil ageretur, sed rigore, ferro & igne opus esse. Sigismundus collatis cum suis consiliis, ex eorum sententia tutius nihilominus censuit, turbulentissimo hoc rerum statu armis abstinere, temporique nonnihil, donec impotentis furor hæresis defervesceret, inservire; atque adeò Regno, quod ex obitu Wenceslai propediem suum futurum erat, parcere: ne, nondum in eo stabilitus, adytum sibi difficiliorem ex inconsulto bello causaret. *Sigismundus dilatò bellò, tempori servit.*

Redux itaque ex Boëmia Legatus, cum Cæsare in Hungariam, quò eadem hæresis jam jam penetraverat, perrexit. Budæ allapsus, feliciori longè successu atque in Boëmia cum Hæreticis conflixit. Siquidem Apostolico spiritu plenus, junctis sibi ad disseminandum Dei verbum aliquot egregiis viris, Regnum illud brevi tempore ab erroribus repurgatum ad avitam religionem perduxit. Profligatâ hæresi Budam reversus, concionibus suis, eleemosynis, aliisque piis operibus, ac præcipuè inculpabilis vitæ tenore tantùm valuit, ut urbs illa regia viventem illum veluti reductæ salutis authorem coluerit, & morientem parentis instar optimi luctu publico defleverit, inferias ei celeberrimas in Conventu S. Pauli primi Eremitæ persolvens, funus cohonestantibus summis Principibus, & Magistratibus, universa nobilitate, Clero & populo. Excessit è vita die x. Junii, anno ab orbe redempto 1419. Sacramentorum munitus armis, in extrema lucta adstantes præclarâ hac erudiit oratione: *Quamvis ego multa, fratres & filii mei charissimi, in præsenti vita pro mea, & aliorum salute ex Deo consequi desideraverim, nihil tamen tantoperè concupivi, quàm ab hujus miserâ carnis dissolvi, & esse cum Christo. Mori igitur lucrum, non detrimentum puto.* Ea in voce paratissimum Deo spiritum in manus consignavit: multis, iisque stupendis post obitum signis clarus, quibus mirabilem ejus vitæ sanctimoniam Deus orbi testatam fecit. Eapropter à sui ordinis consodalibus *Beati* titulo donatus. In Monasterio Fesulano, uti diximus, à fundamentis erecto, ipsius effigies ad vivum elaborata, cum hac Epigraphe conspicitur. *Legatus in Hungaria hæresim profligat, magno Reip. Christianæ emolumento.* *Budæ sanctè moritur & splendidè effertur.* *Ejus extrema verba.*

BEATUS JOANNES DOMINICI DE FLORENTIA, ARCHIPRÆSUL RAGUSINUS, ET PRESBYTER CARDINALIS, REGULARIS VITÆ IN ITALIA REPARATOR, AC COENOBII HUJUS FUNDATOR. *Ejusdem elogia.*

Joannes Carolus non contemnendus Author eleganti stylo hujusce Cardinalis gesta conscripsit: & Verinus illustris Poëta Libro secundo *de Illustratione urbis Florentinæ*, inter alia, hæc de illo canit:

Dominici plebea domus splendore Joannis
Emicat illustris, morum probitate, vel ipsâ
Doctrinâ insignis, vitaq; exemplar honesta
Dominici sancti Fesulanam condidit ædem,
Cardineumq; apicem sola virtute recepit.

Scripsit Joannes gravi & emendato stylo plurima insignia Opera, nimirùm: *Varia ejusdem & insignia Scripta.*

Commentarios in Ecclesiasticum.
- - - in Cantica Canticorum.
- - - in Evangelium S. Matthæi.
Notationes item utilissimas super *Magnificat.*

In Epiſtolam Pauli ad Romanos librum unum.
Itinerarium devotionis, libro uno comprehenſum.
De Amore Charitatis Librum unum.
Sermones de Sanctis.
Sermones Quadrageſimales.
De Poſſeſſionibus Librum unum.

Sermones item quinquaginta in primos novem Pſalmos, quorum lectione nil dulcius, nec quicquam eſt eorum eruditione præſtantius. Hos Florentiæ in Eccleſia Cathedrali quum recitaret, adeò gravi ſedatâque elocutione uſus eſt, ut auditores in ſubſelliis ſcriptitando explicatas ſententias notis exciperent. S. Antoninus, ejus olim diſcipulus atteſtatur: *Illum longo annorum intervallo ſingulis Quadrageſimis bis in die concionatum fuiſſe, cum maxima gratia, & audientium fructu, propter fragrantem odorem ſanctitatis ejus, & facundiam, & ſapientiam.*

Poëtam Collutium periculosè ſcribentem perſtringit & emendat.

Cùm Poëta Collutius Salutatus, vir doctrinâ clarus *de Fortuna & Fato* quendam edidiſſet librum, in quo non ſatis probè de fide Catholica ſentire videbatur, licentiâ fortaſsè poëticâ plùs æquô uſus, adverſus eum ſtylum acuit Joannes, opponens alium Libellum *Lucula noctis* appellatum, in quo omnes Collutii errores, ne legentibus offendiculo ſint, annotantur, perſtringuntur, & emendantur.

Celeberrimã ejus famam Niemus impoſturis & mendaciis onerat.

Hunc tamen præſtantiſſimum virum immani odio inſectatur maledicus Niemus, tanquam præcipuum unionis Eccleſiaſticæ diremptorem, & Gregorii XII. perverſorem, confutans etiam ejus pro Gregorii causâ conſcriptos Tractatus, uſque adeò graviter impotenterque eum apud poſteros infamare conatus, ut etiam ſuppoſititiam epiſtolam finxerit, aut certè ab alio impoſtore confictam retulerit, nomine Satanæ ad eum ſcriptam, qua ei ſtygius hoſtis gratias agit, quòd malis ſuis operibus, nefandiſſimis mendaciis, ac iniquiſſimis prædicationibus ſatageret abominabile Schiſma in Eccleſia Chriſti ſagaciter confovere. Sed maledicta mendaciſſimi Niemi detractoris convitia laudes ſunt virorum ſanctorum, indigna proinde quæ ſolidâ aliquâ ratione impugnentur, cùm per ſe ipſa, utpote nulli, niſi lubricæ mendaciorum ſtructuræ innixa corruant, omneſque penitùs fidem peſſimo convitiatori derogent. Aliter longè de Beato noſtro Joanne ſentit & ſcribit Divus Antoninus, *Virum illum pium, probum, verbo atque opere potentem, ſigniſq; coruſcantem* deprædicando, quo uno ſanè elogio non tam innocentiæ Joannis vir ſanctus ſuffragatur, quàm os loquentis iniqua obſtruit.

Defenditur.

S. Antonini de eô Judicium.

De eo agunt Joannes Carolus in Vita. Panvinius de Rom. Pontiff. Chron. Ord. Prædicat. Leander Albertinus de Viris illuſt. Ord. Prædicat. Aubery in vita. Antoninus Senenſis in Chron. & Biblioth. Maraccius in purp. Marianâ. Contelorius in Elench. Spondanus in Annal. Eccleſ. Hieronymus Garimbertus de vitis Cardin. Alphonſus Fernandez in Concertat. Prædicat. & alii multi.

ANNO 1406.

SEDENTE GREGORIO XII. PONTIF. MAXIMO.

De

PHILIPPO REPINGTONO S.R.E. CARDINALE.

PHI-

CI.

PHILIPPUS Repingtonus nobilis Anglus, Canonicus Regularis S. Augustini Leincestriæ. Hic solerti curâ parentum domi primùm inter coæquales institutus, Oxoniumque ad studia exinde missus, felicis ingenii beneficio non vulgares in literis fecit progressus, adeò ut brevi emensô altiorum disciplinarum curriculô, adeptâque Theologici Doctoratûs Laureâ, quas callebat artes, publico cum plausu Oxonii sexennio fuerit professus. In ætatis flore à Wiclephitis, quorum contubernio utebatur, deceptus, quædam pro concione affirmâsse, imò & libris editis in vulgus emisisse dicitur, quæ sinceritati fidei Catholicæ, doctorum judiciô, non leviter repugnare videbantur; quæ tamen ipse posteà errorem agnoscens, veniamque deprecatus, in solemni concione Londini ad Crucem D. Pauli generosè redarguta cum lacrymis revocavit. Nam illic anno reparatæ salutis 1382. è suggestu descendens ante summi altatis gradus positis genibus inspectante & audiente populô palinodiam cecinit; abjuratisque viginti quatuor erroneis articulis ad saniorem mentem & vitam rediit, ac præcedentis vitæ errata, piè institutâ, sanctèque transactâ senectute obliteravit.

Oxonii in Anglia sacras literas publicè profitetur.

Juvenis adhuc in Wiclephi hæresim prolapsus, Londini palinodiam recantat.

His in Juventute peractis, severioris disciplinæ cupidus, Regulam Divi Augustini Leincestriæ, Duce Deo, amplexus est. Cùm verò procedentibus annis pietate, virtutibus, & doctrinâ multùm emineret, sui Cœnobij Abbas Lincestrensis primò electus; mox Episcopus Lincoliensis creatus; demùm anno salutis 1408. à Gregorio XII. virtutum ejus admiratore, Presbyter Cardinalis titulo SS. Nerei & Achillei renunciatus est. Sacrâ insignitus purpurâ non modò voce vivâ, sed & Scriptis Wiclephitarum hæresim, convulsis eorum dogmatibus, extremè exagitavit: adeò ut quamvis olim Juvenis depravatus Ecclesiæ multùm detrimenti attulerit, jam sanus & senex factus longè plùs frugis & emolumenti, duplicato quasi fœnore, retulisse sit visus.

Divi Augustini Regul. professus Leincestrensis, mox Episcopus Lincoliensis, ac deniq; Cardinalis creatur.

Referunt nonnulli, Philippum altero ab accepta purpura anno, qui fuit Christi 1409. Sacramentis Ecclesiæ ritè expiatum è vita migrâsse. At hi facillimè erroris arguuntur, nam ex actis Concilii Constantiensis exploratum certumque est, Philippum suo suffragio interfuisse electioni Martini V. quæ non nisi salutis anno 1417. accidit. Post annum igitur decimum septimum supra millesimum quadringentesimum, obitum ejus evenisse dicendum est.

Quo tempore decesserit.

Scripsit Defensorium Wiclephi Præceptoris sui quod opus posteà retractavit.
Homilias item per Annum.
In Evangelia Dominicalia.
De sæculari Dominio.
Quæstiones disputatas.
Tractatum adversus Wiclephitas.
Defensorium Ecclesiæ Catholicæ.

Ejus Scripta.

Claruit etiam Poëti. Extant nonnulla ejus festiva, falsâque adspergine nobilia, doctis non injucunda Epigrammata; inter quæ lepidum illud sale plenum, contrà quendam sui ævi Poëtam dictum *Neckam* circumfertur:

Philippi, & æmuli duo mordacia epigrammata.

Es niger & nequam cùm sis cognomine Neckam,
Nigrior esse potes, nequior esse nequis.

Sales salibus Neckam Philippo rependens, injuriam simili epigrammate ultus est.

Phi *nota fœtoris*, Lippus *malus omnibus horis*,
Phi *malus &* Lippus, *totus malus ergo* Philippus.

Ejus mentionem agunt Francisc. Godewinus de Episcopis Lincolienfibus. Jo. Pitsæus de Script. Anglic. Contelorius in Elencho Cardin. Panvinius de Rom. Pontiff. Aubery in vita. Nomenclator Cardin. Ughellius in addit. ad Ciaconium. Morerius in Diction. Magno Historico.

ANNO 1406.

SEDENTE GREGORIO XII. PONTIF. MAX.

De

MATTHÆO DE CRACOVIA S. R. E. CARDINALE

CII.

Insignis Scientiarum penè omnium Doctor.

MATTHÆUS de Cracovia (vel meliùs de Wormatia) natione Germanus, patriâ Wormaciensis, immenso captu, vastâque memoriâ scientiarum pœnè omnium arcana ita percalluit, ut insignis ævo suo Philosophus, Theologus, & Ecclesiastes evaserit. Nam florentissimarum Academiarum Parisiensis, & Pragensis præfecturam concordi studiosæ Juventutis acclamatione consecutus, Patrumque decretô eâ in dignitate confirmatus sacras literas multo tempore, multo cum plausu, & fructu est interpretatus. Appulit exinde ingenium ad sacras elucubrationes adeò diligenter, ut ad normam Christianæ disciplinæ librum de optimi Antistitis officio publicaret, insignesque in elucidandis Canticis, Ecclesiaste, & D. Matthæi Evangelio expositiones commentaretur. Et quia doctrinæ famæ integritatem quoque vitæ conjunxisset, à Clero Wormacienfi suffragiis expetitus, Regioque favore & authoritate Ruperti Cæsaris adjutus, Wormaciensem Infulam, superatis æmulis, adeptus est circa salutis annum 1405.

Ad Infulam Wormaciensem assumitur.

Exinde ab eodem Imperatore Ruperto (cui fidelissimâ operâ aliquamdiù ab epistolis & arcanis consiliis fuerat) Romam ad Gregorium XII. Orator missus, concredita fidei suæ negotia tantâ dexteritate atque facundiâ in sacro Senatu exposuit, transegitque; ut Gregorius præclaras viri dotes admiratus, dignum existimarit, quem Purpuratorum cœtui insereret. Collato itaque S. Cyriaci in Thermis titulo illum ex Senatûs consulto Presbyterum Cardinalem edixit; Legatumque de consensu Cæsaris in Boëmiam misit, ut Hussitarum dogmatum initia disputatione tollerentur. Lætatus est eâ purpurâ per annos quatuor, pervasurus haud dubiè ad exactam ætatem, nisi nimiâ tuendæ valetudinis solicitudine intempestivis medicamentis (sibi herclè insanus & infelix medicus) viscera corrupisset.

Romam ab Imperatore Ruperto missus, à Gregorio purpurâ, & legatione in Boëmiam insignitur.

Sunt qui scribunt; Matthæum ante legationem Romam susceptam, ab Imperatore Ruperto in Asiam ad Tamurlanum Regem Tartarorum Oratorem missum fuisse, ut cum eo adversus Bajazetem Tur-

A nonnullis Legatus in Asiam ad Tamurlanum missus proditur.

Turcarum Imperatorem, Christiani nominis terrorem maximum, & persecutorem crudelissimum fœdus iniret. Matthæus ergò longo, difficilique itinere eò delatus, Tamurlani jussu à Regni Proceribus magnificè exceptus, Principem per omnia facilem, urbanum, comem, postulatis, ac fœderi maximè consentientem & subscibentem habuit. Eapropter Tamurlanus in executionem fœderis recèns initi collecto innumerabili exercitu, Anno salutis 1402. adversus Bajazetem propè Angoriam in campum progressus, admirandum illud prælium (cui simile à mundi exordio in hæc usque tempora nusquam legitur) conservit.

Maximum Tamurlani cum Bajazete prælium.

Libet rem gestam, ex ipsis haustam fontibus (Ciaconio duce) paucis hoc loco referre. Ultimis Bonifacii IX. temporibus, inquit ille, stupendum illud prælium, quale mundus ab origine sua non vidit, inter duos maximos Duces, Bajazetem Turcarum, & Tamurlanum Tartarorum Reges consertum est, in quo ad montem Stellam propè Euphratem duobus pugnatorum millionibus maximo utrinque animi ardore ab aurora diei in feram usque noctem concertatum est.

Bajazetes victus ferrea cavea includitur, & ludibrio habetur.

Editâ utrinque ingenti, ac propè incredibili hominum strage, victoria demum à Tamurlano stetit. Bajazetes orbis terror, vivus in manus hostium (ultore Deo) tandem prolapsus, victoris jussu mulo, conversâ in dorsum jumenti facie, impositus, circumductus, & ab exercitu probè delusus, jucundum toti Asiæ, cujus dominium effræni fastu affectaverat, spectaculum præbuit. Aureis posteà catenis vinctus, & in ferrea cavea conclusus, Victori, quoties equitare vellet, dorso in vicem scabelli subdito, substratus est. Prandenti verò, quò magis ludibrio & despicatui foret, juxta mensam tripodi alligatus, canis in modum projectis è mensa reliquiis victitare, famemque sedare coactus est.

Miserandò exitu vitam finit.

Tandem cùm & conjugis, fœdè in contumeliam prostitutæ agones coràm videre compelleretur, illisô ferreis caveæ retinaculis capite, sparsôque cerebrô infelicem vitam miserabili exitu fremens ac ejulans conclusit anno post Christum natum 1403. Regni sui decimo quinto. Ferunt in memorabili hoc prælio ducenta hominum millia ex Tamurlani exercitu; & trecenta quadraginta quinque millia ex Bajazetis interfecta fuisse. Quô factum, ut eo tempore Euphratem majorem penè sanguinis quàm aquarum fluxum in sinum Persicum exoneraverit.

Tamurlani obitus.

Bajazete interfecto Tamurlanus, qui se *Dei iram ad corruptum orbem puniendum* appellaverat, unô dumtaxat annô supervixit. Extinctus anno Christi 1404. Anteceſſit autem ejus mortem ingens & luridus cometes, quo portendi mors tanti Regis visa est.

Matthæus ante gestum hoc prælium legatione sua præclarè functus, muneribusque à Tamurlano cumulatus, ex Asiaticis plagis in patriam redux, ab Imperatore Ruperto, alterô à reditu annô in præmium benè navatæ operæ Episcopatum Wormaciensem, ex obitu Præsulis tum commodè vacantem (uti diximus) obtinuit; moxque insequenti anno, qui fuit Christi 1406. Romæ ad purpuram evectus, utrique dignitati summa cum prudentia integerrimè præfuit usque ad obitum, qui obortâ gravi pituitâ, Wormaciæ contigit Anno salutis 1410. quinta die Martij. Ibidem in medio Chori Cathedralis Ecclesiæ sepultus.

Matthæus Cardinalis Wormaciæ moritur.

Ejus nonnulla Scripta.

Scripsit plurima non spernenda opera, inter quæ laudantur
Tractatus de Contractibus.
Libellus de Amore divino.
De officio Antistitum.
De celebratione Missæ.
Commentaria in Cantica Canticorum.
- - - In Ecclesiasten.
- - - in Matthæi Evangelium.
- - - in Epistolam Pauli ad Romanos.

Jo. Trithemij de eo testimonium.

Aliaque multa, quæ teste Ciaconio, in Monasterio, dicto Franckenthalensi M.S. asservantur, & ostenduntur. De eo pariter agens Trithemius in Catalogo Scriptorum Ecclesiasticorum hæc habet: *Matthaus de Cracovia, vir in divinis Scripturis eruditus, & sacularis Philosophia non ignarus, ingenio promptus, eloquio scolasticus, qui in Gymnasio Pragensi magistrali cathedra sublimatus, magnam ab omnibus doctrina sua laudem commeruit. Scripsit multa praclara opuscula, de quibus tamen pauca ad manus nostras pervenerunt. Vidi ejus ad Episcopum Warmiensis Ecclesia non abjiciendum opus de Pradestinatione: quod pranotavit rationale divinorum operum.* Hæc ille. Enarrat deinde, quæ scripsit opera: superiùs jam adnotata.

Ejus meminère Anton. Demochares in Chronico. Claud. Robertus in Gall. Christiana. Gaspar Bruschius de Episc. Germania. Trithemius citatus. Aubery in vita. Panvinius de Rom. Pontif. Nomenclator Cardinalium. Ciaconius in vita. Ughellius in addit. ad Ciacon. & alii nonnulli.

ANNO 1406.

SEDENTE GREGORIO XII. PONT. MAX.

De

LUCA MANZOLIO

S.R.E. CARDINALE.

CIII. LUCAS Manzolius nobilibus Florentiæ parentibus procreatus, à pueritia ordinem Humiliatorum (quem duobus abhinc sæculis Pius V. Pontif. Max. extinxit) in cœnobio omnium Sanctorum professus, sub optimorum curâ præceptorum, tam admirabiles non modò in literarum studio, sed & virtutum stadio fecit progressus, ut dubio locum fecerit, scientiarumnè doctrinâ, an vitæ sanctimoniâ præstiterit? utrumque enim usque adeò eminenti temperamento complexus est, ut à multis animatum quoddam scientiæ & sanctitatis simulacrum meruerit appellari. S. Antoninus ejus concivis, familiaris, & coætaneus non dubitavit eum *Virum magni consilii*, *Theologum præstantem*, *peritum sacrarum literarum professorem*, *exquisita fama & probitatis exemplar* nuncupare.

Vir doctrina laude, & vita sanctimonia præstans.

Doctorali laureâ insignitus, arcana Theologicæ facultatis aliquamdiù maximo eruditæ juventutis accursu & plausu diversis in locis explicuit. Ex Præposito Monasterii sui, cui nonnullis annis san-

sanctissimè juxtà ac utilissimè præfuit. Republicâ Florentinâ instante & petente Episcopus Fesulanus electus est. Et paulò pòst à Gregorio XII. celebri ejus famâ promoto in sacrum Collegium titulo S. Laurentii in Lucina cooptatus, in Hetruria legationis munere ejusdem Pontificis jussu functus, à Florentinis maximo honore publicis sumptibus exceptus est. Sed cùm deinde Gregorius, in Concilio Pisano tollendo Schismati intento, Patrum sententiâ Pontificatûs honore spoliatus esset, simul & ii, quos uti dubius Pontifex purpurâ ornaverat, unà cum eo abierunt repulsi, inter quos fuisse Manzolium ex actis Pisanis perspicuè liquet, contra quosdam contrarium tenentes.

Ex Præposito Ordinis Episcopus Fesulanus, ac mox Cardinalis eligitur.

Gregorio XII deposito, & ipse dignitate cadit.

Dignitatibus itaque exauthoratus Manzolius Florentiam ad Ordinis sui Monasterium concessit, ubi vitam solitariam beatè transigens, octogenario major, sanctis operibus cumulatus, cœlesti patriæ non absque sanctitatis opinione insertus est XVIII. Kalend. Octobris anno 1411. Sepultus in Ecclesia omnium Sanctorum sui Ordinis in conspicuo ac nobili Sarcophago, à Florentinis cum hac Inscriptione erecto.

Sanctè moritur in sui Ordinis Monasterio.

Exemplar vitæ, morum, virtutis, & almæ
Professor Legis, qualem vix noverat ætas
Nostra parem; fuit hic Lucas ex Ordine nostro,
Cardinis ad culmen Romanæ spontè vocatur
Ecclesiæ. Verùm Legatus posteà summi
Pontificis moritur, cælum mens ipsa volavit.

Ejus Epitaphium.

Scripsit inter alia multiplicis eruditionis volumina,

- Tractatum de Augustissimo Eucharistiæ Sacramento.
- Summam Casuum Conscientiæ.
- Ac simulato nomine Consilium Laurentii de Ridolphis pro Collegio contra Antipapas.

Scripta ejus.

In Tabulis olim Ordinis Humiliatorum pro *Beato* habebatur, de quo in Martyrologio Monastico hæc apud Arnoldum Wion leguntur: *Decimo octavo Kalend. Octobris Florentiæ depositio Beati Lucæ Manzolij, Præpositi Ordinis Humiliatorum, & S. R. E. Cardinalis amplissimi, summa doctrina & sanctitatis Viri.* In Catalogo tamen Fesulanorum Episcoporum ex monumentis ejusdem Ecclesiæ collecto, nulla de ejus beatificatione mentio extat, quamvis *sanctus & virtutibus pollens* dicatur.

De eò agunt Panvinius de Rom. Pontiff. Scipio Ammirat. de Episc. Fesulanis. Aubery in Vitâ. Valerianus Florentinus de Cardinalibus Florentinis. Garimbertus in vitis Cardin. Nomenclator Cardin. Ughellius & Victorellus in addit. ad Ciaconium. Arnoldus Wion citatus. & alii.

ANNO 1406.

SEDENTE GREGORIO XII. PONT. MAX.

De

PETRO MAUROCENO

S. R. E. CARDINALE.

CIV.

Ob doctrinæ eminentiam Cardinalis renunciatur.

PETRUS Maurocenus Venetiis patritio genere natus, illustris ævô suô Juris Interpres & artium Doctor, à Gregorio hujus nominis XII. gravi excellentium ingeniorum æstimatore, purpuratis Patribus aggregatus est Anno salutis 1408. obtentâ in titulum Ecclesiâ S. Mariæ in Cosmedin. Is à prima juventa optimis litteris, generosisque moribus animum pariter & corpus ita excoluit, ut vel lividis momis displicere non posset. Erat enim à procera, decentique corporis statura, à præalto ingenio, vividoque spiritu ita comparatus, ut vel maximarum rerum negotia nemo habiliùs suscipere; nemo subtiliùs discutere nemoque faciliùs, promptiùs, ac doctiùs expedire valeret. Nihil enim vel præstantis doctrinæ, vel solertis industriæ, vel reconditæ artis ardens ejus, maximeque efficax ingenium subterfugit. Erat porrò celeri captu, expedita ratione, tenacique memoriâ stupendus: eloquentiâ verò tantâ, ut in omni congressu, & disputatione, quum de arduis consuleretur, facilè, quo vellet, hominum animos impelleret, summus propterea bello & pace consultor, & mirabilis ocasionum inventor & artifex habitus. His ingenii dotibus instructus, quum Patavii insigni nominis sui gloriâ Sextum Decretalium Librum, doctissimis à se notis illustratum, studiosæ juventuti annis pluribus explanaret, illud evicit, ut non modò Sophistarum importunâ suâ garrulitate cuncta fœdantium errores validè convulserit; sed & imperitorum latratibus, publicatis summâ eloquentiâ commentariis, occurrerit.

Insignes ejus animi & corporis dotes breviter describuntur.

Voluptatis & deliciarum contemptor eximius.

Cibi verò & vini maximè abstinens, somnique minimi, usque adeò mollioris vitæ voluptates abdicavit, ut pecunias, luxuriæ instrumenta, ne inspectâ quidem monetæ notâ, contemneret; oblatum & nullâ delectum curâ cibum caperet; nec unquam de fortunâ, quantumvis eo tempore asperâ, quereretur: quòd unam vir acutus studiorum laudem vitæque honestatem respiceret. Eum, herclè, perfectum Stoicum putâsses, nisi honesto ori liberalis hilaritas affuisset. Edidit præterea alia completæ eruditionis opera, ad dilucidationem Jurisprudentiæ spectantia, quæ viris doctis cùm à soliditate doctrinæ, tum à dilucido ordine, stilique gravitate multùm probantur. Extant hæc inter curiosa Bibliothecæ Venetæ manuscripta, cujusdam thesauri loco ad ostentationem asservata.

Ab Alexandro V. legatur in Germaniâ ad Sigismundum Cæsarê, arma adversus Celebinû moventem.

Adlectus jam jam in Senatum Purpuratorum, ab Alexandro V. (qui deposito à Pisanis Patribus Gregorio successit) Legatus missus est in Germaniam ad Sigismundum Imperatorem, ut ei acceptam ad Nicopolim cladem ulturo, operâ & consiliô adesset adversus Celebinum Turcarum Imperatorem, interfecti à Tamurlano Bajazetis filium. Sigismundus enim propter eximiam pietatem, generosique animi laudem, Augusti nomen meritus, valida potiùs, quam felicia arma in Turcas iterum hortatu Principum Christianorum susceperat. Excitatis igitur Hungaris, Boëmis, atque Germanis, ut studiô tuendæ & propagandæ religionis adversùs Barbaros tam pia, quàm necessaria arma inducerent, agitabat ipse animo, quo pacto cladem ad Nicopolim nuper summo Reipublicæ Christianæ

ſtianæ detrimento paſſam ulciſceretur. Nam Celebinus juvenis atque mulieroſus, belli & armorum non admodùm peritus, fractas à Tamurlano copias trahens, reputatione Bajazetis acerrimi & anteà invicti Ducis, omninò contemnendus, facileque vincendus videbatur. Sed contrà accidit. Nam eadem inconſtans fortuna, quæ ſtrenuè audentem Sigiſmundum nuper ad Nicopolim eluſerat, pari libidine ad Columbatium infeſta perſequebatur. Columbatium oppidum eſt Servianorum Triballis finitimum, juxta Samandriam, non longè à Danubio poſitum. Eò paribus armis & viribus inſtructi Celebinus & Sigiſmundus pervenerant. Chriſtiana acies equitatu impar, ſed peditatu in media acie inſtituto ſuperior, iniquiſſimâ ratione cum Barbaris concurrit. Equeſtris enim ferè totus hoſtium exercitus latè cornua extendit, adortuſque Hungaros & Boëmos equites, qui in cornibus erant, cruentâ editâ pugnâ, loco depulit, breviqùe circumventum univerſum pedidatum ſagittis configit. Neque enim pedites magnâ parte corporis inermes ſagittarum multitudinem ampliùs ſuſtinere poterant. Hinc diſſolutis ordinibus, cominùs congredi properantes, ab Haſtatis demum, gladiis & clavis ferreis rem gerentibus, undique ſternuntur. Sigiſmundus, qui in eâ exercitûs perturbatione præſtantis & ſtrenui ducis, acerrimique bellatoris officio nullò in locô defuerat, deſperatâ victoriâ, non minore periculo, quàm ad Nicopolim, inſequentium Barbarorum manus unà cum Legato, individuo belli ſocio, effugit. Cæterùm Celebinus ab ea victoria, quum pauciſſimis annis imperâſſet, morbô ex vaga venère contractô abſumptus interiit: Amuratho filio Imperium relinquens, cùm ſacris Chriſtianis Joannes XXIII. præeſſet.

Sigiſmundus à Celebino ad Columbatiū vincitur, & in fugam conjicitur.

Celebini Turcarum Imp. præpropera interitus.

Petrus Legatus ex infauſto prælio in Italiam reverſus, pauló pòſt Generali Concilio, Conſtantiæ ad lacum Acronianum celebrato interfuit, in quo cùm plurimùm pro ſtabiliendâ Eccleſiæ unione, tollendóque Schiſmate ſcriptis & viva voce laborâſſet, ſolemni Patrum Decretô (non obſtante Gregorii depoſitione, cùm quo omnes ab ipſo renunciati, dignitate exciderant) inter legitimos Cardinales receptus & confirmatus eſt. Qui poſteà, (exauctorato ſub annum 1415. Joanne XXIII.) à ſuffecto Martino hujus nominis V. legationis munere in Regno Neapolitano cohoneſtatus, Joannam II. ſceptro & corona donatam, ex imperio Pontificis, Reginam Siciliæ dixit & promulgavit. Aliis itidem gravibus Eccleſiæ negotiis pertractandis admotus, talem ſe nullo non tempore exhibuit rerum adminiſtratorem, ut conceptam de ſe, ſuâque integritate, & peritiâ famam mirum in modum apud omnes adauxerit.

Petrus Legatus in Concilio Conſtantienſi pro Eccleſiæ unione ſtrenuiter pugnans ſuâ in dignitate confirmatur.

Pervenit ad nonageſimum propè annum, integerrimis ſenſibus, vegetâque memoriâ, nec incurvâ quidem cervice, quum eſſet ſtaturæ celſioris, & ſine ſcipione venerabilis. Interrogatus aliquando, ut ingenuè fateretur, quo nam arcano uteretur, ut tanto corporis atque animi vigore vitia ſenectutis eluderet? *Vividum* inquiebat, *ingenium perpetua vitæ innocentia; ſalubre vero corpus hilari frugalitatis præſidiò facilè tuemur.* Fato functus eſt mitiſſimo apud Gallicanum, oppidum Prænestinæ Diœceſis anno à partu Virginis 1424. rela-

Eius nobile dictum de conſervanda ſanctitate.

Obitus ejus & Scripta. relatusque indè Romam, nobile Sepulchrum Veneti Senatûs erga civem optimum liberali pietate promeruit.

Scripsit plurima Legum Interpretamenta.
Consilia. Determinationes.
Decisiones. Aliaque id genus.

Trithemii de eo Elogium. Quæ non mediocri Pontificii Juris jacturâ in variis Bibliothecis pulvere obducta, maleque suppressa inter MM.SS. delitescunt, ut Author est Marcus Mantua Patavinus. Trithemius de Scriptoribus Ecclesiasticis disserens, Petrum hunc brevi, sed condigno elogio celebrat in hæc verba: *Fuit Petrus in divinis litteris, & Jure canonico doctissimus, in sæcularibus litteris peritissimus, ingenio præstantissimus, vita, moribus, & conversatione insignis.* Hactenùs Trithemius, cui pænè omnes Scriptores adstipulantur.

Ejus mentionem agunt Panvinius de Rom. Pontiff. Riccobonus de Gymnasio Patavino. Antonius Possevinus in Apparatu sacro. Aubery in vita. Coutelerius in Elencho Cardin. Victorellus in addit. ad Ciacon. Jacobus Gaddius tomo 2. de Scriptoribus non Ecclesiasticis. & Alii.

ANNO 1406.

SEDENTE GREGORIO XII. PONT. MAX.

De

ANTONIO CORARIO S.R.E. CARDINALE.

CV.

ANTONIUS Corarius, seu Corrarius, patritius Venetus, Philippi, Gregorii XII. fratris filius, Canonicus Congregationis S. Georgii in Alga, cujus noviter institutæ fuerat auctorum unus. Antonius ob inculpatæ vitæ tenorem, mores sanctissimos, & doctrinam minimè vulgarem Episcopus primò Bononiensis, deinde Patriarcha Constantinopolitanus, demum Ecclesiæ Romanæ Camerarius ab ipso Gregorio declaratus, hisce dignitatibus integerrimâ nominis famâ aliquamdiù præluxit. Pulsus suâ sede & urbe à Bononiensibus Gregorio obedientiam detrectantibus, urbe interdicto subjectâ Romam repetiit; ubi à Gregorio cum nonnullis aliis die nonâ Maji anno salutis 1408. in sacrum Purpuratorũ Senatum adlectus, titulum Eudoxiæ, seu Petri ad vincula tenuit usque ad assumptionem Eugenii IV. à quo sub annum 1431. Episcopus Portuensis, demum Ostiensis renunciatus, Ecclesiam Bononiensem, (utpotè adversam semper expertus) annuâ redditũum parte sibi reservatâ dimisit. In Concilio Constantiensi, (cui citatus interfuit) suâ in dignitate confirmatus, atque inter legitimos Purpuratos annumeratus, partes Martini V. deinceps sincerè secutus est. *Variis Ecclesiæ dignitatibus, ac demùm purpurâ à Gregorio XII insignitur.*

Legationibus diversis laudabiliter fungitur. Legationis munere tum pro Gregorio patruo in Gallia & Germania; tum pro Martino V. apud Senenses & Perusinos laudabiliter functus est. Ecclesias Aemonensem, Cerviensem, sicut & Abbatiam S. Zenonis in Veronensi Diœcesi plurimis annis sanctissimè, &

cum

cum gregis emolumento rexit: humanus in subditos, munificus in Religiosos, hospitalis in peregrinos, & quàm maximè liberalis in pauperes & egenos, eâ ætate bellorum injuriis emunctos; ut habet in Annalibus suis Jacobus Philippus Tomasinus, Æmoniæ postea Episcopus; cujus genuina verba hæc sunt: *Mira ejus in omnes liberalitas, maximè in pauperes & egenos colonos, iis temporibus nuperis bellis exhaustos: nec dispar ejus in Religiosos studium; binas enim Abbatias non infima sortis Verona & Patavii Benedictinis reddidit, aliaq; loca, qua summi Pontificis benignitati accepta ferebat, pristinis possessoribus restituit.* *Liberalitas ejus in pauperes & egenos.*

Omnium opinione tam sobriè, sanctèque vixit, ut nemo, qui ejus notitiam haberet, dubitaverit, ipsum illibatæ virginitatis fuisse. Ut verò senectutem suam, à strepitu mundano alienam tranquillè duceret, ad Cœnobium Patavinum S. Joanni Baptistæ sacrum, tanquam ad asylum beatæ solitudinis se contulit: in quo angustâ cellulâ selectâ, remotis arbitris & fortunæ obsequiis, communi Religiosorum illorum victu contentus, antiquum paupertatis institutum professus est. Ibi dies noctesque in Dei servitio transigens, ad extremam senectam pervenit. Ubi verò non longè abesse corporis sui dissolutionem animadvertit, quæ supererant facultates, in pauperes, Religiosos, & Ecclesias largâ manu distribuit. Convocatis autem quorundam Cœnobiorum Procuratoribus partem suæ suppellectilis, quæ amplissima erat, reservato sibi calice, his verbis elargitus est: *En portionem fructuum ex vestris locis accipite, quam diligenti cura vobis reservari: gratias Deo agite, & pro me, si vultis orate.* Sacra sua omnia vestimenta gemmis & auro conspicua, Ecclesiæ S. Georgii in Alga unâ cum viginti supra centum nobilissimis MM.SS. condicibus, ingenti pretio comparatis, dono dedit: Bibliothecam verò suam multis millibus libris, iisque rarioribus & eleganter conscriptis refertam Cœnobio Patavino transcripsit. *Secedit in Monasteriû Deo & sibi vacaturus.* *Ejus munificentia in Deû & homines.*

His ita constitutis, divinisque expiatus mysteriis, vitam cum morte commutavit Patavii in Cœnobio S. Joannis sui Ordinis, sacri tum Collegii Decanus, die 19. Januarii anno redemptionis nostræ 1445. & Venetiis, uti mandaverat, sepultus est apud S. Georgium in Alga, cum hoc Epitaphio. *Sanctè moritur.*

SEPULCHRUM PIISSIMI PATRIS
DOMINI ANTONII CORARII
BEATÆ MEMORIÆ EPISCOPI OSTIENSIS,
CARDINALIS BONONIENSIS,
FUNDATORIS HUJUS CONGREGATIONIS
QUI OBIIT ANNO A NATIVITATE DOMINI
MCCCCXLV. DIE XIX. JANUARII.
ORATE PRO EO.

Ejus Epitaphium.

Scripsit, ut Garimbertus narrat, Historiam sui temporis eleganti stylo, quæ M.S. Venetiis pro thesauro asservatur. *Quæ scripserit?*

Sermones iterum sacros.
Opuscula nonnulla ascetica.
Epistolas varias, pias & utiles.

Lau-

Ejus elogium ex S. Antonino.

Laudatur multùm à Blondo, & Sigonio, sed omnium maximè à S. Antonino, qui illum, *Virum mundissimum, seculi contemptorem, speculum Religiosorum, patrem pauperum, Deo & hominibus dilectum apellat.* Cæterùm non audiendus est hoc loco Morigia: qui *Libro primo Originum Religionum*, Antonium hunc Ordinis Gesuatarum fuisse contendit. Constat enim ex probatissimis authoribus, Antonium Corarium ex Sacerdote & Decano Ecclesiæ Coronensis, Canonicorum Sæcularium sodalitii anno 1395. fundamenta jecisse; & in eo vixisse usque ad annum 1408. quo Presbyteris Cardinalibus à Gregorio patruo adscriptus est.

Error Morigiæ notatur.

Ejus mentionem agunt Panvinius de Rom. Pontiff. Carolus Sigonius de Episcop. Bononiens. Henricus Spondanus in Annal. Eccles. Jacobus Philipp. Thomasinus in Annal. Canonic. Regul. Aubery in vita. Felix Contelorius in Elencho Cardin. Victorellus in addit. ad Ciaconium. & Alii non pauci.

FINIS LIBRI SECUNDI.

Si quid hìc dictum, factumvè contra Catholicæ Ecclesiæ, Sacri Romani Imperii constitutiones, aut majorum statuta: id dictum, factumque ne esto.